NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCLIII
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegio.

LIPSIÆ,
Proftant apud JO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM, Parisiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amstelodami in PETRI MORTIERII officina.

MDCCLIII.

Lectori æquo & benevolo Salutem!

Quod toto animo gaudentes profitemur, adhuc quidem, minus tibi nostra studia probari, & magis nunc, quam olim, nostra hæc, quæcunque sunt, fastidiose legi, causa suspicandi nobis nulla est. Haberes enim, cur morositatis parum liberalis accusandos nos putares, si suspicioni tam præposteræ locum faceremus tum, cum ab omni parte, qua non invidia & æmulandi studio orbis literatus regitur, de rebus nostris benevole, & ita prorsus,

sicut

ficut a nobis exoptari demum poteſt, judicari, & ad proſequendum hunc plus quam ſeptuaginta annorum curſum amice nos excitari, intelligimus. Id bene novimus, non deeſſe homines, humanitatem magis nomine, quam re ipſa, profitentes, qui, quod efficere ſe poſſe meritis diffidunt, ad id parum honeſtis artibus adſpirantes, alienam nempe ad ſe lauream ſive per vim, ſive per inſidias, raptantes, modis omnibus id agunt, ut, ſi non Germanis noſtris, qui, quales ſimus, exploratum cognitumque dudum habent, at certe exteris, rerum noſtrarum parum gnaris, atque adeo ad credendum valde pronis, ſiniſtra de nobis omnia perſuadeant, iis turpiter factorum adminiſtris uſi, quibuscum ſocietatem habere nemo unquam vir bonus inſtituerit. Hæc autem, quo indignior tali hominum genere, cui non ex plebe infima oriri, ſed liberaliter olim educari, artibusque bonis imbui mature, contigit, famam per calumnias captandi, ratio eſt, hoc minus efficere ad hoc usque tempus illud potuit, ut, noſtris ſive perturbatis otiis, ſive nimium afflictis Muſis, avitum in animo noſtro, bona & utilia conandi, ſtudium exſtingueret. Id dudum uſus nos docuit, prudentioribus non rumores tales, improbe in vulgus ſparſos, nec malignioris commenta ingenii, ſed rem ipſam, ſpectari, quæ, ſi ſuas diſſimulare maculas non poteſt, ſi, quo laborare dicitur, vitio non caret, nec reprehenſioni locum nullum facit, judicio eorum, quibus poteſtas judicandi eſt, recte condemnatur, ſin manifeſtas factæ ſibi injuriæ notas habet, &, quo publice incedit, cultu placet, honorificis integritatis ſuæ teſtimoniis adverſus partem hominum iniquiorem ex merito defenditur. Atque ad hunc prudentiorum ſenatum, quantumvis callidos in obtrectando & verſutos ſe

accu-

accusatores nostri præbeant, provocare, bonæ causæ conscii, haud veremur, hancque judicii de nobis ferendi rationem adeo non abhorremus, ut, ita, non aliter, in res nostras inquiri, vel maxime expetamus. Omnium, etiam qui acutissime vident, oculis hæc nostra patent, nec gratiam a nobis feret, si quis sententiam de nobis indulgenter magis, quam ex rigidissimo jure, dixerit. Is quidem nostrum haud adeo longe a stultitia abesset, qui, vanitate ingenii ductus, id ipsum, quod dari per facultatum humanarum imbecillitatem a nemine potest, nec datum ad hunc usque diem unquam fuit, hoc est, perfectum aliquid, & omni labe vacuum, aut olim nos dedisse, aut certo exspectari a nobis deinde posse, audacter affirmaret. Tale quid a nobis venditari, aut in tempus futurum promitti, non ille candor nostri animi permittit, quo si alii carent, qui splendidis præfationibus magnifice de se multa prædicant, instructis omni genere deliciarum, & velut saliaribus, quales nemo ante apparavit, lectores suos epulis excepturi; videant illi, quid responsuri aliquando iis sint, qui, nectar & ambrosiam exspectantes, victu se pastos admodum quotidiano, dixerint. Videmur autem illud de nobis posse libere ac vere profiteri, eorum, quæ in tali studiorum genere a viro bono, & sui memore officii, aut possunt demum, aut solent, præstari, adhuc temere a nobis nihil intermissum, sed in juvandis ornandisque literis ita omni tempore nos impigre ac diligenter laborasse, ut, qui publice in nostris his laboribus aut fidem, aut industriam, aut tale quid aliud, desideraret, præter eos, qui tanquam in arce Ephemeridum regnare soli cupiunt, haud fuisse

 unum,

runum, meminerimus. Cujus si, quod, nemo est, qui futurum diffidat, factos se aliquando participes felicitatis illi ipsi viderint, qui conatuum nostrorum æmuli vocari amant, habebunt utique, cur suæ ita satis prospectum famæ putent, quam, multum iidem falluntur, si mendaciis, ad perdendos alios compositis, acquiri posse, aut aliquantulum augeri, sperant. Nobis autem, qui, pro ingenio nostro, nec odisse eos, quibus sua artes liberales incrementa debent, nec his invidere publicos applausus, possumus, incredibili hoc alienæ laudis spectaculum voluptati erit, &, tanquam in communionem laborum, bonis studiis tam salutarium, admissi, consociatis viribus Musarum sacra procurabimus, nec pudebit nos Societatem, omni ex parte illustrem, &, quam imitentur omnes, prorsus dignam, ita, ut vir quisque bonus solet, hoc est, honeste, ac sine obtrectatione, æmulari.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCLIII.

EVANGELIARIUM QUADRUPLEX LATINÆ Versionis antiquæ, seu veteris Italicæ, nunc primum in lucem editum ex Codicibus manuscriptis aureis, argenteis, purpureis, aliisque plus quam millenariæ antiquitatis, sub auspiciis JOANNIS V, Regis fidelissimi Lusitaniæ, Algarbiorum, &c. a JOSEPHO BLANCHINO, Veronensi, Presbytero Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii de Urbe.

Partes II.

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1749, fol. maj. P. I Alph. 6, P. II Alph. 7 plag. 16, cum plurimis Tabulis in æs incisis.

Merito mirum accidat, qui contigerit, ut per tria pæne exacta a renatis literis, & inventa typographia, Secula, post tantam contentionem doctorum hominum, chartas vetustas omnes omnibus ex angulis & latebris Bibliothecarum eruendi, Italica, sic dicta, Novi Fœderis versio, toties laudata Autoribus, atque tantopere desiderata, lateret. Non æque mirum, intra proximos ab ætate nostra paucos annos repertos ejusdem quinque Codices fuisse. Facile est, monstratam ab uno repertore viam inire. *Martianæus*, Benedictini Ordinis Presbyter, Parisiis, exeunte superiore Seculo, duos Codices reperiebat, ejus ætatis, qua nondum Italica ex usu ho-

minum excesserat, continentes quatuor Evangeliorum Latinam interpretationem: in qua cum deprehenderet dotes, quas in Italica veteris Ecclesiæ Patres laudant, non studiose excultam rudiusculam dictionem, & diligentem Græcorum verborum imitationem; edebat ejus specimen, *Matthæum*, Parisiis A. 1695 sub Italicæ elogio. Aliquo tempore post animadvertebant Veronenses, in Bibliotheca Capituli sui similem latere Codicem quinti, aut sexti, a Christo nato Seculi, curamque illius edendi civi suo, *Blanchinio*, commendabant. Interea, dum hæc aguntur, evocatus ille Romam A. 1732, dum illuc tendens Florentiam transit, accipit, Vercellis magna cum religione asservari Codicem, duobus Seculis Veronensi antiquiorem reputatum, &, quod fama fert, S. *Eusebii*, Episcopi Vercellensis, manu, Seculi IV medio fere, exaratum, ideoque Codicum Novi Testamenti Latinorum omnium, qui hodie exstant, antiquissimum, & a contaminatione hæreticorum purissimum. Hujus itaque tam eximii & pretiosi Codicis exemplum rogatus Nostro mittebat *Franc. Hieron. Ruggierus*, tanta confectum cura, ut folium apographi folio membranarum, versus versui, litera literæ, responderet, lapsusque omnes calami, etiam crassiores, exhiberet. Ex hoc itaque Codice Romana hæc expressa fuit editio, & Mediolanensis *Jo. Andreæ Irici*, de qua proxime etiam in his *Actis* dicetur. Romæ tandem cum ageret *Blanchinius*, nactus fuit a literatissimo Abbate, *Philippo Garbellio*, apographum Codicis Brixiani, & a Benedictinis Parisiensibus exemplum amborum Codicum, e quibus *Martianæus Matthæum* ediderat, Sangermanensis & Corbejani.

His opibus aliisque, quas deinceps sigillatim commemorabimus, instructus *Blanchinius*, instituebat operis nobilissimi editionem, quo carendum nobis procul dubio fuisset absque regia liberalitate *Joannis V*, Lusitani Regis: qui sumtus excudendo ei fecit. Laudavimus ante aliquod tempus optimi Regis prolixum erga literas animum, cum de *Martyrologio Syriaco* junioris *Assemanni* exponeremus. Neque poterat melius digniusve regia opulentia collocari. Superabat grande hoc opus vires unius

unius bibliopolæ. Commercium literarium cum doctis Italis, Gallis, Germanis, quale ipsius operis ratio requirebat, tantaque imaginum ære expressarum copia, quanta refertum est, opes flagitabant regias. Laudes ergo cum Rege meretur rerum ipsius apud Romanam sedem curator, Cardinalis *Nerius Corsinius*, quod commendatione hujus operis persuaserit pio Principi, ut egregium institutum liberalitate sua, cujus Romani annales nunquam non erunt memores, adjuvaret. Optabunt, quibus literæ sunt in pretio, ut multi sint utrique maximorum Virorum, ut dignitate, ita sapientia & amore literarum, pares. Regno Lusitanico, Urbique æternæ, perhonorificum est, & felicitatem temporum nostrorum arguit, quod opus diu desideratum, & omnibus, si non ad palatum, certe utile, futurum, tulerint. Erunt nempe, qui maxime id reprehendant urgeantque, non evictum perspicuis certisque argumentis fuisse, hanc, quæ jactatur, Italicam genuinam esse. Docti quidem Viri, qui symbolas suas huc contulerunt, omnem moverunt lapidem, ut sententiæ suæ fidem conciliarent, quam dare certam rebus tam vetustis, tam obscuris, sane perarduum est. Erunt quoque, qui molitionis hujus, ut rentur, nequam deprehendisse sibi videantur strophas & finem, & intelligere, Romanos illuc tendere, ut autoritatem, Græco fonti, vel textui primogenio, abrogatam, ad Italicam interpretationem transferant, illumque ad hujus normam repurgandum esse, credulis persuadeant. Ad quos ea res spectat, Theologi de illa censeant. Literatoribus certe magno usui & delectationi hoc opus erit. Nihil enim eorum omisit Editor, quæ gratiam cultumque ipsi adderent. Frequentes cum suas, tum aliorum doctorum hominum, observationes atque lucubrationes, & imagines ære expressas, adspersit; quarum illæ potissimum id agunt, ut Italicam cum *Hieronymiana* vulgata & Patribus comparent, demonstrentque, nullo non tempore in Ecclesia recte sentiente lectitatos sic, ut hodie solent, fuisse locos, ab hæreticis aut deletos, aut depravatos. Notitias quoque peramplas præstant tam quatuor illorum capitalium Codicum, quos paulo ante nominabamus, e quibus derivatum fuit hoc Evangeliarium, quam multorum aliorum,

quos præſtantiſſimæ & celeberrimæ per Italiam, Galliam, & Germaniam, Bibliothecæ aſſervant, utrumque Fœdus non Græce tantum Latineve, ſed & Hebraice, Syriace, Arabice, Coptice, Armenice, Æthiopice, continentes. Quos inter qui antiquitate, aliisve præclaris dotibus, præſtant, eorum ſpecimina ære excuſa ſpectanda proponuntur, eorum in gratiam, qui non tantum oculos paſcere, ſed & dexteritatis ſuæ in legendis Codicibus manu exaratis periculum facere, cupiunt. Critici, quos Latinæ linguæ ſtudium exercet, procul dubio ex ea, quæ hic prodiit, collectione Evangeliorum, rudiore & plebeja dictione Latina exaratorum, nonnulla ſcitu digna haurient. Theologi, qui Criticam Novi Teſtamenti, &, quæ illuc quodammodo pertinet, hæreſium hiſtoriam, agitant, uberem in meſſem ſcitarum obſervationum hic incident.

Age vero, jam tandem aliquando totam hujus Operis inſtitutionem delineemus. De Italica ipſa quæ dicamus, multa non ſunt; neque enim aut eam Græco cum Codice, aut quatuor illos Codices, quos Noſter reddidit, inter ſe comparare, animus eſt. Prolegomenis vero, aliisque, operi medio interſperſis, doctis opuſculis, longius inhærebimus, veniam rogantes, ſi tanta in copia rerum utilium & elegantium prætereamus quædam ſilentio, alia levi tantum digito attingamus. *Primum Volumen* continet Evangelia *Matthæi*, ſecundum *Joannis*, tertium *Lucæ* & *Marci*, quartum, quod ad ceterorum molem non accedit, Evangelia *Matthæi*, *Joannis*, & *Lucæ*, e Codice Forojulienſi, de quo deinceps plura narrabimus. Ubique hunc ſervavit ordinem Editor, ut prima pagina, ſeu ea, quæ ſiniſtræ manui occurrit, per binas columnas digeſtum exhiberet, literis ſatis luculentis expreſſum, Codicem Vercellenſem; in oppoſita pagina eodem columnarum typorumque modulo Veronenſem; infra ſiniſtram paginam autem lineis continuis typo minore Codicem Corbejenſem, cum additis in margine variantibus, ſi quæ occurrerent, lectionibus Codicis Sangermanenſis; infra paginam tandem dextram lineis pariter non interruptis, & exiguo quoque typo, daret Codicem Brixianum. Prolegomena conficiunt opuſcula decem,

plu-

plurima Epistolarum habitu induta. *Primum* est *Philippi* Abbatis *Garbelli*, Patricii Brixiani, doctissima & cultissima Epistola ad *Blanchinium* de Codice urbis patriæ; *secundum* Præfatio *Martianæi* ad Italicam a se editam *Matthæi* interpretationem, ex editione Parisiensi; *tertium* Epistola *Ruggieri* de Codice Vercellensi; *quartum Blanchinii* de eodem Codice judicium; *quintum* ejusdem Epistola ad Episcopum Gurcensem, Comitem *de Thuun*, de primævis SS. Scripturarum versionibus, & de Codice Evangeliarii Vindobonensi; *sextum* descriptio ejusdem Codicis Vindobonensis, Autore *Nicolao Forlosia*, Augustæ Bibliothecæ Custode primario; *septimo*, *octavo*, & *nono*, loco leguntur ejusdem *Forlosiæ* ad eundem Gurcensem Comitem eodem de argumento tres Epistolæ. Claudit agmen Epistola *Blanchinii* ad *Jo Francisc. Mussellium*, Veronensis Ecclesiæ Archipresbyterum, de Codice Evangeliarii Veronensi.

Hæ sunt breviter recensitæ partes horum Prolegomenorum, quæ ad *paginam 96* usque decurrunt, essetque nostrarum partium, non nuda illarum nomina recitasse. Verum spatii, quo circumscripti sumus, angustia, & eorum, quæ memoranda supersunt, ubertas, copiosos esse vetat. Suffecerit ergo harum rerum cupidis, si primi tantum opusculi *Garbelliani*, quod inter cetera caput efferre nobis quidem visum fuit, argumenta potiora perstringamus. Mireris in eo Viro non tantum castigatæ dictionis studium, & proximorum a renatis literis Italorum æmulationem, sed etiam, atque præcipue quidem, modestiam, qua Transalpinos excepit hæreticos, non Protestantes tantummodo, sed & pejoris notæ homines, pestilentium, ut reputantur, opinionum patres atque patronos, *Grotium*, *Millium*, *Clericum*. Quid jam a seculorum decursu non exspectes? *Hieronymianæ* interpretationis autoritatem tantopere videntur elevatum nunc ire subrutumque, quantum eam extollere atque asserere Tridentinum Concilium nitebatur; animique Italorum erga nos ita mitescunt, & ad liberaliores de sacris rebus opiniones ita propendent, ut, si,

quæ nunc in vulgus ſpargunt, ante duo Secula protuliſſent, in rogum forte incidiſſent. Primo itaque loco exponit *Garbellius* occaſionem ſuæ ſcriptionis. Patruus nempe *Blanchinii* noſtri, *Franciſcus*, *Anaſtaſii Vitis Pontificum*, aliisque multis editis operibus, clariſſimus, acceperat aliquando ab eodem *Garbellio* ſpecimen Brixiani Codicis, quod cum *Joſephus* noſter, in ſchedis patrui repertum, inſpiceret, ſentiebat ſibi deſiderium variantium ejus Codicis omnium cognoſcendarum naſci. Rogabat itaque *Garbellium* per literas, curaret illas colligi, & ſibi mitteret. Quod dum agit Brixianus, monetur ſecundis Noſtri literis, gratius fore totius Codicis apographum, quam excerptas variantes. Laudabat *Garbellius* amici conſilium, & ſumma, qua poterat, cura fideque curabat ſub oculis ſuis apographum confici Codicis, qui in Cœnobio Virginum Deo ſacrarum, a *Deſiderio*, Rege Longobardorum, apud Brixiam condito, latet. Solebat olim ille Codex *Breviarium* Reginæ *Anſæ*, quæ *Deſiderii* conjux fuit, appellari, ignotusque vel ipſi *Mabillonio* fuit, qui ejus in Italico Diario non meminit. Codex eſt oblongus, membranæ purpura tinctæ; ſed color tot Seculorum decurſu paſſim evanuit, aut expalluit, & in violaceum degeneravit. Literis exaratus eſt uncialibus argenteis. Modus autem, aureis & argenteis literis Codices exarandi, ſecundum *Garbellium* talis erat. Ducebat librarius atramento literas, quæ dum adhuc recentes eſſent, & tantum non maderent, penicillum ipſis glutine quodam argenteo aureove onuſtum inducebat. Literæ initiales Codicis Brixiani ſunt aureæ. Conjicit *Garbellius*, eum per æſtatem exaratum fuiſſe, ideo, quod integram muſcam alicubi repererit, recenti adhuc glutine irretitam. Frequenter permutavit librarius literas *b* & *v*, item *u* & *y*, ut *verbym*, pro *verbum*. Pendit libras quatuordecim, adeoque pertinet ad illos Codices, quos Hieronymus *onera magis, quam Codices*, appellat. Diviſus eſt per quaterniones, quorum cuique in averſa ultima quaque pagina librarius quaternionis numerum hac formula *Q. I.* quaternio primus, *Q. II*, *Q. III*, & ſic porro, adſcripſit. Ea occaſione obſervat *Garbellius*, morem,

rem, libros per quaterniones exarandi & compingendi, perquam vetuſtum eſſe, eamque in rem teſtimonio approbandam allegat locum ex *Euſebii* vita *Conſtantini*, quo narrat Epiſcopus Cæſareæ, mandatum ſibi ab Imperatore fuiſſe, ut curaret, a dexterrimis librariis quinquaginta ſacri Codicis exempla in nitidiſſimis membranis exarari, & cultu quanto maximo compingi. Αὐτίκα δὲ τὸ ἔργον ἐπηκολούθει τῷ λόγῳ, pergit narrans *Euſebius*, ἐν πολυτελῶς ἠσκημένοις τεύχεσι τρισσὰ καὶ τετρασσὰ διαπεμψάντων ἡμῶν. Quæ verba Latine vulgo ſic convertuntur, non improbante *Garbellio*: *Juſſa Principis e veſtigio excipiebat opus, & miſſi fuerunt terniones & quaterniones in voluminibus magnifice excultis.* Aut interpres non recte Græca cepit, aut *Garbellius* non aſſecutus fuit interpretem. Volunt Græca ſignificare, Codices exaratos per vices fuiſſe miſſos, nunc ternos, nunc quaternos, ut occaſio & rerum rationes ferrent. Ad quaterniones certe, ſeu folia quaterna, de quibus *Garbellio* ſermo fuit, nihil faciunt. Porro refert Vir Doctiſſimus, Codicem Brixianum paſſim correctricem manum naſuti hominis expertum fuiſſe, qui veterem lectionem ad *Hieronymi* mentem refingeret. Unde intelligatur, Codicem ex illis derivatum fuiſſe, qui *Hieronymi* & *Hilarii* ætatem ſuperarent. Quomodo & quando in Brixianum, quod ſupra diximus, Cœnobium illatus fuerit, certo non conſtat. Conjicit autem *Garbellius*, *Deſiderium* & *Anſam* filiæ ſuæ, cum eam in Cœnobio, a ſe fundato, una cum aliis nobilibus virginibus deponerent, illum Codicem cum reliqua ſacra ſupellectile addidiſſe. Semper enim antiquis temporibus Codices Evangeliorum, auro argentoque ſerico & gemmis ornati, Eccleſiarum inter pretioſa reputati fuerunt. Inter notas, antiquitatem Codicis Brixiani prodentes, numerat hanc quoque, quod in ſumma quaque pagina nomen Evangeliſtæ exhibeat, eaque occaſione adverſus *Millium*, Anglum, e loco *Tertulliani* quodam evincit, uſu receptum primæ Eccleſiæ fuiſſe, ut cuivis libro Biblico nomen Autoris inſcriberetur. Aliam antiquitatis notam in ſerie Evangeliſtarum ponit, quæ cum hodierna noſtrate non conſentit. Vulgatus ordo ab *Hieronymi*

nymi

nymi temporibus repetendus est; vetustioribus autem sic collocabantur Evangelistæ, ut collocati habentur in Brixiano *Matthæus, Joannes, Lucas,* & *Marcus.* In his dum versatur *Garbellius,* pluribus disputat, quæ Ecclesiæ quo ordine digesserint Evangelistas, & quare aliæ aliter, & quo tempore mos cuique suus cœperit, & *Richardi Simonii* sententiam, quæ censet, ordinem Brixiani Codicis Latinæ Ecclesiæ peculiarem fuisse, *Tertulliani* testimonio refellit, e quo patet, Africanam quoque Ecclesiam eundem ordinem amplexam fuisse. *Simonius,* speciem assertioni suæ conciliaturus, ad *Druthmari* locum, *Exposit. in Matth. Cap. I,* provocat, in quo mentio fit Codicis Græci, ab *Hilario,* si fides famæ haberetur, exarato. Ea occasione *Garbellius* de Codice *Hilariano* disputat, & variis evincere nititur argumentis, Brixianum Codicem e libris *Hilario* antiquioribus derivatum fuisse; primum, quod, quam *Hilarius* perhibet in complurimis exemplaribus Græcis & Latinis desiderari, particula de sudore Christi sanguineo in eo desideretur; dein, quod in eo legatur *duodecim millia legiones angelorum, Matth. XXVII, 53,* ut *Hilarius* citat, & quod *Luc. XV, 8,* non *everrit domum* ibi legatur cum vulgata, sed *scopis mundavit domum.* Nolumus harum argumentationum pondera librare. Urget porro, Brixianum Codicem ab illis exemplaribus deductum fuisse, quæ tum exarata fuerunt, cum adhuc recte legeretur οὔπω, *Jo. VII, 8,* non autem οὐκ, quod in Vulgatam & Græcos nostros Codices irrepsit, & irrisoribus religionis occasionem conviciandi, & mendacii arguendi Evangelium, dedit. Legitur enim in illo Codice, *ego autem nondum adscendo ad diem festum hunc.* Locum vero *Joannis V* de piscina, & *VIII* de adultera, ibi desiderari, id inter nævos Codicis refert, & soli socordiæ librariorum imputat. *Clericum* ea occasione mitius, quam pro merito, castigat, qui cum historia de Christo, in arena sententiam describente, obscœnam e *Diogenis Laertii II, 127,* narrationem, oblitus judicii sui, comparaverat. Comparat deinde *Garbellius* varia loca Codicis Brixiani cum Vulgata, eo fine, ut evinceret, illum huic præferri debere. E. c. *Luc. XI, 13,* habet *Spiritum sanctum*

ctum

ctum, ut in Græco est, & nunquam esse nequiit, quia *Tertullianus* ex ea lectione adversus hæreticos argumentatur. Vulgata *spiritum bonum* habet. Codex Brixianus additamentum habet *Luc. IX, 54. sicut & Helias fecit*, ὡς καὶ Ἡλίας ἐποίησε, quod *Tertullianus* quoque videtur agnoscere, Vulgata vero non agnoscit. *Luc. VI, 26*, est in Vulgata ad Græcorum fidem: *secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum*. Brixianus autem cum *Tertulliano* habet *faciebant & Prophetis*. Ab ista lectionum diversitate disputationem orditur *Garbellius* de origine variarum lectionum, quæ ex ejus sententia hæc est. Primo Christianismi Seculo, negat, potuisse lectionum varietates, aut monstra, in Codices irrepere, superstitibus adhuc Evangelistarum & Apostolorum avtographis, quorum conservationi acerrime invigilabant ecclesiæ, quæ illa possiderent, curabantque ex illis apographa fida & intemerata per juratos notarios,& spectatæ fidei homines, confici, quæ proximis Ecclesiis mittebant, a quibus ulterius ad remotiores quasi per manus tradita propagabantur. Hæretici ergo non poterant, etiamsi vel maxime voluissent, tam vigiles custodes fallere. Secundo Seculo incipiebant privati homines ad privatorum suorum Codicum margines Scholia sua bona mente, aut simplicitate ducti, partim & scioli, monstrandæ sapientiæ pruritu, allinere. Non tamen inquinabat hæc lues publicos, in ecclesiis depositos & lectitatos, Codices. Tertio tandem Seculo magnum in discrimen incurrebat sinceritas verbi divini, sævientibus in Christianos, eorumque sacra, ferocissimis persecutionibus, per quas gentiles a Christianis sacros ipsorum libros importune flagitabant, per vim extorquebant, flammis aliisque modis delebant. Quos forte secum ferrent Codices avtographos aufugientes Christiani, aut caveis rimisve terrarum atque scopulorum abdebant, illi peribant ignoratione suorum casuum. Perditis igitur primigeniis Codicibus, licebat jam hæreticis secure grassari, cum palam rei imposturarum agi haud possent. Corrupti Codices inundabant ecclesiam. Ipsi recte sentientes Christiani labem hanc imprudentes, partim quoque audaculi, augebant. Quos quis

locos in Codice suo, velut dubiæ probitatis, asterisco notasset, eos, qui pone veniebat librarius, illinc novum Codicem exscribens, omittebat. Quæ ad marginem sui Codicis, aut intra versus, notasset scholia, in contextum recipiebat. Inde crevit, & mirum in modum luxuriavit, Codicum dissimilium seges, de qua queritur *Augustinus*.

Italicam non ab una manu profectam esse, dictionis arguit inæqualitas. Negat tamen *Garbellius*, propterea plures Italicas cum *Martianæo* confingendas esse. Ex diversa in duobus Codicibus structura verborum, divisione Versuum & Capitum, facta item vocum æquipollentium permutatione, non confici, duas quoque diversas interpretationes esse. Plures autem potuerunt, ut *Garbellius* quidem animo suo rem fingit, in eadem conficienda interpretatione elaborasse. *Waltonum* recte, ait, asseverasse, nunquam potuisse Romanam Ecclesiam Latina Novi Testamenti interpretatione carere; fidemque *Millio*, diversa censenti, jubet negari. Quamprimum ergo, ait, liber Canonicus Romanis in manus atque notitiam perveniret, protinus ad ejus interpretationem concinnandam procedebatur. Credibile autem fieri, plures Romæ fuisse dextros & probos interpretes, qui præsentes absentium, aut vita defunctorum, vices supplerent. Pertendit quidem *Millius*, Romanam Ecclesiam primo a suis natalibus dimidio Seculo de compilando Canone Novi Testamenti non cogitasse, nedum de adornanda ejus Latina interpretatione, primumque forte eam curam agitasse Papam *Pium*, qui primus fuerit Latinus Papa post Græcos, & diutius, quam antecessores, Ecclesiæ præfuerit. Romanam certe Ecclesiam primis temporibus Latina interpretatione non indiguisse, ut quæ Judæis, aliisque peregrinis gentibus, constaret, quibus familiaris fuerit Græcus sermo, tam late per terrarum orbem tum fusus, ut nequiverint pauci, qui forte fuerint, indigenæ, Romanæ Ecclesiæ addicti, eum ignorare. Verum *Garbellius*, in toto hoc ratiocinio falsum animi *Millium* fuisse, asseverat, geminoque demonstrat argumento; uno hoc: Si Latina Novi Testamenti librorum interpretatione ante *Pii* Papæ tempora opus non

fuit,

fuit, neque postea fuit. Non enim constat, neque evinci potest, *Pii* ævo Græci sermonis usum Romæ desiisse. Recentior illo Papa esse nequit Italica. Quodsi ergo confecta tum fuit, opus illa utique tum fuit; alias confecta non fuisset. Atqui, si opus illa tum erat, opus illa quoque jam dudum antea fuerat. Quamvis enim Græcus sermo Romæ celebraretur; non tamen eum callebant nisi beatiores, quos magistri eum docuissent, mercede conducti. Romanos autem, Christo *Pauli Petri*que ministerio comparatos, pæne omnes sequioris & inopis fuisse sortis homines. Secundum argumentum *Garbellii*, quo *Millium* refutat, hoc est: *Pium* inter Papas primum Latinum non fuisse, sed quartum, ut quem tres alii Latini, *Linus*, *Cletus*, & *Clemens*, præcesserint.

Atqui, si unica nunquam non fuit Italica, qui tandem factum, ut Latini Patres, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambrosius*, *Lactantius*, alii, locos Novi Testamenti tam diverse citent? Multas ejus rei caussas allegat *Garbellius*. Patres Ecclesiæ sæpe tantum ex memoria citare Scripturæ locos, ut passim pro sacrorum auctorum, aut primorum interpretum, verbis sua scholia substituant. *Tertullianus*, quo nullus Patrum frequentius Scripturam allegat, tanta id facit libertate & memoriæ suæ fiducia, ut aliis aliisque locis aliter exhibeat, & unum Euangelistam passim nominet. E. c. initium Evangelii *Joannis* modo sic citat, *in principio erat verbum*, modo sic, *in principio erat sermo*. Ea occasione multis agitat controversum illum locum *Garbellius*, disquiritque inter alia, rectiusne *Clericus*, quam ceteri, Græcam vocem λόγος Latine *ratio* reddiderit, & satisne caussæ illi fuerit, cur imperitiæ accusaret omnes, qui aliter fuissent eam vocem interpretati. Quod Latinis exemplaribus contigit, id idem, pergit *Garbellius*, Græcis quoque contigisse, stupore, socordia, & impietate librariorum, non Romanæ Ecclesiæ culpa, quam Græca Novi Testamenti verba post renatas literas corrupisse, per calumniam asseveravit *Erasmus Roterodamensis*. *Hieronymi* institutum, qui jussu *Damasi* Papæ veterem Italicam ad mentem suam reformavit, non omnino probat. Inde

 nem-

nempe copiam factam librariis Italicam interpolandi. Ipsum *Hieronymum* multa in deterius mutasse; neque laudem in eo mereri, quod Codices Græcos maluerit, quam Italicam, sequi, illos corruptos, hanc sanam & probam. Multo certe facilius potuisse in Ecclesia Latina, seu occidentali, quam orientali, seu Græca, bonæ notæ Codices conservari, & tum temporis exstare, quandoquidem illa minus afflicta persecutionum furore, quam hæc, fuerit. Nullos amplius ea ætate Codices avtographos sacrorum librorum exstitisse. Traditionem, quæ, Evangelium *Joannis* apud Ephesum septimo adhuc Seculo asservatum, ferebat, ad fabellas pertinere. Præterea tum temporis *Hieronymum*, cum sacrum Codicem interpretaretur, multis aliis negotiis implicitum fuisse, quæ non siverint ipsum debitam curam operi adhibere, maturumque & perfectum dare.

In fine Epistolæ, vel opusculi sui, *Garbellius* ita mentem suam de Italica interpretatione declarat. Non quidem se certa fiducia velle, aut posse, asseverare, in illis quatuor Evangeliorum Codicibus, aut eorum uno, quos *Blanchinius* exhibuerit, puram putam Italicam, qualis primis Seculis in Ecclesia occidentali fuerit lectitata, contineri; at id tamen certum sibi atque exploratum esse, Evangeliarium *Blanchinianum* Italicæ veteris multo ampliorem, luculentiorem, & puriorem, partem præstare, quam omnia illa monumenta, e quibus aliqui restituere Italicam, pro deperdita habitam, studuerint. Multo expeditiorem nunc esse viam illis patefactam, qui genuinam Italicam olim orbi terrarum reddituri sint. Erunt procul dubio, quibus hæc redolere strophas videantur, & qui putent, voluisse Romanam sedem libertatem sibi relinquere, novas identidem Italicas excudendi, donec tandem genuina prodeat, quæ prorsus ad Pontificiorum mentem conficta sit.

Placuit speciminis gratia hæc opusculi *Garbelliani* summa capita perstringere. Erimus deinceps breviores, contentique, opusculorum indices dare. Prolegomena igitur Evangeliarium ipsum sequitur, de cujus ordinatione diximus paulo ante, quantum satis sit. *Matthæi* Evangelium claudit *Volumen*

pri-

primum. *Secundum* vero *Volumen* poſt *Marcum* exhibet hæc: primum Tabulam, ære expreſſam, & ſpecimina præſtantem, 1) Codicis Fuldenſis, ſexto Seculo exarati, & Epiſtolas *Pauli*, cum Actis Apoſtolorum, Epiſtola *Jacobi*, Apocalypſi, & harmonia Evangeliſtarum, continentis; 2) Codicis Vercellenſis, quod idem ipſum quoque Mediolanenſis editio reddit, non ſine lectorum admiratione, variisque ſuſpicionibus, quas hoc loco prodere neceſſe non eſt, neque ad nos pertinet caſtigare, ſi quæ huic negotio ſubſit prævaricatio; 3) Codicis Veronenſis, & 4) tandem Brixiani. Excipit hanc Tabulam Epiſtola *Blanchinii* ad *Garbellium*, *ſex Capitibus* abſoluta, quorum *primum* deſcribit Codicem Græco-Latinum Novi Teſtamenti Cantabrigienſem, quo *Theod. Beza* olim uſus fuit, & quem Noſter a ſciolis contaminatum fuiſſe judicat. Sequentia *Capita* Epiſtolæ *Blanchiniana* partim producunt locos, in quibus *Hieronymi* interpretatio Græcum Codicem deſerit, Italica ſtricte ſequitur; partim comparant Evangeliarium quadruplex cum decem pervetuſtis Codicibus Græcis Novi Teſtam. Romanis. *Ultimum* tandem *Caput* ſiſtit Tabulam æneam, cum expoſitione; quarum illa quidem ſeptendecim Græcorum Codicum manu exaratarum ſpecimina proponit, hæc vero illorum unumquemque deſcribit. Sunt inter illos Codices ſpectabiles antiquitate & fama celeberrimi, ut Vaticanus ille, e quo Romani ſeptuagintaviralem ediderunt; & *Colbertinus*, quo antiquiorem Græcum Codicem hodie exſtare, negat *Grabius*; item Alexandrinus, e quo *Grabius* ſuos LXX Viros edidit, ut reliquos prætereamus. Epiſtolæ ad *Garbellium* ſubjecta eſt alia, cum quatuor Tabulis æneis, ſpecimina viginti duo Codicum Græcorum utriusque ſacri Codicis, ad Cœnobium hieromonachorum S. *Baſilii M.* de Urbe pertinentium. Conſcripta eſt ad *Blanchinium* a *Philippo Vitali*, Romano, hieromonacho Cryptæ ferratæ S. *Baſilii Magni*, Congregationis rituum orientalium conſultore, & Lectore linguæ Græcæ in Collegio urbano propagandæ fidei. Velut Appendicem ejus Epiſtolæ conſtituit ejusdem Autoris notitia

 Codi-

Codicum sacrorum manu exaratorum, quos Bibliotheca S. *Mariæ* in Vallicella Congregationis Oratorii Romani servat, cum speciminibus, æri insculptis, octo Codicum. In fine datur notitia Evangelii S. *Joannis*, in Codice Vallicellano excerptis Patrum animadversionibus ditati, quales libros Catenas solent appellare. Ediderat quidem *Balthasar Corderius* Antwerpiæ A. 1630 talem in *Joannis* Evangelium Catenam; cum vero hæc Vallicellana multo sit *Corderiana* locupletior, jubet *Vitalis*, ejus editionem a se exspectari.

Sequitur Tabulas æneas, hactenus indicatas, una, quam ad *pag. 532 Partis primæ* referri debere, inscriptio monet. Sed, ne quem fallat inscriptio, tenendum, Tabulam illam ad *pag. 589 Partis secundæ* pertinere. Ibi enim explicat Autor historiam omnium illorum tredecim memorabilium Codicum Græcorum, quorum specimina dicta Tabula sistit. Quomodo contigerit iste error, & cui sit imputandus, non liquet. Eminent inter illos Codices quondam *Coislinianus* pervetustus, & *Barberinianus*, ἑξαπλοῦς, tres majores & duodecim minores Prophetas continens, cum variis interpretationibus *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis*, septuaginta Virorum, & aliorum. Ibidem quoque conspiciuntur aliquot Codicum specimina, qui adjunctam habent Græcis Latinam interpretationem, qualis est *Bezanus* quondam, nunc Cantabrigiensis, & Psalterium Græco-Latinum Veronense. Mittimus reliquos.

Vitalis libellum excipit conspectus quatuor Evangeliorum Syriacorum miræ antiquitatis, qui in Bibliothecis Romanis asservantur. Inscriptus est ab Editore hic conspectus *Gorio*, eoque tendit, ut demonstret, Italicæ veteri melius cum Syriaca, quam cum *Hieronymiana* vulgata, convenire. Promittit Editor *Gorii* de antiquis Codicibus manuscriptis quatuor sanctorum Jesu Christi Evangeliorum, deque internis externisque eorum Codicum ornamentis, Dissertationem, velut particulam promissi *Goriani* Diptychorum thesauri. Reperiemus eam in *secunda* hujus Evangeliarii *Parte* suo loco. Notitias vero Codicum Syriacorum Editor partim ex senioris *Assemanni*

Bibliotheca orientali, partim ex junioris Bibliotheca Medicæa, desumsit.

Post conspectum hunc brevis quidem legitur, at momenti tamen non exigui, Epistola *Blanchinii* ad *Gorium*, qua quæstio agitatur, quomodo genuina Italica in Patribus, & versionibus orientalibus, deprehendi, & inde erui, queat. Inter Patres nempe Latinos, quos in citandis sacris verbis eundem tenorem non tenuisse, supra dictum fuit, *Cyprianus* & *Augustinus* deprehenduntur tam sollicite Italicæ adhæsisse, ut, quæ in eorum scriptis loca conspiciantur cum *Hieronyminia* consentire, secure possint pro corruptis reputari. Solebant nempe librarii posteriorum temporum ad introductam in Ecclesias *Hieronymianam* Codices suos omnes conformare. Luculentum ejus rei dederunt exemplum Monachi Benedictini, Operum *Augustini* editores, qui plus mille locis e MStis probæ notæ Italicæ verba restituerunt, exulare jussa *Hieronymiana*. Cum autem, quo quæ sit antiquior interpretatio, eo sit e purioribus fontibus derivata; versionesque orientales primis statim Ecclesiæ Seculis adornatæ fuerint; mirum jam non esse, si Italicæ tantopere cum Syriaca consentiat. Non diffitetur quidem, potuisse lapsu temporis in omnes interpretationes, adeoque in Italicam quoque, errores irrepere; at illis tamen, & præcipue Italicæ, tot inesse, ait, vetustæ sinceritatis notas, ut perspicuum sit, Græcum textum, qualis hodie circumfertur, multis in locis corruptum esse, & ex Italica posse ac debere emendari.

Finem *primæ Parti* hujus Evangeliarii faciunt Epistolæ duæ amœbeiæ, *Blanchinii* & *Vitalis*, cum duabus Tabulis æneis, quibus specimina duorum Codicum Hebræorum, quatuor Græcorum, & duorum Latinorum, præstantur, ad Bibliothecam Cardinalis *Passionei* pertinentium. Omnes hos Codices Epistola *Vitalis* fusius describit; Catalogum Codicum omnium manuscriptorum, quos laudatus Cardinalis possidet, promittit propediem edendum; probitatem dicti *Joannei: Tres sunt, qui testantur*, multis demonstrat, & insertam impertit Monaldini notitiam Codicum Biblicorum

Cry-

Cryptæ ferratæ. *Blanchinius* autem amico suo significat, se in Codice quodam *Chisiano* reperisse interpretationem *Danielis* septuagintaviralem, adhuc nondum editam, sed pro deperdita habitam. Nam, quæ in editionibus LXX Virorum legitur *Danielis* interpretatio, *Theodotionis* est. Continet Codex *Chisianus*, cujus edendi spem facit Noster, tres majores Prophetas, ex *Origenis Hexaplis* & *Tetraplis* sollicite expressos, geminam *Danielis* interpretationem, unam LXX Virorum, alteram *Theodotionis*, & *Hippolyti* Martyris denique Commentarium in *Danielem*.

Gressum promovemus ad *secundam Partem* Evangeliarii nostri. *Primum* ejus *Volumen Lucam* & *Marcum* continet, cum concordantiis, seu indicibus locorum, quibus Italica melius Græcis, quam *Hieronymiana*, consonat. *Secundum* inscribitur Appendix ad Evangeliarium quadruplex, & continet Evangeliarium Forojuliense, cum fragmento Codicis Perusini.

Codex Forojuliensis complectebatur olim omnes quatuor Evangelistas; extrema tamen *Joannis*, & totum *Marci* Evangelium, inde variis casibus avulsa fuerunt, & alio translata. Interpretatio, quam Codex ille reddit, neque Italica est, neque *Hieronymiana*, sed confectum ex utraque opus. Scriptura venusta est & lectu facilis, Seculumque prodit a Nat. Christi quintum, ut e specimine addito liquet. Juvat miros hujus Codicis casus ex Epistola *Laurentii a Turre*, Præpositi Congregationis Oratorii S. *Philippi Nerii de Udina*, ad Editorem referre. Quo primum pertinuerit, non constat; conjicit tamen *Laurentius*, peculium eum fuisse Cœnobii cujusdam, in territorio Mediolanensi, vel forte in ipsa urbe regia, Ticino, siti. Colligit illud e nominibus, quibus margines Codicis oppleti sunt, Longobardicis ignorabilibus Principum, Episcoporum, Monachorum, laicorum, utriusque sexus & conditionis omnis, quorum antiquissimum, ait, se reperisse *Theodelinda*, reginæ, quæ Seculo VI exeunte vixit. Occurrunt ibidem nomina *Luitprandi*, *Ratchis*, & *Aistulphi*, Regum Longobardorum; item stemma Principum Bulgaricorum, ut

&

& Imperatoris cujusdam Constantinopolitani *Joannis*, & uxoris, *Thecla*; de quibus historia silet. Opinatur *Laurentius*, *Joannem Tzimiscem* designari. Atqui uxor ejus *Theodora*, non *Thecla*, fuit, neque constat, illum Imperatorem unquam pedem in Italiam intulisse. Conjectura hinc fiat, Codicem hunc vices diptychi ecclesiastici gessisse. Cum autem Monachorum essent partes, eorum, qui sibi suisque Cœnobiis bene fecissent, nomina in acta, vel diptycha, referre; conficitur ex eo, Codicem hunc fuisse olim alicujus Cœnobii, quod in agro Mediolanensi fuisse situm, probabile ex eo fit, quod, vestigia ritualis *Ambrosiani*, non in alia, quam Mediolanensi, ecclesia usu recepti, præ se ferat. Ticinensem tandem fuisse olim hunc Codicem, id prodit, quod Episcoporum Ticinensium bene multi nominatim in eo memorentur, Patriarcharum Aquilejensium, præter *Theudomarum*, nemo unus. Interfuit autem ille *Theudomarus* uni duarum illarum Synodorum, quæ apud Ticinum A. C. 850, & quinquennio post, celebrabantur. Facile ergo potuit fieri, ut Codicem, nunc Forojuliensem, olim Aquilejensem, secum Ticino ad sedem suam referret. Mansit ab eo inde tempore Codex apud Aquilejam integer usque ad annum Christi 1354, quo *Carolus IV* Imperator in Italiam veniebat; cujus gratiam cum ambiret, qui tum præerat Ecclesiæ Aquilejensi, Fr. *Nicolaus*, persuadebat Imperatori, pro illorum temporum simplicitate, impostoribus patula, penes se *Marci* Evangelium esse, ipsa Evangelistæ manu exaratum, & venerabilis monumenti particulam, ultima *Marci* folia, Imperatori dono offerebat. Quod *Carolus* lubente animo venerabundoque acceptabat, & Pragam mittebat, ubi hodienum sancto cultu asservatur, cum literis ad regni Bohemici proceres; quas *Ludewigius* in *Reliquiis Codicum MStorum* edidit. Quinquaginta propemodum annis post turbæ civiles Italiam cum miscerent atque quassarent; Aquilejani, quod urbem incolerent mœnibus destitutam, semel atque iterum pretiosa sua in fidem Forojuliensium dabant, qui tandem Codicem *Marci* avtographum, quo jure injuriave, haud liquet, suum fecerunt. Verum, cum

& ipsi, hostibus haud pares, protectionem Venetæ reipublicæ implorarent, eique se suaque committerent, postulabat respublica S. *Mari*, patroni sui, reliquias. Itaque factum, ut superstes *Marci* particula solenni pompa Venetias A. C. 1420 deduceretur, & magnifico cultu induta in Basilica D. *Marci* deponeretur; in qua etiamnum adhuc cubat, sed vix amplius ulli usui apta. Humidus enim salsusque aer, qui Veneta pervadit & subruit ædificia, ita exedit membranam, aut, ut *Maffæus* asseverat, chartam bombycinam istius Codicis, ut nulla litera possit amplius agnosci. *Missonus*, Anglus, exeunte superiore Seculo, Codicem cum inspexisset, asseverabat, Græcum esse. *Montfauconius*, initio hujus Seculi eum tractans, pertendebat contra, Latinum esse. Quid ejus rei esset, quo fieret certior, *Franciscus Blanchinius*, Nostri patruus, inspiciebat Codicem A. 1720 magna cum cura, cereos inter accensos, & armato perspicillis oculo; sed frustra, ne hilum quidem amplius agnoscere poterat. Eo evasit, eum fructum tulit, superiorum Seculorum superstitio.

DE ANTIQUA PICENTUM CIVITATE CUPRA Montana, MAURI SARTII, Monachi Camaldulensis, Epistola ad Virum Clarissimum, JOANNEM FELICEM GARATONUM, in Romana Curia Advocatum, Caroli S. R. E. Cardinalis SACRIPANTES a cognitionibus. Editio altera, recognita & aucta.

Pisauri, 1748, 8.

Plag. 7½.

Quam de Cupra Montana, Massatiensium rogatu, conscripserat Autor Epistolam, mense Julio A. 1747 Venetias, ut *Calogerianæ* collectioni insereretur, missam, quæque, quod serius eo perferebatur, cum ejus operis *Tomus XXXVIII* jam sub prelo esset, non ante Calendas Novembris ibi separatim foras data est, eam nunc, Massatiensium sumtu, immutatam & correctam edit: quia in illa priore editione nonnulla vel non sa-

tis perpenſa fuerant, vel inemendata e prelo prodierant. Inprimis vero ad trutinam ſimul revocavit Epiſtolam *Jani Planci*, quæ in Ephemeridibus Florentinis literariiis ad Calend. Decemb. ejuſd. Anni exſtat. Ad ipſam vero *Sartii* Epiſtolam quod attinet, ſtatim ejus ſub initio exponitur, *Garatonum*, per literas poſtulantem, ut ſcriberet ad ipſum, ecquid eſſet rei Maſſatium hoc, cujus fortaſſe ne nomen quidem ante audiiſſet, quæque ornamenta eſſent loci, qui ſitus, conficiendæ ejus occaſionem præbuiſſe. Contulerat quippe Noſter ſe Pag. 7.
eo Ravenna, valetudinis recuperandæ ergo. Hinc primo de loci ſitu, quem præaltum eſſe dicit, ſed non difficilem aditu, ſaluberrimumque, ac de agri circumjacentis natura, eleganter exponit. Tum, ſe, ait, diligenter inveſtigaſſe, num quid de origine urbis & antiquitate invenire poſſet, quod dignum eſſet eruditorum hominum cognitione. Tandem audiviſſe, apud Ferrantios, quæ familia loci eſt apprime conſpicua, Latinam inſcriptionem in grandi lapide aſſervari, quæ eſſet hujus- 11.
modi:

IMP. CAESARI
DIVI. HADRIANI
PARTHICI. NEPOTI
DIVI. NERVAE. PRONE
POTI. L. AELIO. HADRI
ANO. ANTONINO. AVG.
PIO. PONTIF. MAX. TRIB
POT. XII. IMP. II. COS. IIII
P. P. P. VERL. P. VEILAT
. . . . RENTORI
C. VIBIVS. ENOES. MONT. PONT.

In qua illuſtranda primo varia deſcriptorum menda obſervat, ut *L. Ælio*, pro *T. Ælio*, atque tertium, a poſtremo, verſum ita legendum, ex ipſo lapide, apud *Franc. Victor. Ferrantium* inſpecto, cognovit: P. P. PUERI ET PUELLÆ; extremum autem omnium: CUPRENSES MONTANI. Medius inter hos duo verſus, cujus literæ erant exeſæ, Delio natatore videbatur opus habe-

 re,

re, quoniam nihil ejus reliquum erat, præter literas: *Ent. Ri.* unde, cum veniret in mentem, ab *Antonino Pio puellas alimentarias*, in honorem *Faustinæ*, constitutas, *alimentarii* debere legi, tandem judicat: quam conjecturam & ipse aliis probavit, & *Muratorio* ante se probabilem esse visam, ex ejus *Thesauro Tom. I col. 238 n. 2*, qui emendari inde poterit, intellexit. Nempe, ut *Pius* in honorem *Faustinæ* puellas *Faustinianas* constituit, ita, *Muratorius* judicat, non abhorrere a vero videri, eundem in honorem *Hadriani* pueros alimenta-
Pag. 14. rios instituisse, qui ex ærario alerentur. Ubi tamen, multo ante id tempus pueris & puellis, egenis parentibus natis, alimenta passim in Italiæ civitatibus constituta jam fuisse, neque inscriptionem de pueris, in *Adriani* honorem institutis, interpretandam videri, monet *Sartius*, quippe quod benefi-
15. cium illud, observante *Reinesio* in 125, *I*, & 24, *VI*, per totam Italiam, in municipiis ac coloniis, patuisse longissime videatur. Cujus instituti eximii cum *Nervam* nonnulli autorem faciant; *Trajani* tamen liberalitas maxime in eo emicuit, ut ex *Plinio* & *Xiphilino* apparet, vetere squae inscriptiones testantur; nec tantum initio principatus ejus, sed sequenti etiam tempore, ut ex numis & lapidibus videre licet, in quibus Consulatus ejus V, Imp. VI, Trib. pot. XII, fit mentio. Cujus deinde vestigia ingressus est *Hadrianus*, & sine dubio *Antoninus Pius*, item *M. Aurelius*, *Alexander Severus*, & *Macrinus*. Quibus erudite disputatis, alterutrum consequi existimat *Sartius*, vel ante *Antoninum* fuisse apud Cuprenses Montanos ingenuos pueros & puellas, publico alimento, superiorum Principum munificentia, donatos, quos *Antoninus* novis muneribus auxerit; vel *Antoninum* ipsum Montanis pueris puellisque tum primum alimenta ex publico decrevisse, cujus beneficii
24. memoria hac inscriptione conservetur. Atque hic modeste refellit *Plancum*, qui inscriptionem itidem ad *Faustinianas* puellas retulit, hasque iis esse similes judicavit, qui in orphanotrophiis alantur; quod ultimum negat propterea, quia fuere *alimentarii* civium Romanorum filii, neque una omnes ii in domo communiter, sed domi suæ a parentibus, educati.

Præ-

Præterea non omnes eadem alimentorum accipiebant subsidia, sed alia legitimis, alia spuriis, alia pueris, alia puellis, eaque vel singulis mensibus, vel certe duodecies in anno, distribuebantur. Quibus erudite demonstratis, Cupram Montanam non longissime a Massatii finibus absuisse, pronuntiat, alteri illi Cupræ maritimæ & Ripæ Transonæ e diametro oppositam, quod primo autoritatibus magnorum hominum, *Plinii* maxime ac *Ptolemæi*, deinde hac nostra inscriptione, tum ex aliis antiquitatis vestigiis, infra Massatium, in planitie quadam ad Aesum versus, repertis, post e numis effossis, tandem ex inscriptionum fragmentis, ollis cinerariis, vasis fictilibus, cryptis, aquæque ductu, inter portam suburbii, qua Aesum itur, probabile reddere, docte sane ingenioseque, conatur. Sed hactenus de situ; nunc, quid de nomine sentiat Noster, videndum. A *Dea Cupra* illud ductum, affirmat, quo nomine Etrusci *Junonem* coluere; Sabinis poterat esse Dea bona, utpote qui bonum dicerent *cuprum*, seu *cyprum*, a quibusque & Deæ religio, & Cupræ civitatis origo, repetenda ipsi videtur. De magnitudine autem illius, item an Romana fuerit colonia, non liquere sibi, ait, Neque de finibus ejus dici aliquid posse putat, nisi quod Aeso flumine, Apenninique jugis, inclusi quondam fuisse videantur. Quorum tamen majorem partem vicinæ civitates occuparunt, urbe ita deleta, ut ne de loco quidem illius ad hunc diem constaret. Cives vero, ut facilius hostium injurias propellerent, locum illum præcelsum, ubi nunc urbs est, petiisse videntur: quo autem tempore factum id sit, dici non potest. Certe Massatii mentio non fit ante *Innocentium III*; cum etiam *Protolonem* dicerent veteres, inde, putat *Sartius*, liquere, ex Cupræ Montanæ parietinis, & incondito lapidum maceriarumque cumulo, id nomen conflatum, ac tandem in cognatum Massatii nomen defluxisse. Ad extremum de nonnullis urbis fatis, quique sit ejus hodie status, quæ habeat Cœnobia, & qui viri sanctitate illustres in his floruerint, exponit. Appendix exhibet aliquot monumenta veterum, sacras maxime antiquitates oppidi illustrantia. Integra hæc Epistola, ut elegantissime scripta est, ita, quin ad

Pag. 26. 33. 45. 55. 57. 62. 72. 74. 76.

Geographiam veterem illuſtrandam non omnino nihil contineat præſidii, dubitare, qui legerit eam, non poterit.

WYERI GULIELMI MUYS OPUSCULA POSTHUMA, ſeu Sermones Academici de ſelectis materiis, & Diſſertatio de diſtinctione mentis & corporis; cum HERMANNI VENEMA Oratione funebri in ejus memoriam, edente JO. HENR. GUIL. MUYS, W. G. Filio, Med. Doct.

Leovardiæ, apud Guil. Colon, & Franequeræ apud Jac. Brouwer, 1749, 4.

Alph. 3.

Fuit Autor Medicinæ Doctor, ejusdemque & Botan. Chem. & Mathemat. Profeſſor in illuſtri Friſiorum Academia, Reg. Societ. Scient. Berolin. membrum. Natus Stenovici in urbe Provinciæ in Belgio fœderato transiſalanæ, 5 Jan. A. 1682. Literis operam dedit Lugduni Batavorum, deinde Arnhemii Medicinam exercuit, ægris pluribus, acidularum Pyrmontanarum, tunc adhuc minus notarum, ope ſanatis, inclareſcens. Matheſeos Profeſſionem A. 1709 adeptus eſt, medicam A. 1713, poſt alias. Edidit *Elementa Phyſices*, ſed horum ſaltem *Tomum I*, Diſſertationem *de Salis Ammoniaci præclaro ad febres intermittentes uſu, inveſtigationem fabricæ, quæ in partibus, muſculos continentibus, exſtat*, & alia plura minora. Deceſſit 19 Aprilis A. 1744. Inter poſthuma hæc *primum* locum obtinet Sermo Academicus de immortalitate mentium humanarum. Expoſitis mundi corporei mirandis, nec plantas, nec bruta, ei ſpectando creata, ſed ipſa ſpectacula, eſſe, oſtendit, homines ſolos iis viribus præditos, ut contemplari hæc omnipotentis artificia queant. Si igitur creavit Deus homines, ut autorem mundi ex operibus cognoſcerent; non poterit profecto, cum adhuc in limine hujus cognitionis verſantur, animas deſtruere, niſi velit vel imperfecte finem ſuum conſequi, vel novas animas creare, rurſus forte, cum paululum in hac cognitione profecerint, deſtruendas.

Secun-

Secundo Sermone agitur de fine, quem Deus in condendo mundo habuit. Cum magnificentissimum mundi corporei theatrum innumeris ac admirandis spectaculis ornatum a Deo sit, factæque sint ab eodem naturæ intelligentes, quæ hæc magnifica Dei opera spectant, atque inde autorem cognoscunt; quid aliter inde concludi potest, quam theatrum hoc pro illis, qui hoc spectant, esse factum, ut eos inde caperent, quos re ipsa capiunt, usus, spiritus vero, ut Deum cognoscant, esse creatos.

Tertius Sermo instituitur de virtute seminali, qua plantæ & animalia generi suo propagando sufficiunt. Præformata germina assumit, animalium autem fœtus an in animalculis spermaticis, an in ovariis, lateant, non determinat.

Quartus Sermo partium studium cum morbo melancholico comparat. In eo certe convenit uterque animi morbus, quod eo affecti de multis recte judicent, de aliquibus saltem perverse, quod ipsi, hoc morbo se laborare, non agnoscant, & quæ similia sunt, erudite hic ex Historia præcipue literaria Medicinæ illustrata, & ingeniose philosophicoque acumine explicata, ut hæc Dissertatio omnibus, qui evitare hoc vitium volunt, quæ legatur, digna sit.

Sequitur Dissertatio de distinctione mentis & corporis, quæ primo ex universalibus, quas vocant, notionibus hanc distinctionem infert. Potest enim materia individuum aliquod, v. g. certum aliquod triangulum, repræsentare, non vero triangulum in genere, ubi nec laterum proportio, nec anguli, determinati sint, quod tamen mens cognoscit, & plures ejus proprietates generaliter demonstrat. Hæc ulterius explicantur, adduntur que alia argumenta subtilia & ingeniosa, ut neminem animi penitius cognoscendi studiosum pœnitere possit, illa perlegisse & trutinasse. Sed hic in brevitatem contrahi non possunt, cum ratiociniis his, indivulso nexu cohærentibus, quicquid in excerpendo demseris, soliditati demas. Idem judicium esto de Appendice, qua, cogitationem non esse de substantia mentis, ostenditur, &, quid de eis sub-

ſubſtantiis concipiamus, inquiritur; & hæc Appendix præterea, quod dolebunt Philoſophi, ſine mutila eſt, omnia vero hæc *Muyſii* ſcripta, ut Philoſophis rerum præſtantia ſe commendare poſſunt, ita ſermonis quoque elegantia, &, quæcunque pulchram reddere poſſunt orationem, omnibus decorantur.

FELICIS ALOYSII BALASSI DE VIRIBUS VIVIS Opuſculum, & JACOBI MARISCOTTI Animadverſiones.

Bononiæ, e typographia Lælii a Vulpe, 1752, 4.
Plag. 7, Tab. æn. 1.

Quæ *Balaſſus Riccato* objecerit, cum prodirent, recenſuimus. Removet ejus dubia *Mariſcottus* docte & ſolide, veſtigia adverſarii premens, primum refellens, quæ de compoſitione virium ille monuerat, deinde quæ ad formulæ $\frac{pds}{u} = mdu$ uſum pro confirmanda menſura virium *Carteſiana* pertinent. Sed nobis tam longis eſſe non licet, ut primum *Riccati*, dein *Balaſſi*, denique *Mariſcotti*, ſententias ordine adducere poſſimus, neque lis ipſa tanti eſſe videtur, cum, quæ *Balaſſus* monuit, dubia ſint, condonanda ei, qui reſolvi illa & ulterius doceri, ut fecit *Balaſſus*, optat, ſed peritis ejus, ad quam pertinent, ſcientiæ parum nunc ex illis addiſcatur.

GOTTLIEB AUGUSTI MOSDORFF DE ORBITA Lunæ, ceterorumque Planetarum ſecundariorum, Obſervatio.

§. 1. Lemma.

Si punctum quoddam quieſcens m trahatur a vi quadam P verſus N, ſitque $MQ = y$, erit quadratum celeritatis in $Q = \int Pdy$, & tempus, intra quod linea mQ percurritur, $= \int \frac{qdy}{\sqrt{\int Pdy}}$, denotante q quantitatem conſtantem, cujus va-

lorem

lorem in determinato casu habet *Eulerus* in *Mech. analyt. Tom. I §. 670.* Si vero istud punctum projiciatur ex N celeritate $\surd C$, & retrahatur a vi P versus N, erit quadratum celeritatis in $Q = C - \int P dy$, & tempus $= \int \frac{q dy}{\surd(C - \int P dy)}$, posito scilicet $NQ = y$.

§. 2. *Problema.*

Si punctum N projiciatur ex N celeritate $\surd C$ secundum Nm, ad ON perpendicularem, interea vero istud punctum trahatur versus O a vi, quadratis distantiarum ab hoc puncto O reciproce proportionali, invenire curvam Nl, hac lege a puncto N tempore t descriptam.

Solutio.

1) Quia aliunde jam satis constat, curvam Nl in hoc casu re vera esse ellipticam, & hinc quantitates quaesitae ob defectum quadraturae ellipseos exacte inveniri nequeunt, ad series refugiendum erit.

2) Sit igitur tempus, quo arcus Nl descriptus est, $= t$, $ON = b$, $Ol = b + Ft^2 + Gt^4$ &c. (terminum enim primum hujus seriei ideo assumimus $= b$, quia, evanescente tempore t, Ol fieri debet $= ON = b$), nec non anguli lON sinus $= Dt + Et^3$ &c. Ergo ejus cosinus $= r - \frac{D^2 t^2}{2r} - \left(\frac{ED}{r} + \frac{D^4}{8r^3}\right) t^4$ &c. posito scilicet sinu toto $= r$.

3) Quia vis attrahens quadratis distantiarum ex hypothesi est reciproce proportionalis, assumatur distantia quaedam, ut n, in qua quantitas vis attractricis data esse supponitur; ergo haec vis in l est $= \frac{n^2}{Ol^2} = \frac{n^2}{b^2 + 2bFt^2 \text{ \&c.}} = \frac{n^2}{b^2} - \frac{2Fn^2t^2}{b^3}$ &c.

4) Haec vis solvatur in duas alias, unam perpendicularem ad ON, & secundum perpendicularem lA trahentem, alteram vero trahentem secundum parallelam lineae NO.

D 5) Ista

5) Iſta invenitur argumentando: ut ſinus totus ad ſinum anguli *lOA*, ſic vis *lO* ſe habet ad vim *lA*, quæ igitur ex antecedentibus habetur $= \frac{Dn^2t}{b^2r} + \left(\frac{n^2E}{b^2r} - \frac{2FDn^2}{b^3r}\right)t^3$ &c. $= P$.

6) Hæc vero, ſcilicet vis *NO*, vel *AO*, invenitur ſimili ratiocinio $= \frac{n^2}{b^2} - \left(\frac{Fn^2}{b^3} + \frac{n^2D^2}{2r^2b^2}\right)t^2$ &c. $= p$.

7) Eodem modo habentur quoque lineæ $Al = \frac{bDt}{r} + \left(\frac{bE + DF}{r}\right)t^3$ &c. & $OA = b + \left(F - \frac{bD^2}{2r^2}\right)t^2 + \left(G - \frac{EDb}{r^2} - \frac{bD^4}{8r^4} - \frac{FD^2}{2r^2}\right)t^4$ &c. quarum hæc ſi ab $ON = b$ ſubtrahitur, habetur $AN = \left(\frac{bD^2}{2r^2} - F\right)t^2 + \left(\frac{EDb}{r^2} + \frac{bD^4}{8r^4} + \frac{FD^2}{2r^2} - G\right)t^4$ &c.

8) Cum igitur ex hypotheſi punctum *N* ſecundum *Nm*, vel *At*, (quippe ad *Nm* parallelam,) celeritate $\sqrt{C}$ projectum ſit, erit ejus celeritas, qua in puncto *l* ſecundum *Al* moveri conatur, $= \sqrt{C - \int Pd\,(lA)}$ (*n.* 5 & §. 1).

9) Jam vero tempus *t*, intra quod linea *Al* percurritur, eſt $= \int \frac{qd\,(Al)}{\sqrt{C - \int Pd\,(lA)}}$ (§. 1). Ergo $dt = \frac{qd\,(Al)}{\sqrt{C - \int Pd\,(Al)}}$, unde

$$dt\sqrt{C - \int Pd\,(Al)} = qd\,(Al)$$
$$Cdt^2 - dt^2\int Pd\,(Al) = q^2d\,(Al)^2.$$

10) Subſtituto igitur valore *P* & *Al* ex *n.* 5 & 7, erit

$$Cdt^2 - \frac{D^2n^2t^2dt^2}{2br^2}\ \text{\&c.} = \frac{q^2b^2D^2dt^2}{r^2} + \frac{6bDq^2(bE + DF)t^2dt^2}{r^2}\ \text{\&c.}$$

ideoque, comparatis terminis harum ſerierum, ſibi invicem reſpondentibus ſecundum methodum notiſſimam, habetur $D = \frac{r\sqrt{C}}{bq}$, & $E = -\frac{rn^2\sqrt{C}}{12b^4q^3} - \frac{Fr\sqrt{C}}{qb^2}$.

11) Por-

11) Porro, quia ex hypothesi punctum N initio motus a linea ON adscendit perpendiculariter secundum Nm, poterit hoc punctum N respectu directionis NO considerari ut quiescens, unde ejus celeritas, ex attractione puncti O orta, & secundum NO directa, erit $= \sqrt{\int pd\,(AN)}$ (*n.* 6 & *§.* 1), & tempus t, quo linea AN percurritur, $= \int \frac{qd\,(AN)}{\sqrt{\int pd\,(AN)}}$ (*§.* 1), ideoque $dt = \frac{qd\,(AN)}{\sqrt{\int pd\,(AN)}}$. Substitutis igitur valoribus p & AN ex *n.* 6 & 7, erit

$$\frac{n^2}{2b^2}\left(\frac{bD^2}{r^2} - 2F\right)t^2dt^2 + \left(\frac{4EDn^2}{r^2b} - \frac{4n^2G}{b^2} + \frac{4F^2n^2}{b^3} + \frac{n^2D^2F}{r^2b^2}\right)\frac{t^4dt}{4}\ \&c.$$

$$= q^2\left(\frac{bD2}{r^2} - 2F\right)^2 t^2dt^2 + 2q^2\left(\frac{bD^2}{r^2} - 2F\right)\left(\frac{4EDb}{r^2} + \frac{bD^4}{2r^4} + \frac{2FD^2}{r^2} - 4G\right)t^4dt^2\ \&c.$$

12) Comparatis itaque terminis harum serierum, per easdem dignitates temporis t multiplicatis, inevenietur $F = \frac{C}{2bq^2} - \frac{n^2}{4b^2q^2}$, ideoque $E = \frac{rn^2\sqrt{C}}{6b^4q^3} - \frac{rC\sqrt{C}}{2q^3b^3}$ (*n.* 10, & $G = \frac{5n^2C}{48q^4b^4} - \frac{C^2}{8q^4b^3} - \frac{n^4}{48b^5q^4}$.

43) Est ergo sinus anguli $IOA = Dt + Et^3$ &c. $= \frac{rt\sqrt{C}}{qb} + \left(\frac{rn^2\sqrt{C}}{6b^4q^3} - \frac{rC\sqrt{C}}{2q^3b^3}\right)t^3$ &c. & distantia $IO =$

$$b + \left(\frac{C}{2bq^2} - \frac{n^2}{4b^2q^2}\right)t^2 + \left(\frac{5n^2C}{48b^4q^4} - \frac{C^2}{8q^4b^3} - \frac{n^4}{48b^5q^4}\right)t^4\ \&c.$$

$= b + Ft^2 + Gt^4$, &c. Q. E. I.

Coroll. 1.

Si loco b & n substituantur literæ e & f, & S sit punctum attrahens, erit $ISA = \frac{rt\sqrt{C}}{e} + \left(\frac{rf^2\sqrt{C}}{6e^4q^3} - \frac{rC\sqrt{C}}{2q^3e^3}\right)t^3$ &c.

D 2 &

& $IS = e + \left(\frac{C}{2eq^2} - \frac{f^2}{4e^2q^2}\right)t^2 + \left(\frac{5f^2C}{48e^4q^4} - \frac{C^2}{8q^4e^3} - \frac{f^4}{48e^5q^4}\right)t^4$ &c.

Coroll. 2.

Si ponitur $C = \frac{n^2}{2b}$, fiet $IO = b$, unde curva NI abit in circulum.

Coroll. 3.

Si ex angulo IOA & diſtantia OI quæritur AI & OI, erit $AI = \frac{t\sqrt{C}}{q} - \frac{n^2t^3\sqrt{C}}{12b^3q^3}$ &c. & $OA = b - \frac{n^2t^2}{4b^2q^2} + \left(\frac{n^2C}{16b^4q^4} - \frac{n^4}{48b^5q^4}\right)t^4$ &c. vel in caſu *Coroll.* 1 erit $AI = \frac{t\sqrt{C}}{q} - \frac{f^2t^3\sqrt{C}}{12e^3q^3}$ &c. & $AS = e - \frac{f^2t^2}{4e^2q^2} + \left(\frac{f^2C}{16e^4q^4} - \frac{f^4}{48e^5q^4}\right)t^4$ &c.

§. 3. *Problema.*

Si punctum N celeritate $\sqrt{M}$ ſecundum directionem NM, ad planum mNO obliquam, ad rectam ON tamen perpendicularem, projiciatur, interea vero trahatur verſus O vi $= \frac{n^2}{OL^2}$, ſive quadratis diſtantiarum a puncto attrahente reciproce proportionali, ita ut loco rectæ NM deſcribat curvam NL, invenire curvam NL, hac lege deſcriptam.

Solutio.

1) Ponamus, punctum N hoc motu delatum eſſe in L. Ex hoc puncto L demittatur perpendicularis Ll verſus planum lNO, & puncta l & O jungantur recta Ol, ſitque Ol, ut antea, $= b + Ft^2 + Gt^4$ &c. $lOA = Dt + Et^3$, $LOl = At + Bt^3$ &c.

2) Ex M demittatur perpendiculum Mm verſus planum $lONm$,

$lONm$, hinc, cum inclinatio hujus plani versus lineam MN, sive angulus mNM, data supponatur, celeritas $\sqrt{M}$ solvi poterit in duas alias, unam secundum mM, alteram vero secundum Nm, tendentem, quarum illam $\sqrt{c}$, hanc vero $\sqrt{G}$, vocabimus; respectu directionis NO vero punctum N ut quiescens considerari poterit, quia MN ex hypothesi ad NO perpendicularis est.

3) Ex hisce habetur $Al = \frac{bDt}{r} + \left(\frac{bE + DF}{r}\right)t^3$ &c. &

$$AN = \left(\frac{bD^2}{2r^2} - F\right)t^2 + \left(\frac{EDb}{r^2} + \frac{bD^4}{8r^4} + \frac{FD^2}{2r} - G\right)t^4 \text{ \&c.}$$

(uti in §. 2 n. 7). Ll vero invenitur simili modo $= \frac{Ol.\ sin.\ LOl}{cos.\ LOl}$

$$= \frac{bAt}{r} + \left(\frac{bA^3}{2r^3} + \frac{bB}{r} + \frac{AE}{r}\right)t^3 \text{ \&c.}$$

4) Sit $Ol = y$, $LOl = x$, $lOA = v$. Ergo $OL = ry : \sqrt{(r^2 - x^2)}$.

5) Jam vero vis OL est $= n^2 : OL^2$ (ex hyp.). Ergo vis $OL = n^2 (r^2 - x^2) : r^2y^2$ (n. 4).

6) Divisa itaque vi OL in duas alias, nimirum perpendicularem Ll & parallelam Ol, erit vis $Ll = n^2x\ (r^2 - x^2) : r^3y^2$ vis Ol vero $= n^2\ (r^2 - x^2)^{3:2} : r^3y^2$.

7) Vis lO denuo solvatur in unam perpendicularem lA & alteram parallelam AO, unde vis $bA = vn^2\ (r^2 - x^2)^{3:2} : r^4y^2$, & vis $AO = (n^2\ (r^2 - x^2)^{3:2} \sqrt{(r^2 - v^2)}) : r^4y^2$.

8) Quia igitur $x = At + Bt^3$, $v = Dt + Et^3$, $y = c + Ft^2 + Gt^4$ (n. 1 & 4), erit vis $Ll = \pi = \frac{n^2At}{b^2r}$ &c. vis $lA = P = \frac{n^2Dt}{rb^2}$ &c. & vis $AO = p = \frac{n^2}{b^2} - \left(\frac{n^2D^2b + 3n^2A^2 + 4r^2Fn^2}{2r^2b^3}\right)t^2$ &c.

9) Ergo, cum celeritas secundum lL directa sit $= \sqrt{c} - \int \pi d\ (Ll) =$ (n. 2, 8, & §. 1,) habebitur eodem

modo,

modo, quo in §. *prac. n.* 9 & 10, $A = \frac{r\sqrt{c}}{bq}$, $B = -$
$$\frac{n^2Arz - 6b^3A^3q^2 - 12b^2Ar^2Fq^2}{12b^3r^2q^2}.$$

10) Et, quia celeritas, secundum *Al* tendens, itidem est $= \sqrt{C} - \int Pd\,(Al)$ (§. 1), habebitur iterum, uti in §. *prac. n.* 9 & 10, $D = \frac{r\sqrt{C}}{bq}$ & $E = -\frac{n^2D}{12b^3q^2} - \frac{12q^2DFb^2}{12b^3q^2}$.

11) Denique, cum celeritas secundum *NA* directa sit $= \sqrt{\int pd\,(AN)}$ (§. 1), invenietur eodem modo, quo in §. *prac. n.* 11 & 12, $F = \frac{C}{2bq^2} - \frac{n^2}{4b^2q^2}$ $E = + \frac{n^2\sqrt{C}}{6b^4q^3} - \frac{rC\sqrt{C}}{2b^3q^2}$, &
$$G = \frac{5n^2Cb - 6C^2b^2 + 3n^2r^2cb - n^4}{48b^5q^4}.$$

12) Unde, substitutis valoribus *A* & *F* in valore *B*, *n.* 9 invento, erit $B = \frac{n^2r\sqrt{c}}{6b^4q^3} - \frac{rc\sqrt{c}}{2b^3q^3} - \frac{rC\sqrt{c}}{2b^3q^3}$.

13) Habetur ergo
$$LOl = \frac{rt\sqrt{c}}{bq} + \left(\frac{n^2r\sqrt{c}}{6b^4q^3} - \frac{rc\sqrt{c}}{2b^3q^3} - \frac{rC\sqrt{c}}{2b^3q^3}\right)t^3 \text{ \&c.}$$
$$lOA = \frac{rt\sqrt{C}}{bq} + \left(\frac{n^2r\sqrt{C}}{6b^4q^3} - \frac{rC\sqrt{C}}{2b^3q^2}\right)t^3 \text{ \&c.}$$
$$lO = b + \left(\frac{br^2C}{2r^2b^2q^2} - \frac{n^2}{4b^2q^2}\right)t^2 + \left(\frac{5n^2Cb - 6C^2b^2 + 3n^2r^2cb - n^4}{48b^5q^4}\right)t^4 \text{ \&c.}$$

& consequenter curva desiderata. Q. E. I.

§. 4. *Problema.*

Si puncta *N* & *O* eodem momento projiciantur ita, ut illud tendat secundum perpendicularem *Nm* celeritate $\sqrt{C}$, hoc vero moveatur in circulo *OTS* celeritate $\sqrt{g}$, punctum *O* vero, dum movetur in arcu *OT*, attrahat punctum *N* in ratione

tione reciproca quadratorum distantiarum a se invicem, invenire curvam Nl, hac lege a puncto N descriptam.

Solutio.

1) Ponamus, punctum N tempore t percurrisse arcum Nl.

2) Ex l demittatur normalis lA versus SN, & sit $lA = Rt + St^3$ &c. OA vero $= b - Vt^2 + Wt^4$ &c.

3) Jam vero, posito $ST = a$, punctum O tempore t & celeritate $\sqrt{g}$ movetur per arcum OT, cujus sinus $= \frac{rt\sqrt{g}}{aq} - \frac{rgt^3\sqrt{g}}{6a^3q^3}$ &c. (per naturam circuli) vel brevitatis causa $= \frac{mt}{r} - \frac{m^3t^3}{6r^3}$ &c.

4) Ergo $TK = \frac{amt}{r} - \frac{am^3t^3}{6r^3}$, & $SK = a - \frac{am^2t^2}{2r^2} + \frac{am^4t^4}{24r^4}$, unde $KO = SO - SK = \frac{am^2t^2}{2r^2} - \frac{am^4t^4}{24r^4}$ &c.

5) Ex T ducatur TC parallela ad SN, unde, cum TK & lA sint normales ad SN, erit $TC = KA$, & $TK = CA$, unde $TC = KO + OA = b + \left(\frac{am^2}{2r^2} - V\right)t^2 + \left(W - \frac{am^4}{24r^4}\right)t^4$ &c. & $lC = lA - CA = lA - TK = \left(R - \frac{am}{r}\right)t + \left(S + \frac{am^3}{6r^3}\right)t^3$ &c.

6) Hinc $Tl = \sqrt{(TC^2 + lC^2)} = b + \left(\frac{am^2}{2r^2} - V + \frac{R^2}{2b} - \frac{amR}{br} + \frac{a^2m^2}{2br^2}\right)t^2$ &c.

7) Jam sit vis $Tl = n^2 : Tl^2$.

8) Hæc vis solvatur in unam perpendicularem lC, vel lA, & alteram parallelam CT, vel AO, unde vis lA erit $= n^2$.

lC

$lC : Tl^3 = P = \frac{n^2(Rr - am)t}{b^3 r}$, &c. (terminos enim ſubſequentes hujus ſeriei in præſenti negligimus, quia iis jam opus non eſt,) & vis CT, vel $AO, = n^2$. $TC : Tl^3 = p = \frac{n^2}{b^2} + \left(\frac{3amRn^2}{rb^4} + \frac{2Vn^2}{b^3} - \frac{am^2n^2}{r^2b^3} - \frac{3n^2R^2}{2b^4} - \frac{3a^2m^2n^2}{2r^2b^4}\right)t^4$ &c.

9) Cum igitur punctum N tempore t motum ſit per arcum Nl, ſive motu compoſito per lineas NA & Al, erit, uti in §. 1, celeritas in l, ſecundum Al directa, $= \sqrt{C - \int Pd(Al)}$, & ea, quæ ſecundum NA directa eſt, $= \sqrt{\int pd(AN)}$.

10) Unde, ſi eodem modo, quo in §. 2, procedatur, & loco m ejus valor ex $n. 3$ ſubſtituatur, invenietur $Al = \frac{t\sqrt{C}}{q} + \left(\frac{n^2\sqrt{g}}{12b^3q^3} - \frac{n^2\sqrt{C}}{12q^3b^3}\right)t^3$ &c. & $OA = b - \frac{n^2t^2}{4b^2q^2} + \left(\frac{n^2C}{16b^4q^4} + \frac{n^2g}{48b^4q^4} + \frac{n^2g(a+b)}{24ab^4q^4} - \frac{n^2\sqrt{Cg}}{8b^4q^4} - \frac{n^4}{48b^5q^4}\right)t^4$ &c. Q. E. I.

Scholion.

Eodem modo, quo in §. 3, facile etiam inveniri poteſt curva, ſi punctum N non in plano $lTSONm$, ſed ſecundum rectam NM, verſus dictum planum ſub angulo MNm inclinatam, projicitur.

§. 5. *Problema.*

Si punctum N projiciatur celeritate $\sqrt{C}$ ſecundum Nm, perpendicularem ad SN, in hac vero linea SN ſint duo puncta S & O quieſcentia, & punctum N in ratione reciproca quadratorum diſtantiarum attrahentia, invenire curvam Nl, a puncto N hac lege deſcriptam.

Solutio.

1) Ponatur, ut ante, $lA = Rt + St^3$ &c. $OA = b - Vt^2 + Wt^4$ &c. $SO = a, ON = b, a + b = e$. Ergo $SA = SO + OA = e - Vt^2 + Wt^4$ &c.

2) Hinc

2) Hinc $IO = \surd(AI^2 + OA^2) = b + \left(\frac{R^2}{2b} - V\right)t^2$ &c.

$IS = \surd(SA^2 + IA^2) = e + \left(\frac{R^2}{2e} - V\right)t^2$ &c.

3) Jam vero vis IS est $= f^2 : SI^2$ (§. 2 Cor. 1); ergo vis IA, quatenus ab attractione puncti S oritur, est $= f^2. AI : SI^3 = \frac{f^2Rt}{e^3}$ &c. & vis $AS = f^2. AS : SI^3 = \frac{f^2}{e^2} + \left(\frac{2Vf^2}{e^3} - \frac{3R^2f^2}{2e^4}\right)t^2$ &c.

4) Similiter vis IA, quatenus ab attractione puncti O oritur, est $= n^2. IA : OI^3 = \frac{n^2Rt}{b^3}$ &c. & vis $AO = n^2. OA : OI^3 = \frac{n^2}{b^2} + \left(\frac{2Vn^2}{b^3} - \frac{3R^2n^2}{2b^4}\right)t^2$ &c.

5) Ergo vis IA, ab attractione utriusque puncti S & O oriunda, est $= \left(\frac{f^2.R}{e^3} + \frac{n^2R}{b^3}\right)t$, &c. $= P$, & vis $AS = \frac{f^2}{e^2} + \frac{n^2}{b^2} + \left(\frac{2Vf^2}{e^3} - \frac{3R^2f^2}{2e^4} + \frac{2Vn^2}{b^3} - \frac{3R^2n^2}{2b^4}\right)t^2$ &c. $= p$.

6) Jam vero quadratum celeritatis in I, quatenus secundum AI directa est, habetur $= C - \int Pd(AI)$ (§. 1). Ergo $dt = \frac{qd(IA)}{\surd C - \int Pd(IA)}$ (§. cit.) unde habetur eodem modo, quo in §. 2 n. 9 & 10, $R = \frac{\surd C}{q}$, $S = \frac{-f^2\surd C}{12e^3q^3} - \frac{n^2\surd C}{12b^3q^3}$.

7) Similiter est celeritas, secundum NA directa, $= \surd\int pd(AN)$. Ergo iterum, quia lineae AI & NA eodem tempore, quo arcus NI, percurruntur, $dt = \frac{qd(AN)}{\surd\int pd(AN)}$ (§. 1),

E unde

unde invenitur eodem modo, quo in §. 2 n. 11 & 12, $V = \frac{f^2}{4c^2q^2} + \frac{n^2}{4b^2q^2}$, & $W = \frac{n^2C}{16b^4q^4} - \frac{f^4}{48c^5q^4} - \frac{f^2n^2}{48c^3b^2q^2} + \frac{f^2C}{16c^4q^4} - \frac{f^2n^2}{48c^2b^3} - \frac{n^4}{48b^5q^4}$.

8) Ergo $AI = \frac{t\sqrt{C}}{q} - \left(\frac{f^2\sqrt{C}}{12c^3q^3} + \frac{n^2\sqrt{C}}{12b^3q^3}\right)t^3$ &c.

& $OA = b - \left(\frac{f^2}{4c^2q^2} + \frac{n^2}{4b^2q^2}\right)t^2 + \left(\frac{n^2C}{16b^4q^4} - \frac{f^4}{48c^5q^4} - \frac{f^2n^2}{48c^2b^2q^2} + \frac{f^2C}{16c^4q^4} - \frac{f^2n^2}{48c^2b^3} - \frac{n^4}{48b^5q^4}\right)t^4$, &c.

nec non $SA = SO + OA = c - \left(\frac{f^2}{4c^2q^2} + \frac{n^2}{4b^2q^2}\right)t^2 + \left(\frac{n^2C}{16b^4q^4} - \frac{f^4}{48c^5q^4} - \frac{f^2n^2}{48c^3b^2q^4} + \frac{f^2C}{16c^4q^4} - \frac{f^2n^2}{48c^2b^3q^4} - \frac{n^4}{48b^5q^4}\right)t^4$ &c. Q. E. I.

Corollarium.

Si attractio puncti S cessat, fiet $f = o$, unde $AI = \frac{t\sqrt{C}}{q} - \frac{n^2t^3\sqrt{C}}{12b^3q^3}$ &c. & $CA = b - \frac{n^2t^2}{4b^2q^2} + \left(\frac{n^2C}{16b^4q^4} - \frac{n^4}{48b^5q^4}\right)t^4$ &c. uti supra §. 2 *Coroll.* 3 pro ellipsi invenimus. Idem evenit, si attractio puncti O cessare supponitur.

Scholion.

Hactenus casus simpliciores consideravimus. Punctum enim N, in motu constitutum, attrahitur, aut ab unico puncto, v. g. O, aut a pluribus, v. g. O & S. Si illud, punctum O aut plane quiescit, (uti in §. 2,) aut movetur in curva quadam, v. g. circulo OT (uti in §. 4). Sin vero hoc, nimirum si a duobus punctis attrahatur, aut utrumque quiescit, (uti in §. *praes.*) aut alterutrum, v. g. O, movetur in cur-

curva quadam, e.g. circulo OT. (Illo enim casu, in quo neutrum punctum attrahens quiescit, in praesenti opus non est.) Posteriorem casum in §. seq. considerabimus. Et, cum hic iterum duae possibiles sint hypotheses, siquidem punctum N aut projicitur secundum rectam Nm, cum punctis TSO in eodem plano sitam, aut secundum rectam NM, dicto plano in sublimi positam, qualem casum jam §. 5 consideravimus, missa priori hypothesi, de posteriori tantum agemus, & simul, uti in casibus praecedentibus, supponemus, rectam NM lineae SON perpendiculariter insistere.

§. 6. *Problema.*

Si punctum N projicitur secundum NM, plano $TSONm$ in sublimi positam, celeritate $\sqrt{v}$, & attrahatur a punctis duobus, scilicet uno quiescente S, & altero in circulo OT moto T, in ratione inversa quadratorum distantiarum, invenire arcum NL, hac lege tempore t descriptam.

Solutio.

1) Ex puncto L, quo punctum N tempore t delatum est, demittatur perpendiculum Ll versus planum $SONT$, eo usque continuatum, & ex l ducantur rectae lS, lT, nec non perpendicularis lA versus rectam SN.

2) Ponatur sinus anguli $lSA = Dt + Et^3$ &c. $LTl = At + Bt^3$ &c. $SN = e$, $ON = b$, et $SL = e + Ft^2 + Gt^4$ &c. et ponatur punctum L a puncto S tantum distare, ut Ll respectu SL negligi possit, quare SL & Sl pro aequalibus haberi poterunt.

3) Quia TO ex hypothesi est circulus, ponatur ejus semidiameter $ST = a$, et celeritas, qua punctum O in circulo OT movetur, $= \sqrt{g}$, unde ex natura circuli et tempore t, quo arcus TO percurritur, habetur sinus $TSK = \frac{rt\sqrt{g}}{aq} - \frac{rt^3g\sqrt{g}}{6a^3q^3}$ &c. vel, si $\frac{r\sqrt{g}}{aq}$ brevitatis gratia ponitur $= m$, erit sinus $TSK = mt - \frac{m^3t^3}{6r^2}$ &c.

4) Ergo $TK = \frac{amt}{r} - \frac{am^3t^3}{6r^3}$ &c. & $SK = a - \frac{am^2t^2}{2r^2}$ &c.

5) Quia $lSA = Dt + Et^3$ &c. & $Sl = e + Ft^2 + Gt^4$ &c. (n. 2), erit $Al = \frac{eDt}{r} + \left(\frac{eE}{r} + \frac{DF}{r}\right)t^3$, &c. & $AS = e + \left(F - \frac{eD^2}{2r^2}\right)t^2 - \left(\frac{EDe}{r^2} + \frac{eD^4}{8r^4} + \frac{FD^2}{2r^2} - G\right)t^4$ &c. unde $AN = SN - SA = e - SA = \left(\frac{eD^2}{2r^2} - F\right)t^2 + \left(\frac{EDe}{r^2} + \frac{eD^2}{8r^4} + \frac{FD^2}{2r^2} - G\right)t^4$ &c.

6) Ergo, si TC ducitur parallela ad SN, erit, ob TK & lA perpendiculares ad SN, $lC = lA - CA = lA - TK = \left(\frac{eD}{r} - \frac{am}{r}\right)t + \left(\frac{Ee}{r} + \frac{DF}{r} - \frac{am^3}{6r^3}\right)t^3$ &c. TC vero erit $= KA = SA - SK = e - a - \left(\frac{eD^2}{2r^2} - F - \frac{am^2}{2r^2}\right)t^2$ &c. vel ob $e - a = SN - SO = ON = b$ (n. 2) erit $TC = b + \left(F + \frac{am^2}{2r^2} - \frac{eD^2}{2r^2}\right)t^2$ &c.

7) Ergo $Tl = \sqrt{(TC^2 + lC^2)} = b + \left(F + \frac{aem^2}{2br^2} + \frac{aeD^2}{2br^2} - \frac{aemD}{br^2}\right)t^2$ &c.

8) Inferatur, ut cos. LTl ad Tl, sic sinus LTl se habet ad Ll, unde invenitur $Ll = \frac{bAt}{r} + \left(\frac{bB}{r} + \frac{AF}{r} + \frac{Aem^2a}{2br^3} + \frac{AaeD^2}{2br^3} - \frac{AaemD}{br^3} + \frac{bA^3}{2r^3}\right)t^3$ &c.

9) Et simili modo invenitur $TL = b + \left(F + \frac{aem^2}{2br^2} + \frac{aeD^2}{2br^2} - \frac{aemD}{br^2} + \frac{bA^2}{2r^2}\right)t^2$ &c.

10) Jam vero vis, qua L versus T trahitur, ex hypothesi est $= n^2 : TL^2$, quae si solvatur in unam perpendicularem Ll.

Ll, & alteram parallelam Tl, erit illa $= n^2 . Ll : Tl^3 = \frac{n^2 bAt}{b^3 r}$ &c. hæc vero $= n^2 . Tl : TL^3 = \frac{n^2}{b^2} + (\frac{2aemDn^2}{b^4 r^2} - \frac{2Fn^2}{b^3} - \frac{aem^2n^2}{b^4r^2} - \frac{aeD^2n^2}{b^4r^2} - \frac{3A^2n^2}{2b^2r}) t^2$ &c. $= \phi$.

11) Hæc vis denuo solvatur in duas alias lC & TC, quarum illa invenitur ob angulum ad C rectum, $= \phi . lC : Tl = \frac{n^2}{b^3} (\frac{eD}{r} - \frac{am}{r}) t$ &c. hæc vero $= \phi . TC : Tl = \frac{n^2}{b^2} + (\frac{3aemn^2D}{b^4r^2} - \frac{2Fn^2}{b^3} - \frac{3aem^2n^2}{2b^4r^2} - \frac{3aeD^2n^2}{2b^4r^2} - \frac{3A^2n^2}{2b^2r^2} + \frac{n^2am^2}{2b^3r^2} - \frac{n^2eD^2}{2b^3r^2}) t^2$ &c.

12) Similiter vis, qua punctum L versus S trahitur, ex hypothesi est $= f^2 : SL^2 = f^2 : Sl^2$ (n. 2).

13) Ergo, si hæc itidem resolvitur in tres alias Ll, lA, & AS, erit ista $= \frac{f^2 bAt}{re^3}$ &c. illa $= \frac{f^2 Det}{re^3}$ &c. hæc $= \frac{f^2}{e^2} - (\frac{2Ff^2}{e^3} + \frac{ef^2D^2}{2r^2e^3}) t^2$ &c.

14) Combinatis igitur hisce viribus, quatenus ab attractione utriusque puncti S & T oriuntur, erit vis $Ll = (\frac{n^2 A}{b^2 r} + \frac{f^2 bA}{re^3}) t$, &c. $= \pi$, vis $lA = (\frac{eDn^2}{b^3 r} - \frac{amn^2}{b^3 r} + \frac{f^2 D}{re^2}) t$ &c. $= P$, & vis AS denique $= \frac{n^2}{b^2} + \frac{f^2}{e^2} + (\frac{3aemn^2D}{b^4r^2} - \frac{2Fn^2}{b^3} - \frac{3aem^2n^2}{2b^4r^2} - \frac{3aeD^2n^2}{2b^4r^2} - \frac{3A^2n^2}{2b^2r^2} + \frac{an^2m^2}{2b^3r^2} - \frac{en^2D^2}{2b^3r^2} - \frac{2Ff^2}{e^3} - \frac{ef^2D^2}{2r^2e^3}) t^2$ &c. $= p$.

15) Inventis igitur potentiis, punctum N, secundum NM projectum, in arcu NL retinentibus, facile etiam habentur ce-

leritates, quibus punctum *L* ſecundum *IL*, *Al*, & *NA*, movetur.

16) Cum enim celeritas projectionis in *N* data ſit $= \sqrt{v}$ (ex hyp.) & cognita quoque ſupponatur inclinatio lineæ *NM* verſus planum *OSTNm*, ex angulo *mNm* habentur celeritates, in quas celeritas $\sqrt{v}$ reſolvi poteſt, quarum una tendit ſecundum *mM*, & quæ ſit $= \sqrt{c}$, altera vero directa eſt ſecundum *Nm*, & quam ponemus $= \sqrt{C}$.

17) Quibus ſuppoſitis, celeritas *IL* erit $= \sqrt{c - \int \pi d(LI)}$ (*n.* 14 & *§.* 1), & $dt = \frac{qd(LI)}{\sqrt{c - \int \pi d(LI)}}$ (*ibid.*) unde habetur eodem modo, quo in *§.* 3 *n.* 9, $A = \frac{r\sqrt{c}}{bq}$, $B = \frac{f^2 r\sqrt{c}}{4b^2c^2q^3} + \frac{n^2 r\sqrt{c}}{4b^4q^3} - \frac{rf^2\sqrt{c}}{12bc^3q^3} - \frac{rC\sqrt{c}}{2b^3q^3} + \frac{r\sqrt{Ccg}}{b^3q^3} - \frac{crg\sqrt{c}}{2b^3aq^3} - \frac{rc\sqrt{c}}{2b^3q^3}$.

18) Unde habetur *LTl*, quippe quod ex hypotheſi eſt $= At + Bt^3$ &c.


19) Similiter celeritas *Al* eſt $= \sqrt{C - \int Pd\,(Al)}$ (*n.* 14 & *§.* 1), unde invenitur eodem modo, quo in *§.* 2 *n.* 9 & 10, $D = \frac{r\sqrt{C}}{cq}$ $E = \frac{rn^2\sqrt{g}}{12b^3cq^3} + \frac{rf^2\sqrt{C}}{6c^4q^3} + \frac{rn^2\sqrt{C}}{4c^2b^2q^3} - \frac{rn^2\sqrt{C}}{12b^3cq^3} - \frac{rC\sqrt{C}}{2q^3c^3}$.

20) Ergo habetur angulus *lSA*, quippe qui ex hypotheſi eſt $= Dt + Et^3$ &c.

21) Denique celeritas *AN* eſt $= \sqrt{\int pd(AN)}$ (*n.* 14 & *§.* 1), unde invenitur eodem modo, quo in *§.* 2 *n.* 11 & 12, $F = \frac{C}{2cq^2} - \frac{f^2}{4c^2q^2} - \frac{n^2}{4b^2q^2}$ & $G = \frac{n^2c}{16b^4q^4} + \frac{n^2C}{16b^4q^4} + \frac{n^2g}{48b^4q^4} + \frac{cn^2g}{24b^4q^4a} + \frac{n^2\sqrt{Cg}}{12cb^3q^4} + \frac{5f^2C}{48c^4q^4} + \frac{n^2C}{8cb^2} - \frac{f^4}{48c^5q^4} - \frac{n^2f^2}{48c^3b^2q^4} - \frac{n^2\sqrt{Cg}}{8b^4q^4} - \frac{n^2f^2}{48c^2b^3q^4} - \frac{n^4}{48b^5q^4} - \frac{n^2C}{12cb^3q^4} - \frac{C^2}{8c^3q^4}$.

22) Ergo habemus etiam *SL*, quippe quod ex hypotheſi eſt $= e + Ft^2 + Gt^4$ &c. Q. E. I.

TAB. I ad Nov. Act. Erud. A. 1753 Mens. Januar. pag. 39.



Scholion 1.

In aprico est, ni fallor, curvam, in *Paragrapho* præsenti inventam, esse orbitæ lunaris speciem. Speciem dico; cum enim curvam *TO* circularem, nec non angulum *MNS*, quem tangens orbitæ lunaris in *N* cum linea syzygiorum *SON* intercipit, tanquam rectum, & nodum in ipsas syzygias incidere supposuerimus; quilibet facile perspiciet, tot possibiles esse species orbitæ lunaris, quot dantur modi, quibus hæ hypotheses variari possunt.

Scholion 2.

Atque hæc quidem sunt, quæ in præsenti de hacce materia proponere placuit. Equidem haud dubito, fore, qui applicationem specialiorem formulæ nostræ ad motum lunæ desideraverint; sed nec vacat, nec lubet, huic Problemati tantum impendere operæ, cui temporibus nostris pretium non est. Fundamenta igitur proposuisse contenti, ulteriorem ejus elaborationem otiosioribus relinquimus, & quoad applicationem illud tantum monemus, quod facilius curva quæsita inveniatur, si ex quantitatibus inventis *SI*, *ST*, *ISA*, *TSO*, eruatur angulus *ITD*, sive elongatio lunæ a linea syzygiorum ad eclipticam reducta, & hicce angulus loco temporis *t* in series, supra inventas, inducatur; quod enim si fit, & si series saltem ad quartum usque terminum continuatur, habebitur series, per quam locus lunæ ab oppositione in *N* usque ad proximam quadraturam, &, si loco $+\sqrt{C}$ substituitur $-\sqrt{C}$, a quadratura proxime antecedente usque ad oppositionem in *N*, inveniri potest, modo hæcce celeritas, quod in genere notandum, præter celeritatem, qua luna circa terram volvitur, etiam istam comprehendat, qua luna simul cum terra circa solem *S* movetur, & cujus directio in *N* parallela esse debet isti, qua terra in *O* gaudet.

Ad hanc Observationem pertinet *Tabula*, quæ huic *Mensi* adjecta est, in æs incisa. TAB. I.

ANIMADVERSIONUM PHILOLOGICARUM ET criticarum ad varia S. Codicis utriusque Fœderis loca, Autore JO. DIETERICO WINCKLERO, D. Pars altera.

Hil-

Hildesiæ, sumtibus hæredum B. Schrœderi, 1752, 8.
Plag. 20.

Indefesso pergit studio Venerabilis Autor testimoniis sanctiorum tabularum, doctiorum Virorum industriam exspectan-
Pag. 176. tium, lucem affundere, in *prima* statim Commentatione, quæ est, ex ordine *prioris Partis, prima & vigesima*, ad *Genes. XLIII, 32*, se convertens, ubi in causas inquirit, cur Ægyptiis cum Hebræis victu eodem uti haud licuerit. Ample *Josephus*, cum fratri-
186. bus, utpote peregrinis atque alienigenis, nec eum fratrem agnoscentibus, minime comedens, excusatur, quod vel prudentiæ regula id ipsum jusserit. Nulla igitur eo nomine in *Josephum* Patriarcham accusatio juste cadere potest, etsi secus visum nonnullis, inprimis *Morgano, Basnagio, Abelio*, aliisque, quibus ab aliis docte responsum. *Ansaldi* deinde opinio confutatur, pu-
201. blice nuper proposita. Denique causas odii Ægyptios inter & Hebræos inde repetit Noster, quod atrocissimus gentis Ægyptiacæ fastus communionem cum Israelitis, utpote vilioris sortis hominibus, haud tulerit. Huic accessit gravissimi ponderis causa, ex *Manethonis* testimonio elicienda, secundum quem Ægyptii quondam pastores quosdam peregrinos tyrannos exper-
203. ti fuerant, atque adeo hoc genus hominum metuebant, ne in discrimen res sua publica veniret. Conjungitur cum hac disquisitione alia, *vigesima* scilicet *secunda*, ad eundem *Jo-*
209. *sephum* referenda, & ad illustrandum *Ps. CV, 22*, accommodata. Putant nonnulli, Psalmisten ibi exponere *Josephi*, circa puriorem religionem in Ægypto, curam. At rectius Autori Venerabili sapere videntur illi, qui hunc locum saltem de pru-
212. dentia *Josephi* civili, & ingenii ad recte constituendam, riteque administrandam, pro istorum temporum conditione, rempublicam, dexteritate, accipiunt; ubi tamen negari nequit, *Jose-*
215. *phum* partibus suis, ad veram religionem in Ægypto promovendam, & superstitionem ingruentem destruendam, minime fuisse defuturum. Sequens *vigesima tertia* Animadversio spicilegium rerum *Pauli* atque *Barnabæ*, inter Lystrenses gesta-
217. rum, exhibet, in quo colligendo Noster eo potissimum curam intendit suam, ut rationes constituat firmissimas, ex quibus appareat, Lystrenses tum demum, ubi miraculum in claudi-

can-

eante quodam homine peractum fuerat, *Paulum* ideo nominasse *Mercurium*, & *Barnabam Jovem*, quia putaverint, *Jovem*, Numen illud summum, minus operari, sed cessare ac quiescere semper a labore, idque cum *Barnaba*, quiete adstante ac tacente, commode visum sit convenire; e contrario *Mercurium* pro filio ac ministro *Jovis* habuerint, & inde, tale quid in *Paulo* docente, & miracula patrante, recte se invenisse, judicaverint. Ampla hinc exhibetur Commentatio Pag. 225.
ad *2 Petr. I, 2, 3, 5*, contra *Pætzingeri* philologicam hariolationem directa, qua is nova ratione locum *Petrinum* explicare, & difficultatibus insitis liberare, studuerat. Huic nempe explicationi modestas Cel. Autor animadversiones opposuit. *Vigesima quinta* observatio sub censuram vocat 277.
verba *Pauli 1 Cor. V, 9*: ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ Diversa ratione hæc verba ab interpretibus accipiuntur, nec, qualis hic sit intelligenda Epistola, de qua *Paulus* loquitur, satis inter eruditos constat viros. Venerabilis Autor illud inprimis agit, ut dissensum suum a *Polemanni* sententia declaret, quam is nuperrime publice, ex *Lightfooti* autoritate, 284.
professus fuerat. Inveniunt hic Lectores omnia *Polemanni* argumenta solide discussa. Post hæc Autor Noster in locum 301.
1 Cor. XV, 32, paulo curatius inquirit, ubi variæ primo recen- 303.
sentur interpretum sententiæ, ad tres fere classes referen- 312.
dæ; deinde rationes afferuntur præponderantes, ex quibus patet, *Paulum* vere, quod & vocabulum Græcum, & connexio textus, quin etiam aliæ res circumstantes, doceant, Ephesi bestiarum insultui corpus vitamque objicere, summumque vitæ periculum adire, coactum esse; denique, ut hæc explicatio 317.
ab omnibus liberetur difficultatibus, eorum argumenta fortiter refutantur, qui hic metaphoricam cum bestiis pugnam in- 332.
telligunt. Nec diffitendum est, præclare hic Autorem res egis- 335.
se suas. Finem dicendorum Noster in hac Dissertatione facit, tribus saltem verbis monendo, percommode posse hanc de vera *Pauli* cum bestiis lucta sententiam ad varia alia ejusdem divini scriptoris testimonia applicari, & verum inde interpretationis rectæ fundamentum repeti, v. g. *1 Cor. IV, 9*,

2 Tim. IV, *17*. Data hac occasione, Venerabilis Autor vocabuli θηρίον notionem metaphoricam in sequente Commentatione *vigesima septima* ornandam atque amplificandam
Pag. 346. sibi sumit. Multa hinc eleganter de propria hujus vocabuli significatione commemorantur, & deinde ex his colligitur, metaphoricae hujus vocabuli notioni, in scriptoribus tam profanis, quam sacris, obviae, magnum robur & insignem accedere emphasin, quando homines noxii ac virulenti, serpentibus, viperisque, & aliis bestiis rapacibus, similes, hoc nomine appellantur. Metaphorice ita hoc modo indicatur homo animo moribusque ferinis, quando θη-
351. ρίον appellatur. Brevis nunc sequitur in veram vocabuli Hebraici כומז notionem inquisitio. Docet hic Cel. Autor, ornamentum foemininum hoc nomine venire, vocem autem נזם *Genes. XXXV*, *4*, & *Exod. XXXII*, *2*, *3*, aurium insigne decus,
353. *Proverb.* autem *XI*, *22*, & *Jes. III*, *21*, nasi ornatum, designare, qualis quidem, ut nonnulli monent scriptores, inter Hebraeos quondam obtinuit. Quae sententia pluribus ex opere quodam *Dassoviano*, adhuc inedito, corroboratur. Expli-
356. catio textus *Paulini Rom. VI*, *19*, in *vigesima nona* observatione suscipitur, ubi per ἀνθρώπινον λέγω S. Rev. Autor intelligit, cum aliis interpretibus, id, quod secundum opiniones, mores, & constitutiones, hominum plerumque fit. Convenit hoc
361. etiam cum Apostoli scribendi modo, ubi res grandes & praeclaras verbis, ad captum legentium accommodatis, propriis, & in vulgus notis, describit, ut etiam rudes & plebeji homines, qui tempore conscripti Novi Testamenti vixerunt, certam de mysteriis fidei sententiam inde haurire potuerint. Sed quid est illud, quod *Paulus* sub *imbecillitate carnis*
366. in allegato loco intelligit? Varia doctorum hac de re est sententia. Optime tamen rei consuli putatur, si, sub illa omnes tres infirmitatis humanae classes, seu genera et intellectus, et voluntatis, et affectuum, a *Paulo* innui, affir-
367. metur. Ad aliud Codicis sacri testimonium, scilicet
378. *Matth. VIII*, *6*, occurrens, pergit Autor Celeberrimus, et,
379. post varia, de vocabulo κύριος et *Jehova*, dicta, ostendit

dit præclare, hoc vocabulum, vi etymi, dominum, autoritate præditum, designare, et hinc patere, quam digne tam in Veteri, quam Novo, Instrumento Deus & Servator noster appelletur κύριος, dum κατ' ἐξοχὴν *summa pollentem autoritate* ac potestate Deum notat, honore prosequendum summo, qualis nulli debetur enti creato. Observatio *trigesima* Pag. 382.
prima, ad *2 Sam. VII, 18*, eos contra doctos viros est conscripta, qui ex hoc testimonio divino colligunt, posteris *Davidis* sedendi privilegium in atrio templi competere. No- 384.
minatim contra *Jo. Christiani Hebenstreitii*, Theologi Lipsiensis, Programma quoddam, hac de re compositum, Commentatio ista est directa, ubi etiam integra doctissimi *Ebelingii* inserta est Exercitatio, hoc super argumento scripta, 401.
& ad Autorem nostrum transmissa, quæ omnem hujus regii privilegii causam vanam atque irritam reddit. Pergit deinde Autor noster ad aliud testimonium sanctius pertractandum, quod *Paulus Galat. III, 1*, exhibet. Anxie ibi in- 422.
terpretes de vocabulo βασκαίνειν fuerunt solliciti. Idem illud esse, quod φάεσι καίνειν, *oculis occidere*, in *Etymologico magno* traditur. Hinc nempe interpretes multi *fascinandi* notionem sibi invenisse visi sunt; alii aliam. Autoris vero 429.
ex sententia hæc notio non plane est deserenda, quia optime ea convenit tum artibus, quibus ad fallendos Galatas, ad Christianam fidem conversos, utebantur falsi doctores, præstigiatoriis, tum metaphoræ, a *Paulo* Apostolo adhibitæ, de Christo, ob oculos Galatarum, quasi pictoris penicillo, posito. Denique etiam Autor contra *Schwartzium* aliosque dispu- 433.
tat, qui alienam huic loco attribuunt significationem. In 440.
sequenti observatione *trigesima tertia*, ad *Matth. IX, 8*, Au- 442.
tor disquirit, quid per ἐξουσίαν hoc in loco a populo intelligatur; num peccati remittendi pariter, ac paralyticum sa- 454.
nandi, potestas, an vero posterior tantum. Deinde inquirit, quid hæc phrasis sibi velit, qua, dedisse hominibus hanc potestatem Deum, populus prædicat. Simul etiam Noster sententias aliorum hac de re examinare studet. Postea *tri-* 472.
gesima quarta Commentatiuncula, ad *Exod. VIII, 16*, voca-

g. 476. bulo כנים interpretando est dicata. Non pedicu-
lum, sed vermiculum potius, ligna erodentem, hoc
477. vocabulum designare, ex Græca Versione septuagintavirali
Autor confirmat, & deinde tradit, ex re ipsa constare, vo-
cabulum hoc Hebræum de volanti insecto esse intelligen-
478. dum. Agmen denique claudit observatio, ad *Marc. VII, 4, 8, trigesimo quinto* loco instituta, ubi de vocabulo ξέστης plurima docte differuntur. Totum libellum testem amplæ doctrinæ Cel. Autoris, & studii sanctioris philologici, esse, unicuique cordato & diligenti Lectori, vel leviter inspicienti, patebit.

DISCOURS, QUI A REMPORTÉ LE PRIX A L'ACADEMIE DE DIJON EN L'ANNÉE MDCCL, &c.

hoc est,

DISSERTATIO, CUI DECRETUM EST PRÆMIUM ab Academia Divionensi anno MDCCL, de quæstione illa, quam proposuit eadem Academia: An scientiarum & artium instaurationi debeatur ipsa morum emendatio, Autore Cive quodam Genevensi.

Genevæ, apud Barillotum & filium, 1751, 8.
Plag. 4.

Divionensis Academia quæstionem: *Num instauratio literarum aliquid contulerit ad morum castitatem integritatemque*, eruditis viris, in qua certarent solvenda, proposuerat. Quæ ut apprime cum generis humani prosperitate conjuncta est, ita ad eam decernendam non ingenium modo, sed studium inprimis, doctrina, opera, & cura summa, requiritur, ne quid temere, quod tanquam securim injiciat rebus hominum, statuatur. Interim hæc, de qua nunc agimus, Commentatio palma est, ab Academia illustri, digna habita, atque famam magnam vel ab ipsa reprehendentium eam multitudine adepta; quæ res etiam facit, ut nostrum de eadem judicium retinere facile possimus. Ut vero Lectores nostri possint judicare, quomodo provinciam suam administraverit Civis noster Genevensis, quem *J. J. Rousseavium* esse, aliunde constat, quaque ratione in reprehendenda rerum humanarum pulcherri-

ma

ma, doctrina & scientia, versatus sit, argumentum Commentationis, quam possit fieri brevissime, enarrabimus. Ac primo quidem jam in Præfatione desperat, se omnium suffragia laturum; solatur tamen animum suum, quod, nonnullos, reliquis sapientiores, fore, suspicetur, quorum, dubium non sit, quin puncta ferat: quos etiam esse, ait, quibus eum oporteat scribere, qui seculo suo velit superstes esse; non autem hominibus, qui, opinionibus ætatis suæ occæcati, prave judicent. Deinde monet, animum sibi initio fuisse, ita immutare Commentationem suam, ut novum propemodum opus prodiret; abjecisse se tamen illud consilium, ne honoris, ab Academia sibi habiti, parum esse memor videretur. Nonnullis itaque observationibus exceptis, eam ita, docet, in hominum dari manus, ut exhibita esset Academiæ. Quibus præmissis, rem ipsam aggreditur, &, quamvis se literarum rudem esse profiteatur, tamen, *instaurationem literarum mores videri corrupisse*, ait, eaque in re non tam doctrinæ se detrahere, quam virtutis, omni doctrina præstantioris, causam agere, existimat, neque ab Academiæ judicio sibi metuendum esse putat, cum reperiantur Principes tam æqui, ut, rebus dubiis, se ipsi fere condemnent. Ad extremum, satis esse, pronuntiat, si vere, & ex animi sui sententia, hac de re judicet, siquidem præmium, quo animus se suus ipse coronet, interverti possit a nemine. Quo facto, sententiam, quam amplexus est, ita probare conatur, ut *priori Orationis parte*, literas quasi serta quædam esse, contendat, quibus vincula ornare soleant, qui aliis servitutis jugum imponerent. Idque ut probabile reddat, Principes fere literarum studiosos fuisse monet, sed eo, quo diximus, consilio. Deinde, in quibus regionibus literarum maxime florerent studia, in iis etiam vitæ cultum esse politissimum, Atheniensium, Romanorum, & Gallorum, exemplo docet; Germanis enim rusticitatem exprobrat, Italosque pantomimos vocat, quam modeste quidem ac vere, nunc non disputamus. A qua vero vivendi consuetudine cum simulacra virtutum, & tot splendida peccata oriantur, se jam confecisse putat, quod voluit probare, a literis nempe morum castitatem plurimum esse detrimenti passam. Illud vero ut appareat, inter homines, priusquam ingenii cultum sumerent, nullam exstitisse simula-

mulationem, atque unicuique alterius sensus patuisse, monet: cum hodie contra suspicionum, simultatum, timoris, terrorum, odii, invidiæ, proditionum, plena sint omnia, atque ista vitia omnia vivendi elegantia & urbanitate, tanquam velo quodam obtento, tegantur. Hac de causa Ægyptios, Græcos, & Romanos, multo meliores ante fuisse, quam literarum luce collustrarentur, ait. Immo Constantinopolin, originem illam literarum, unde doctrinæ ad reliquas Europæ partes, tanquam coloniæ, deductæ sint, luxuria, corruptela, proditionibus, cædibusque, laborasse, ac denique eversam esse. Et, quanquam apud Sinenses tanta in laude dicantur esse artes ingenuæ, ut earum intelligentia viam ad summos honores muniat, illos tamen non omnibus solum vitiis esse obrutos, sed a Tartaris etiam sub jugum missos. Quibus rebus inductus, felices prædicat gentes, quæ, literarum rudes, sua sibi virtute finxissent fortunam, ut Persæ, ut Scythæ, ut Germani veteres, ut Roma ipsa, temporibus iis, quæ propius ab origine urbis aberant, ut alia quædam gens, quæ nostro ævo virtute eminet, (Helvetica sine dubio.) ut feri denique Americæ populi, quibus etiam Spartanorum civitas, in Græciæ sinu, adscribenda videatur. Jam, his, tanquam levis armaturæ militibus, præmissis, in *altera Parte* cominus agit, atque Ægyptiorum opinionem, Deum quendam, quietis humanæ inimicum, scientiarum inventorem esse, quantum potest, propugnat. Docet enim primo, vitiis hominum eas suam debere originem, Astronomiam superstitioni, eloquentiam ambitioni, odio, adulationi, & mendacio, Geographiam avaritiæ, Physicam vanæ curiositati, Philosophiam denique moralem ipsam superbiæ humanæ. Neque vero a vitiis tantum eas ortas esse, sed ne sine vitiis quidem ali. Nihil enim, sine injustitia hominum, valere Jurisprudentiam; neque Historiam, nisi tyranni, bella, & conspirationes, essent. Denique, criteria certitudinis eas nulla habere, judicat, sed erroribus hic obsideri omnia, in quos facile implicentur, qui viam ad eas quærant. Ut vero nascantur a vitiis, ita vicissim eas alere vitia, docet, ac primo irreparabilem temporis jacturam afferre, deinde luxuriam parere, porro virtutis militaris tanquam nervos incidere, ac magnos sensus exstinguere, genium seculi ac saporem publicum corrumpere, a

rerum,

rerum, ſcitu & utilium & neceſſariarum, cognitione nos abducere, noxiarum contra turpiumque imaginibus omnia implere, funeſtum diſcrimen hominum introducere, quippe quod non virtute nitatur, ſed ingenii dotibus, eaque re virtutis ſtudium languidum reddere. Hæc fere ſunt, quæ magna verborum pompa contra literas diſputat, in quibus vero non una ratione peccari, facile Lectores noſtri vident. Nam primo, quanam in re vera cernatur virtus, vel ignoraſſe videtur Autor, vel parum, cum ſcriberet, ſecum cogitaſſe; deinde multa imputat literis, quæ his ita minime adſcribi poterunt, ut inter gentes barbaras, nullaque literarum luce colluſtratas, maxime cognoſcuntur; ac tandem, quibus literis in communi hominum prolapſione carere non poſſumus, quæque, ut nunc eſt noſtra conditio, tolerabiliorem vitam noſtram jucundioremque reddunt, eæ paſſim in hoc opuſculo propterea carpuntur, quod, homine integro, locum habituræ minus fuiſſent. Cur vero virtus militaris tanquam unica, certe præſtantiſſima, laudatur? Sed, plura dicere, neceſſe nunc non eſt, cum *Gautierius* in Diario, *Mercure galant* inſcripto, aliique, jam ſatis in vindicanda literis dignitate ſua elaborarint.

NOVA LITERARIA.

Quæ nuper publico Programmate ſignificata nobis ſunt a docto quadam Poloniæ Geographo, ejusdem verbis hic Lectorum cauſa repetenda duximus:

Dudum eſt, quod deſiderata fuerit ab eruditis præprimis Matheſeos & Geographiæ fautoribus accurata regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, geographica deſcriptio; &, hanc hodienum deſiderari, aut ſaltem nondum publici juris factam eſſe, licet vicina Ruſſia & Bohemia, imo & Sileſia, præiverint, pauci ſunt, qui ignorant. Ea motus ratione Illuſtriſſimus quidam literarum Patronus, qui colligendo elegantiſſimam ſupellectilem geographicam, in qua ſunt fere omnes Mappæ geographicæ regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ ad hunc usque diem in æs inciſæ, & plus quam quadraginta Tabulæ diverſarum dicti regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Provinciarum penna delineatæ, multos annos conſumſit, multam operam, multum æris, impendit, ope hujus ſuæ collectionis, patriam, regnum Poloniæ, accuratiſſimis, quantum fieri poteſt,

Ta-

Tabulis, conspectum regni, ac Magni Ducatus Lithuaniæ, cum confiniis, exhibentibus, donare consilium cepit. Quare nunc id agit, ut nitidissime depicta, & in unum corpus, aut, si velis, Atlantem Polonicum, *redacta, Chalcographo ad incidendum in ære tradantur. Commisit hanc curam generoso Domino* Deutsch, *Capitano Regio, & Geometræ jurato, hujus rei valde perito, qui jam ipse, ubi lacunam in Tabulis, aut dubium situm, invenit, sæpius loca adiit, ibique præsens Tabulas secum habitas supplevit, aut correxit, id quod etiam adhuc facturus est, si necessitas postulaverit. Instituti vero ratio hæc est: Dabuntur sedecim Tabulæ, quas dicunt, speciales, & una generalis; forma erit ordinaria, quam Mappis geographicis dare solent, & totum opus, ad quod absolvendum abhinc integrum biennium requiritur, bis septendecim Tabulis constabit, adjecto brevi elencho, qui inserviet, ut unusquisque statim scire possit, quam partem Poloniæ, aut Lithuaniæ, quævis Tabula ante oculos ponat. Ut autem sumtibus suppeditandis, qui non parvi erunt, sufficere possit prædictus Generosus Capitanus* Deutsch; *placuit modus subscriptionis, alioquin etiam usitatus in ejusmodi rebus, ea lege, ut unumquodque exemplar subscribenti non pluris, quam octo aureis, constet, quorum quatuor prænumerando statim solvet nominato Generoso Capitano* Deutsch, *& ab eo confessionem factæ prænumerationis accipiet, reliquos quatuor tunc demum tradet, quando exemplar suum tenebit. Postea, expleto, qui visus fuerit, subscribentium numero, nullum exemplar infra duodecim aureos vendetur, &, ut innotescant eorum nomina, qui subscriptione perficiendo operi subvenere, post titulum operis singulatim indicabuntur. Celebriorum etiam Poloniæ & Germaniæ Urbium Bibliopolis mandabitur, subscriptiones accipere, & super his validas confessiones, seu majus, prænumerationis schedulas, dare, id quod proxime Novellis publicis notum fieri curabitur. Ceterum unusquisque fiduciam habeto, nil neglectum iri, quod vel ad plenissime instruendum, vel ad ornandum, vel ad purificandum mendis, opus requiri poterit, & invitantur omnes rei geographicæ Fautores, ut, si quid habent, quod promovendo, aut perfectius edendo, operi conducere putant, id humanissime communicare velint.*

Dabatur Varsaviæ mense Septembri A. 1752.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Februarii Anno MDCCLIII.

THESAURUS NUMISMATUM IMPERATORUM priorum XII Morellianus, tribus Tomis in folio comprehensus, & in eum CHRIST. SCHLEGELII, SIGEB. HAVERCAMPI, & ANTON. FRANCISCI GORII, Commentaria. Accedunt Clariss. GORII Descriptio Columnæ Trajanæ, a MORELLIO in æs incisa, nec non TRISTANI, RUBENII, & HARDUINI, interpretationes pretiosissimorum aliquot antiquitatis monumentorum, cum Præfatione PETRI WESSELINGII.

Tomi III.

Amstelædami, sumtibus Jacobi a Wetstein, 1752, fol.
Tom. I Alph. 8 plag. 8, cum Tabb. æn. 12, Tom. II Alph. 6 plag. 8. Tom. III Tabb. æn. 108.

Varia illa asperaque fata, quibus præstantissimus hic *Thesaurus Morellianus* per quinquaginta fere annos expositus fuit, dubium propemodum fecissent, an unquam ille, quantumvis eum expetentibus viris doctis ad unum omnibus, proditurus in lucem esset. *Morellius* ipse, in arduo illo rei numariæ studio nemini secundus, pluribus autem superior, propter diversas calamitates, ternas captivitates, aliaque impedimenta, cum quibus per omnem fere suam vitam, a Clariss. Viro, *Andrea Petro Junianello*, eleganter & diserte descriptam, conflictatus fuit, absolvere tantum opus commode haud poterat. Hinc Celeb. Tom. II in fine.

 Schle-

Schlegelius, rei numariæ pariter peritiſſimus, in vaſti laboris ſocietatem opportune adſcitus, conjunctis cum ipſo *Morellio* viribus, operi quamprimum ſtrenue exequendo ſeſe alacriter accingebat: interea antem ipſe *Morellius*, jam ante quinquaginta annos, vivis exceſſerat. *Schlegelius* autem, in Theſauro numario Gothano ampliſſimo rite ordinando & diſponendo occupatus, tantum ibi moleſti laboris inveniebat, ut alteri illi Theſauro *Morelliano* ultimam manum imponere, ex ſuo quidem voto, haud poſſet: interim tamen, quantum per otium viresque poterat, in illo adornando ſedulo allaborabat, donec & ipſe ante hos triginta annos vita abiret.

Tabulæ igitur iſtæ XII Imperatorum Romanorum priorum æneæ *Morellianæ*, & quicquid ad easdem ſcite explicandas & illuſtrandas collegerat & annotaverat per vitam ſuam *Schlegelius*, hic Lipſiæ, apud *Thom. Fritſchium*, in ſcriniis latuerunt, donec ab Hæredibus *Fritſchianis* ære ſuo apparatum iſtum redimeret bibliopola *Jac. Wetſtenius*, nunc *a Wetſtein* dictus. Tum ab ipſo cura iſta Theſauri illius expoliendi & edendi Clariſſ. *Havercampo* protinus committebatur; ſed aliis ille officii ſui laboribus impeditus, lentius in opere illo exequendo procedebat, donec & ipſum hos ante decem annos fatalis hora ſua rebus humanis eximeret, relicto illo Theſauro, quod jure dolendum, maximam ſui partem imperfecto. Clariſſ. tandem *Dorvillius*, in conſilium advocatus, ad tanti operis, toties interrupti, editionem ex dignitate curandam Illuſtrem *Ant. Franc. Gorium*, Florentinum, rerum antiquarum callentiſſimum, multisque ingentis & molis & eruditionis voluminibus jam dudum celeberrimum, placide invitabat, qui &, mollibus veteris amici imperiis victus, conditionem iſtam arduam demum lubens accipiebat, ut ex ipſius eleganti Epiſtola, ad ipſum
Tom. II *Dorvillium* perſcripta, clarius patet, atque ſic in trium po-
pag. 305. ſteriorum Imperatorum, utriusque nempe *Veſpaſiani* atque *Domitiani*, numos, breviter quidem, at docte tamen, commentabatur. Sed bella inteſtina, interea orta, hincque itinera terra marique intuta facta, atque ipſa inprimis locorum diſſi-

diſſitorum ſpatioſa nimis intervalla, negotium illud, vix ſuſceptum, admodum arduum ac difficile reddebant. Tandem autem, ſuperatis feliciter omnibus illis impedimentis, egregium hocce Opus, maximo rei literariæ commodo, ad finem exoptatum perductum fuit. In *Schlegelii* ergo potiſſimum explicationibus plurimum ubique deprehenditur laboris, diffuſæ lectionis, & accuratæ diligentiæ, adeo, ut, ſi verum dicere liceat, illis ex merito præ reliquis omnibus prima palma ſit tribuenda. *Havercampus* autem, diverſam plane ac faciliorem ab illa *Schlegelii* operoſiore viam ingreſſus, *Triſtani* inprimis aliorumque potius ſententias & opiniones adducit, quam ſuas, ne mutata quidem ſæpiſſime, qua illi uſi paſſim fuerant, dialecto peregrina, quod & recte animadvertit Celeb. *Weſſelingius*. Clariſſimi denique *Gorii*, *Havercampi* veſtigiis maximam partem alias inhærentis, eximia eruditio & in re numaria inſignis peritia, dudum notiſſima, nec hic deſideratur; quamvis nonnihil contra ipſum, circa veram explicationem & lectionem numi cujusdam rarioris, in *Domitianum* a Tianis in Bithynia percuſſi, cum inſcriptione: *Ζευς συργαστης*, modeſte moneat laudatiſſimus modo *Petr. Weſſelingius*, in doctiſſima & elegantiſſima Præfatione, huic Theſauro ſplendide præmiſſa, ex qua nos ea quoque maximam partem hauſimus, quæ de miris & ambiguis magnifici hujus Operis numarii fatis huc usque ſtrictim commemoravimus. Ipſe vero hic Theſaurus, tanto nomine, ſi copiam numorum ſpectes, ſane digniſſimus, in *tres* majores *Tomos* diviſus eſt: quorum *primus* doctiſſimas Virorum illorum Celeberrimorum, ſupra laudatorum, explicationes in numos *Jul. Cæſaris*, *Auguſti*, & *Tiberii*, continet; *ſecundus* autem res, ſub *Caligula*, *Claudio*, *Nerone*, *Galba*, *Othone*, *Vitellio*, *Flavio* & *Tito Veſpaſianis*, ac denique *Domitiano*, geſtas, luculentis utplurimum commentariis, e numis aureis, argenteis, & æreis, Græcis ac Latinis, ſcite illuſtrat. *Tertius* demum omnes illas Tabulas æneas numero quamplurimas exhibet, in quibus numi illi, in iſtos Imperatores cuſi, quotquot ſcilicet ex præſtantiſſimis Gazophylaciis haberi & congeri potuerunt, affabre ſculpti,

Tom. II pag. 488.

in Præfat. fol. XV.

 ſingu-

singulari animi oculorumque cum voluptate, spectantur: quibus tandem accesserunt decem aliæ concinnæ icones, quæ celeberrimam illam Columnam *Trajanam*, utriusque belli *Dacici*, ab ipso gesti, historiam vivide exhibentem, nitide repræsentant, quam luculento Commentario illustravit laudatissimus *Gorius*, in quo egregios alias suorum antecessorum, *Alphonsi Ciaconii* & *Raphaelis Fabretti*, de eodem argumento, labores interdum longe superavit. Eximiam illam *Trajani* columnam excipit pretiosissimus ille Achates *Tiberianus*, & Gemma *Augustea*, cum integris Commentariis doctissimis *Alberti Rubenii*, *Jo. Tristani*, & *Jo. Harduini*. Agmen denique claudit nitidissima effigies Arcus illius triumphalis celebratissimi, in *Titi Vespasiani* honorem, post Judæos captos & subactos, quondam merito erecti, in quo præsertim opima illa templi Hierosolymitani spolia elegantissime & accuratissime depicta conspiciuntur, de quibus olim doctissimum librum commentarium composuit, ut notum, *Hadrianus Relandus*, æternum illud literarum sacrarum decus; quare & breviorem hic illius arcus *Titiani* triumphalis enarrationem adornavit Celeb. *Gorius*, quoniam nempe antea amplissimum ex ipso *Relando* excerptum ipsi *Thesauro* jam inseruerat. Atque hæc quidem de Opere ipso satis præstabili, cujus totam veluti imaginem brevi quasi tabella hic complexi sumus, ex qua solers harumque deliciarum eruditarum cupidus Lector nunc per se facile intelliget, quantæ eruditionis multæ variæque opes in hoc locupletissimo *Thesauro* sint quærendæ. Quoniam autem institutum nostrum haud permittit, ut in excerpendis rebus notatu dignis justo copiosiores simus; hinc, gustus tantum gratia, paucissima jam e plurimis in medium afferre animus est, inprimis tamen ex *Schlegelianis* commentariis, quos quidem, ut superius jam monuimus, omnium optime & accuratissime elaboratos esse, deprehendimus. Sic igitur doctissime agit noster *Schlegelius* de memorabili illo *Atiæ*, matris *Augusti*, insomnio, quo per quietem viderat intestina sua ad sidera ferri, & per omnem terrarum cœlique ambitum late explicari: quibus, majoris illustra-

[Margin notes: Tom. II pag. 1 seq. in Appendice. — Tom. II pag. 41 seq. in Append. — Tom. II pag. 56 in Append. — Tom. II pag. 325 seq. — Tom. I pag. 116.]

lustrationis gratia, ea commode addi poterant, quæ similem plane in modum leguntur apud *Artemidorum Lib. V Oneirocrit. Cap. 57 pag. 262*, quæ tamen, quia copiosiora, jam non exscribimus. Porro de Capricorni illo signo, in numis *Augusti* crebro obvio, diligentissime tractat, probatque diserte cum *Ez. Spanhemio*, contra *Harduinum* aliosque dissentientes, horoscopi *Augusti* potius id esse signum, quam abundantiæ symbolum. De fortuna reduci, in numis *Augusti* conspicua, diffuse & erudite disserit; ut & alibi de *Jovis Tonantis*, item *Martis Ultoris*, templis, aris, & cultu. Sphingis quoque figuram, in numis *Augusti* aliquoties occurrentem, scite explicat; nec non cistam Bacchicam arcanam, inter duos angues collocatam. Numos pariter rariores, quibus inscriptum est: *Salus generis humani*, luculento commentario, ut solet, illustrat: quod & pari diligentia facit in explicando numo maximi moduli argenteo rarissimo Græco, a Cydoneatis Cretensibus in honorem *Augusti* & Senatus Romani simul percusso. De nomine *Galbæ*, quod Gallis *prævinguem* significare, scripsit *Suetonius*, erudite disserit: omisit tamen veram nominis derivationem, nempe ex Hebraico חלב, *Cheleb*, *Chalab*, *Chalb*, hoc est, *adeps*, *pinguedo*, egregie sic docente summo in his interioribus literis Viro, *Sam. Bocharto, Geograph. sacr. Part. II Lib. I Cap. 42 pag. 676*. Disputat quoque doctissime contra *Jac. Oiselium*, qui illud acutum instrumentum, quod in numis *Vitellii* capiti *Vestæ* velato appositum cernitur, pro acu comatoria frustra habuerat, ostenditque potius liquidissime & magno eruditionis apparatu, facem illud ardentem esse, *Vestæ*, ceu sacri ignis æterni custodi, omnium optime convenientem. Denique, ut finem dicendi faciamus, de infausto illo gemina Romanorum clade vico *Bebriaco* fuse disserit, atque multis ostendere allaborat, rectissime illud nomen scribi *Bebriacum:* invictis tamen propemodum argumentis ac testimoniis contra demonstravit Vir summus, *Christoph. Cellarius*, longe rectius scribendum esse *Betriacum*, vel *Bedriacum*, in immortali opere *Geograph. antiq. Tom. I Lib. II Cap. 9 pag. 689*. Sed hæc pau-

Tom. I pag. 195 & 280.
221.
227 & 293.
231.
293.
439.
Tom. II pag. 153.
Tom. I pag. 565.
Tom. II pag. 139.
221.
229.

ca, ſpeciminis tantum loco, ex innumeris fere aliis, jam ſufficiant; ex quibus eruditus Lector nunc facile, ut confidimus, perſpiciet, quam lautæ ſplendidæque epulæ in hoc quidem Theſauro numario ampliſſimo ipſi ſint propoſitæ. Utinam igitur per novum hoc Opus, cui plurima ſunt & egregia decora, illud rei numariæ ſtudium, tam neceſſarium, utile, elegans, in omnes fere diſciplinas late ſeſe diffundens, revaleſcere nonnihil noſtris his temporibus poſſet, quod, neſcimus, quo inerti ſeculi præſentis torpore, adhuc penitus fere friguit; quod tamen ſuperiore ævo maximo ardore & acerrima contentione colebatur, quippe quod, uti notiſſimum, una tulit *Vaillantios*, *Sponios*, *Patinos*, *Cuperos*, *Noriſios*, *Chiffletios*, item inprimis *Spanhemios*, *Morellios*, *Schlegelios*, & alia nomina magna, & haud dubie æternum victura. Multum tamen huic Operi ab enormi, quod ei a *Wetſtenio* ſtatutum eſt, pretio timemus: quod ipſum cum privatorum hominum fortunas longe excedat, hinc facile futurum eſt, ut emtores *Theſaurus* iſte admodum paucos inveniat, inprimis cum multa etiam hic legantur, quæ, noſtra certe ætate, minime haberi nova poſſunt, ſed dudum ab aliis, *Vaillantio*, *Patino*, *Triſtano*, eadem, interdum etiam majori, diligentia ſunt explicata.

NOVI COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIArum Imperialis Petropolitanæ. Tomus primus, ad Annos 1747 & 1748.

Petropoli, typis Academiæ Scientiarum, 1750, 4 maj.
Alph. 3 plag. 4, Tabb. æn. 17.

Commentariorum *Academiæ Petropolitanæ* adhuc prodiiſſe conſtat *Tomos X*, quorum ultimus usque ad A. 1738 pertingit. Cum igitur paulo tardius lucem adſpicerent egregii Sociorum labores; eo adducta videtur eſſe Illuſtris Academia, ut de *Novis Commentariis* edendis conſilium caperet. *Novi* dicuntur, non ideo tantum, quod nova ſit quodammodo inſtituti ratio; ſed & eo potiſſimum, quod poſt nova Academiæ Statuta tradita (id quod ab Auguſtiſſima Imperatrice factum eſt A. 1747,) a Sociis prolatos ingenii fructus contineat; nova præterea ſit (ut dein monebimus,) *Claſſium* diſpoſitio. Omnes vero Diſſertationes adhuc reſiduas, quæ ad præcedentes *Commen-*

mentariorum Tomos usque ad A. 1746 spectant, etiam sub prelo jam sudare, ipsisque coronidem impositiuros esse, intelligimus.

Initio horum *Commentariorum* comparet brevis Historia instaurationis Academiæ, (quæ nunc duabus constat *Classibus*, *Academia* proprie ita dicta, & altera, *Universitate* appellata,) ab Aug. Imp. *Elisabetha* A. 1747 factæ, una cum Statutis, Academiæ ab ea traditis. Dein præmissa est ipsis Commentariis (ad morem *Commentariorum Academiæ Parisiensis*,) summaria singularum Dissertationum recensio: quod indigenarum potissimum causa factum esse, monetur, ut intelligant ii, quid Dissertationum Autores ad incrementum scientiarum conferre studuerint. Ad *Dissertationes* ipsas quod attinet, paulo aliam, ac ante, in iis disponendis rationem secuta est Illustris Academia. *Quatuor* nempe earum *Classes* constituit, quarum *prima* (ut propriis Commentatoris utamur verbis,) *complectitur, quæ Mathesin proprie spectant; altera*, physico-mathematica, *quæ ad Physicam experimentalem, & Mechanicam, pertinent; tertia*, physica, *anatomicas, botanicas, & chemicas, exhibet Dissertationes; quarta* denique astronomicas, *quæ* (*ob rationem*, pag. 460 Tomi I Comment. *veterum allatam*,) *ad finem cujusque* Tomi Novorum Commentariorum *rejicietur, observationes potissimum sistit astronomicas*. Quæ vero ad *Classem historicam* alias pertinebant, penitus exclusa sunt.

In *Classe* itaque *mathematica* sequentia exstant Schediasmata: 1) *Euleri de superficie conorum scalenorum, aliorumque corporum conicorum*. Ut, quid hac in materia hactenus actum sit, pateat, breviter historiam ejus secundum Autorem Cel. hic præmittemus. Veteres in dimetiendis superficiebus conicis non ultra conos rectos processerunt. Primus argumentum de superficie coni scaleni dimetienda aggressus est *Varignonius* in *Miscell. Berol. Cent. II*, atque curvam, cujus constructio a quadratura circuli pendet, invenit, cujus rectificatione superficies coni cujusvis scaleni assignari potest. Ei Dissertationi ibidem subjunctum legitur Additamentum *Leibnitii*, in quo idem per rectificationem curvæ algebraicæ, & quidem pro omnibus omnino superficiebus Pag. 3.

coni-

conicis, efficitur. Irrepſit vero in hanc ſolutionem levis quidam error, qui tamen, ut facile emendandus, ita ſolutionis præſtantiæ nil detrahit; dum nempe ſuperficies coni exprimitur recta, ducta in arcum curvæ inventæ, qui tamen prius quantitate quadam minui debuiſſet. In præſenti itaque argumentum hoc denuo reſumſit, & ulterius protulit, Cel. *Eulerus*. Primo nempe conum ſcalenum ordinarium (hoc eſt, cujus baſis circularis,) conſiderans, exhibet ante omnia formulam generalem, ſuperficiem coni ſcaleni exprimentem. Hinc deducitur facile conſtructio curvæ *Varignonianæ*. Simul facile patet, quomodo eadem infinitis modis per quadraturas conſtrui queat. Cum vero in hujusmodi Problematibus inprimis deſideretur conſtructio exhibenda, non per quadraturas, ſed per rectificationes curvarum algebraicarum: hunc in finem in uſum vocat elegantem methodum *Hermannianam*, quadraturas omnes ad rectificationes curvarum algebraicarum reducendi: quo ipſo ſcopus *Varignonii* & *Leibnitii* facillime obtinetur. Varias hujusmodi curvas determinat, quas inter ſe commendat linea ſexti ordinis, cujus arcus, in rectam conſtantem ductus, ſtatim ſuperficiem quæſitam exhibet. His expeditis, ad ſuperficies conoidicas in genere, hoc eſt, quarum baſis eſt curva quævis, tranſit. Redit ea generatim ad $\frac{\int x dx \sqrt{(bb + yy}}{\sqrt{(xx + yy}}$. Cum autem hæc ad quadraturas, vel rectificationes, infinitis modis reduci poſſit; inprimis tamen eam viam, quæ ad conſtructionem *Leibnitianam* deducit, ingreſſus eſt Autor. Eruit nempe *Leibnitius* conſtructionem ſuam e conſideratione rectarum, ad datam curvam ſub angulo quovis conſtante ductarum, quæ ſuis concurſibus novam formant curvam, cujus rectificatio adeo ſimpliciter exprimitur, ut quadratura quævis facile eo reducatur, quo etiam redeunt methodi *Hermanni* & *Bernoullii*, rectificationes ad quadraturas reducendi. Pro hac curva in præſenti aſſumit Clariſſ. Autor ipſam baſin coni, atque ſic negotium methodo & ſimpliciſſima, & generali, perficit. Hinc ſimul corrigitur lapſus *Leibnitii* in dimenſione

coni

coni ſcaleni, eademque illa methodus ad conos generatim quosvis extenditur. 2) Ejusdem *Theoremata circa diviſores numerorum.* Pag. 20. Principio circa hujusmodi disquiſitiones arithmeticas in genere quædam monet. Hoc nempe inprimis notatu dignum eſſe, occurrere varia Theoremata numerica, (quorum plurima in medium protulit *Fermatius*,) quæ, etſi pro veris omnino cognoſcantur, tamen demonſtrari nequeant; ut adeo in ipſa Matheſi pura dentur ejusmodi veritates non demonſtrabiles. Hoc autem Arithmeticæ videri proprium, cum in Geometria non conſtent tales propoſitiones, quarum veritas, vel falſitas, non firmiſſimis rationibus evinci queat. Hinc Arithmeticam eſſe omnium ſcientiarum mathematicarum abſtruſiſſimam. Porro utilitatem hujusmodi ſpeculationum defendit, cum, etiamſi veritates hæ in ſe videri poſſent ſteriles, tamen methodus ſit notatu digna, & ad alia utiliora cognoſcenda viam patefacere ſoleat. Theoremata, circa quæ jam verſatur Autor Celeberrimus, reſpiciunt diviſores numerorum, in hac formula: $a^n \pm b^n$ contentorum, quorum nonnulla jam a *Fermatio*, ſed absque demonſtratione, ſunt publicata. Rei natura vix permittit, ut de his fuſius dicamus. Eorum, quæ nova hic ſiſtuntur, vel unicum ſpecimen exhibemus: demonſtrare nempe Autorem, (quod adhuc ab omnibus ſcriptoribus methodi *Diophanteæ* ſemper eſt affirmatum, a nemine tamen demonſtratum, præter *Fermatium*, qui vero ſuam demonſtrationem nunquam publicavit,) nullum numerum, vel hujus formæ: $4n - 1$, vel per numerum talis formæ diviſibilem, unquam eſſe poſſe ſummam duorum quadratorum; ideoque omnem ſummam duorum quadratorum inter ſe primorum vel eſſe numerum primum, vel, binario excepto, alios diviſores, niſi in forma $4n + 1$ contentos, non admittere. Varia quoque hinc inde deteguntur compendia, in inveſtigatione diviſorum utiliſſima, quoties numeri continentur ſub forma $a^n + b^n$. 3) Ejusdem 49. *variæ Demonſtrationes geometricæ.* Exhibet hic Vir Celeb. demonſtrationes quorundam Theorematum geometricorum, easque non per formulas algebraicas, (ut haud difficulter fie-

ri posset,) sed more veterum e principiis mere geometricis, adornatas. Primum est, quod proposuit *Fermatius* in *Commercio epistol.* Geometris demonstrandum, sequentis tenoris: Si infra semicirculi diametrum constituatur rectangulum, cujus latitudo æquetur chordæ quadrantis, sive lateri quadrati inscripti, atque e punctis ejus duobus infimis ad quodvis peripheriæ punctum ducantur duæ rectæ: has diametrum ita secare, ut sit semper summa duorum segmentorum æqualis quadrato diametri. Hanc propositionem nemo adhuc demonstravit: id quod jam Vir Celeb. methodo mere geometrica (ut diximus) præstitit. Alterum est Theorema, in vulgus notum, quo area trianguli determinatur e tribus lateribus. Demonstratio petita est e circulo, in triangulum inscripto. Tertium est, quo area quadrilateri, circulo inscripti, exprimitur similiter per sola latera, cujus demonstrationem quoque geometricam, sed admodum intricatam, proposuit quondam *Naudaus* in *Miscell. Berol.* Præterea novum quoque Theorema, nusquam adhuc prolatum, aut demonstratum, subjungit. Nimirum, quemadmodum constat, in omni parallelogrammo summam quadratorum ambarum diagonalium æquari summæ quadratorum quatuor laterum, ita demonstrat, generatim in omni quadrilatero summam quadratorum ambarum diagonalium semper esse minorem summa quadratorum quatuor laterum; &, completo circa bina latera parallelogrammo,(quod adeo tria puncta cum trapezio habebit communia,) & jungendo duo puncta reliqua diversa parallelogrammi & trapezii, ipsum defectum

Pag. 67. æquari quadrato hujus lineæ jungentis. 4) Idem *de propagatione pulsuum per medium elasticum.* Arduam hic materiam sibi indagandam sumsit, maximi tamen momenti, vel ideo, quod & soni, & verosimiliter luminis quoque, propagatio eo redeat. Ut vero in ea maxima cum perspicuitate versetur, a primis principiis mechanicis eam eruendam, & a casibus simplicissimis incipiendum, duxit. Primo itaque unicam saltem particulam, inter duo elastra detentam, considerat, ejusque motum eruit fore oscillatorium, quem &, qualis sit, definit. Dein duas ejusmodi assumit particulas; at motum earum a priori

priori invenit maxime discrepantem, nec amplius oscillatorio similem, hinc & multo difficilius determinandum, valde nimirum diversum, prout earum & situs & motus initialis sunt diversimode comparati. Exinde ad plures particulas transit, ubi quidem formulæ oriuntur maxime complexæ, ipsamque hinc motus determinationem difficiliorem reddentes. Hoc tamen satis exinde perspicitur, propagationem pulsuum per medium elasticum non fieri (ut plerisque placuit,) per motum oscillatorium: quam sententiam alia difficultate laborare, jam ostendit Celeb. Autor in *Tract. de Lumine & Coloribus*, in *Opusculis* publicato. 5) Ejusd. *Examen artificii, naves a principio motus interno propellendi, quod quondam ab acutissimo Viro, Jac. Bernoulli, est propositum.* In *Operibus Jac. Bernoullii* inter *Posthuma* exstat *Schediasma*, ubi proponitur artificium, navem a principio motus, intra ipsam navem concluso, propellendi: dum nempe ad tabulam perfecte elasticam verticalem, in navi firmatam, appelli jubet pendulum quoque elasticum, idque motum versus eam partem navi impressurum existimat. Cum vero id actu ipso nunquam sit tentatum, satis autem foret & paradoxum, & in praxi utile, si propositum succederet; operæ pretium fecit Celeb. Autor, hunc mechanismum secundum principia mechanica examinando. Cum enim *Bernoullius* ideam hanc differentiæ inter vires vivas & mortuas superstruxerit, dum, ex illis oriri posse motum per vim internam, qui ex his nunquam potest, credidit; ostenderit vero alibi *Eulerus*, hanc differentiam re vera nullam esse; verendum est sane, ne irritum sit ipsum illud propositum. Augetur vero suspicio ex ea consideratione, pendulum ipsum sollicitare navem a parte priori contraria, dum vis, qua pendulum tam a pondere, quam a vi centrifuga, tenditur, imprimitur puncto suspensionis. Hanc quoque vim mortuam, priori oppositam, non neglexit Inventor, sed ab illa detractam invenit relinquere excessum satis magnum, ut navis moveri queat. Talis excessus an reapse locum habeat, sequentem in modum investigat Noster. Navem in loco suo penitus supponit fixam, & quærit summam sollicitationum mo-

Pag. 106.

momentanearum, quibus durante quovis penduli descensu & adscensu retro pellitur. Dein simili modo determinat vim ictus, quo a pendulo propellitur, tempore inter quemvis descensum & adscensum medio. Assumit vero hac in disquisitione pendulum primo simplex, motumque fieri, vel per quadrantem, vel per arcum minorem; dein pendulum compositum; imo alios casus multo adhuc difficilliores. Singulis hisce casibus patet, vires dictas esse semper inter se aequales, adeoque motum navis exinde oriri posse nullum. Hocque locum habet, sive a resistentia aquae abstrahatur, sive ea in computum ducatur. Attamen accidit hic casus singularis, & notatu dignissimus, nempe ope resistentiae certi cujusdam generis tali mechanismo oriri posse motum, qui absque illa non consequeretur. Hoc nempe fieri, si navis basi sua incumbat plano aspero; super quo absque frictione sensibili moveri nequeat, quo itaque fieri possit, ut vires retrorsum pellentes a frictione destruantur, vis percussionis autem a frictione superari nequeat. Singulare hoc est paradoxum mechanicum, motum a frictione oriri posse, qui absque illa prorsus nullus esset. Ceterum, etsi ita in auras abierit propositum *Bernoullianum*, nil tamen ideo detrahitur laudibus Viri summi. Cum enim inter *Posthuma* saltem reperiatur; liquet, ipsam ideam immaturum adhuc esse ingenii fructum, quem aliter fortasse, si vixisset, in medium protulisset. Latet vero vitium in eo, quod in determinanda vi percussionis humani quippiam passus sit *Bernoullius:* quem errorem animadvertit quoque Commentator *Cramerus*, at ob calculi molestiam non

Pag. 124. correxit. 6) *Ge. Wolfg. Krafftii Dissertatio geometrica de Problematibus aliquot conicis, per Analysin concinne solvendis.* Problemata hic sistit duo, per formulas analyticas concinne soluta: datis ellipseos duabus diametris conjugatis, invenire axes; 2) data una diametrorum conjugatione, invenire alteram sub angulo quovis dato. Prioris constructionem primus dedit *Pappus Coll. math. Lib. VIII*, sed absque demonstratione. Eam supplere conatus est Commentator, *Fred. Commandinus*, sed non feliciter. Novam dein constructionem dedit

Blon-

Blondellus in *Oper. Acad. Parif.* occafione fornicum. Sed fatendum eft, præfentem illas perfpicuitate & concinnitate maximopere fuperare. Præmifit quoque tria Theoremata, huc facientia, concinne demonftrata. 7) Ejusdem *Demonftrationes duorum Theorematum geometricorum.* Primum horum propofitum eft Autori absque demonftratione a Cel: *Eulero*, eftque hoc id ipfum, quod de differentia fummæ quadratorum laterum & diagonalium in quadrilatero in Differtatione, fupra memorata, *Eulerus* tradidit. Alterum eft celebratiffimum illud Theorema *Cotefianum*, cujus quidem demonftrationem generalem, e ferierum natura petitam, dedit *Jo. Bernoullius Oper. Tomo IV.* Cum vero hanc paulo fubtiliorem putet Autor, quam ut facile capiatur; haud inutile duxit, cafus quosdam fpeciales, quando nempe peripheria divifibilis eft in partes 4, 6, & 8, e principiis mere geometricis demonftrare, ut fic exemplis quibusdam Theorematis veritas facilius pateat. Pag. 131.

Claffis phyfico-mathematica continet: 1) *Kraftii Obfervationes meteorologicas, factas A. 1745 & 1746 Tubingæ.* Poft brevem defcriptionem inftrumentorum, exponit obfervationes circa altitudinem barometri, ejusque variationem annuam; gradus caloris & frigoris; auroramque borealem; illasque, quæ Tubingæ habitæ fuerunt, cum Petropolitanis comparat. Appendicis loco aliquid, ad hiftoriam Aftronomiæ fpectans, affert. E loco nimirum *Hiftoria Imp. Ottom.* a Principe Moldaviæ, *Demetrio Cantemiro*, fcriptæ, *fol. 364* fub *Osmanno II §. 3* verofimiliter probat, lumen dictum *Caffinianum* jam A. 1620 die 22 Febr. ft. v. ibi obfervatum; ficque ejus epocham, quæ A. 1659 poni folet, per 39 annos retrahendam effe. 2) *G. W. Richmann de quantitate caloris, quæ poft mifcelam fluidorum, certo gradu calidorum, oriri debet.* Cogitatis his anfam dedit *Kraftii* Differtatio de calore & frigore, ubi is exhibuit formulam pro gradu caloris fluidorum mixtorum. Autor nempe alio ex fonte quoque eruit formulam, fed a *Kraftiana* paulo diverfam, & majores caloris gradus exhibentem. Invenit nempe, gradum caloris (hoc eft, 139. 152.

proprie excessum supra quendam gradum caloris constantem, singularum massarum multiplicandum esse in massas singulas, & summam factorum dividendam per summam massarum. Ratio autem differentiæ in eo posita est, quod *Kraftii* formula exprimat calorem fluidorum ipsorum, thermometri, vasis, in quo fluidum miscetur, distributum per summam massarum fluidorum, thermometri, & vasis, quas circumstantias neglexit Autor. Ceterum experimenta exhibet varia, eaque tam cum sua, quam *Kraftiana*, formula comparat, variaque inde consectaria, nec non cautelas, in iis instituendis adhibendas, derivat. 3) Ejusd. *Formulæ, pro gradu excessus caloris, supra gradum caloris, mixti ex nive & sale ammoniaco, post miscelam duarum massarum aquearum, diverso gradu calidarum, confirmatio per experimenta.* Formulam hanc dedit A. 1744, ibidemque ad eam confirmandam usus est experimentis *Kraftii*. Posita nempe massæ frigidioris *a* calore *m*, calidioris *b* calore *n*, fore gradum coloris post miscelam $= \frac{am + bn}{a + b}$. Jam experimenta exponit propria, eundem in finem instituta, &, quæ inde resultant, cum formula *Kraftiana* comparat. 4) Ejusdem *Inquisitio in legem, secundum quam calor fluidi, in vase contenti, certo temporis intervallo, in temperie aeris constanter eadem decrescit, vel crescit; & detectio ejus; simulque thermometra, perfecte concordantia construendi ratio, hinc deducta.* Argumentum hic sibi pervestigandum sumsit Autor, haud parvi in Physica momenti, a nemine tamen adhuc accuratius pertractatum. Optimum putavit, rem primo per experimenta indagare. Eorum itaque multa cum cura instituit, repetiit, interque se comparavit. Exinde detexit analogiam, inter ea locum habentem; unde ad legem generalem deductus est. Omnia ista hic fuse exponit. Sufficiat hic nobis, indicare consectaria palmaria, ex ista disquisitione fluentia. Sunt autem ista: 1) Decrementa & incrementa, parvis temporibus æqualibus, in genere esse in ratione composita, e directa super-

Pag. 168. · 174.

perficierum integrarum, & differentiarum inter temperiem aquæ & aeris, & inversa massarum. 2) Differentias temperierum inter temperiem aquæ & aeris, in temperie aeris constanti, ita variari, ut, temporibus secundum progressionem arithmeticam progredientibus, decrementa fiant in progressione geometrica, adeo, ut scala decrementorum sit Logarithmica. Denique 3) e lege decrementi & incrementi caloris derivavit quoque, thermometra perfecte concordantia & & æque velocia non obtineri, nisi superficies bulborum in thermometris sint, ut ipsa bulborum volumina. 5) Ejusdem Pag. 198.
Tentamen, legem evaporationis aquæ calidæ, in aere frigidiori constantis temperiei, definiendi. Argumentum hoc itidem est Physici indagatione prorsus dignum, etsi a nemine adhuc sub examen vocatum. Rem iterum methodo, in scientia naturali optima, per experimenta nempe, aggressus est, multumque in iis operæ & studii collocavit. Usus est ad ea inprimis machina peculiari, in *Commentar. A. 1747* descripta. Experimenta ipsa sigillatim exponit. Legem vero generalem inde deduxit eam: Posita aeris temperie constanti, si Logarithmicæ abscissæ exhibeant tempora, ordinatæ differentias inter temperiem aquæ & aeris, sese successive excipientes: quantitates evaporationis esse fere in ratione spatiorum; seu (quod eodem redit, ob subtangentem constantem,) ut differentias differentiarum inter temperiem aquæ & aeris. Satis elegans est hæc lex, dignaque omnino, ut ulteriori Physicorum indagatione magis corroboretur. 6) *Mich. Lomonosow de caloris & frigoris causa.* In his meditationibus Au- 206.
tor id agit, ut, calorem non a materia peculiari, sed saltem e motu partium intestino, oriri, evincat. Initio, omnem calorem cum motu conjunctum esse, imo rationem sufficientem caloris in motu alicujus materiæ consistere, ostendit. Hunc autem intestinum esse, & quidem materiæ corporis, non interlabentis, sed cohærentis; cum nempe corpora, quo densiora sunt, eo majorem gradum caloris recipiant, eoque diutius retineant. Cum autem motus intestinus concipi possit triplex, progressivus, tremulus, & gyratorius;

rius; ſolum eſſe ultimum, cui ortum debeat calor; cum, a progreſſivo calorem nullum oriri, multis caſibus ad oculum pateat; poſito vero motu tremulo, cohæſio corporum tollatur. Poſitam ſic theoriam ad phænomena revocaturus, palmaria caloris, cohæſionis, &c. exponit, eaque ad confirmandam theoriam adhibere conatur. Extenſionem corporum calidorum non immediate a calore, ſed ab aere elaſtico, poris eorum incluſo, oriri, exiſtimat. Frigus nil aliud eſſe, quam calorem minorem, adeoque motum gyratorium lentiorem. Expoſita ſic ſua ſententia, hypotheſin de propria caloris & ignis materia ſub examen revocat, & refellere conatur; argumenta præcipua, de extenſione corporum incaleſcentium, de incremento corporum calcinatorum, de condenſatione radiorum ſolarium per inſtrumenta cauſtica, phænomenis denique in congelatione corporum, eam non ſatis probare, oſtendens. Verum diſceptationem hanc, inter Phyſicos jam dudum agitatam, Lectorum dijudicationi merito relinquimus. 7) Ejusdem *Tentamen Theoriæ de vi aeris elaſtica.* Hypotheſin hic exponit Autor pro explicando elatere aeris. Nullo nimirum fluido, æthere, &c. ad eam explicandam opus eſſe, ſed cauſam ejus in ſola partium aeris ſubtilitate & agilitate quærendam, exiſtimat. Ad hoc probandum primo ideam claram elateris aeris fundamenti loco ponit. Jam, cum particulæ aeris duplici modo quatenus elaſticæ concipi posſint, vel ut, vi compoſitionis organicæque ſtructuræ alicujus, ſingulæ gaudeant vi elaſtica, qua ſe continuo expandere nitantur; vel ut per ſe ſint ab omni compoſitione & ſtructura tali alienæ, & tum ſaltem, cum aggregatæ ſint, vim elaſticam exerceant, adſtruere conatur ſententiam poſteriorem, docetque, aeris particulas per ſe eſſe ſolidisſimas, inflexiles, verbo, atomos; has vero porro ſphæricas, ſed &, ut frictio in iis, atque ex eo calor, oriri posſit, aſperas. Exinde jam deducit vim elaſticam aeris: particulas nempe has calore agitari continuo, inde motum iis conciliari gyratorium, corpora autem ſphærica, & aſperis ſuperficiebus ſibimet occurrentia, reſilire a ſe invicem, ſicque ſe expandere aerem ſtatim, ceſſante impedimento.

Pag. 230.

mento. Varia etiam phænomena alia inde explicare annititur. Statim huc inseremus *Supplementum* ad Schediasma præsens, ultimo hujus *Classis* loco comparens. Facta nimirum est Autori objectio, ex hypothesi ejus explicari non posse proprietatem illam aeris elastici palmariam, quod elater sit densitati proportionalis. Cum ergo lex illa cum ipsius hypothesi non conspiret; prætereaque ab effato *Dan. Bernoullii* in *Hydrodynamica*, quo is, materiam elasticam, e pulvere pyrio generatam, aut non esse aerem, aut aeris elasticitates crescere in ratione majore, quam densitates, asserit, in suspicionem deductus sit Autor, forsan legem ipsam non omni exceptione esse majorem; in hanc ipsam ulterius inquirere, non abs re judicavit. E variis itaque experimentis collegit, in compressionibus majoribus eam locum non habere, sed augeri tunc elasticitates magis, quam pro ratione densitatum. Idem quoque sua e theoria explicat. 8) Ejusdem *Dissertatio de actione menstruorum chymicorum in genere*. Principio vulgarem, actionem hanc explicandi, rationem, e sola pororum corporis solvendi, & particularum solventium, magnitudine & figura petitam, rejicit; ejusque causam non in spatiis, materia corporis vacuis, sed in ipsa materia, ejusque in duobus corporibus homogeneitate, quærendam esse, existimat. Inprimis attentionem Autoris ad se traxere phænomena hæc duo, sibi penitus contraria: Spiritus acidos solvendo metalla invalescere; contra aquam solvendo sales reddi frigidiorem. Unde eo deductus est, ut suspicaretur, metalla in spiritibus acidis alia ratione solvi, quam sales in aqua. Ad prius quod attinet, statuit, id fieri vi aeris elastici, in poris metallorum latitantis, sed, dum intrant particulæ menstrui, cum iisque itidem novus aer, renascentis, sicque in majus spatium se expandere & exire conantis; quod cum per particulas acidi, poros obsidentis & obstruentis, fieri nequeat, hinc obstantes iis partes metalli ab ipsis abrumpi, & per menstruum dissipari. Variis id experimentis probare, phænomena varia in solutionibus metallorum inde explicare, quin & calculo ipsam vim solvendi, seu cohæsionem metalli superandi, determinare, co-

Pag. 245.

natur. Alterum, solutio salium in aquam, ipsi derivatur non ab aere, sed a sola frictione particularum aquæ, in motu gyratorio celeri constitutarum. Hinc ergo solutionem dividit in *mediatam*, quæ (ut prior) fit mediante renato elatere aeris; & in *immediatam*, quæ fit (instar posterioris) propriis menstrui particulis. Reliquorum solutionis generum explicationem, quæ alterutro, vel utroque, dictorum modorum fieri
Pag. 267. conjectatur, in aliud tempus rejicit. 9) Idem *de motu aeris, in fodinis observato*. Motus aeris in fodinis metallicis satis validus nonnemini, eas invisenti, observatus est. Hunc vero ea ratione fieri, jam observavit *Agricola de re metallica:* Vere & æstate aerem influere in puteum altiorem, cuniculum & fossam latentem permeare, & per inferiorem puteum effluere, nec non per altiorem cuniculum infundi, &, interjecto puteo, defluere in cuniculum humiliorem, ac ex eo emanare; contra vero autumno & hieme in humiliorem cuniculum, vel puteum, intrare, & per altiorem exire. Hujus itaque phænomeni rationem e principiis aerometricis hic deducere studet Autor. Fundamentum demonstrationis in eo situm est: Aerem in fodinis æstivo tempore esse externo frigidiorem, adeoque & specifice graviorem; præponderare ergo aerem in puteo altiore aeri in puteo humiliore; illum itaque descendere, & hunc expellere; simul autem aerem externum propria gravitate descendere in puteum altiorem, ibique acquirere eundem gradum caloris cum aere in fodina, hoc est, specifice graviorem fieri externo, atque hinc denique præponderare; inde oriri motum aeris continuum in puteum altiorem, & e puteo humiliore. Simili prorsus modo comparatum est cum cuniculo superiori & inferiori. Contrarium vero obtinet tempore hiberno, ob aerem in fodina cali-
276. diorem, hoc est, specifice leviorem, externo. 10) *Richmann de insigni paradoxo physico, aere scilicet, in 1837 voluminis partem, aqua gelascente, reducto; & de computatione vis, quam aqua gelascens, & sese in volumen majus expandens, in sphæra cava ferrea, bomba dicta, ad eam disrumpendam impendit.* Attulit Cel. *Halesius* in *Stat. Veget. Append.* experimen-

mentum, quo, aerem in 1837mam voluminis sui partem reductum, hincque duplam aquæ, & lapidis fere, densitatem nactum esse, demonstrare conatus est. Quod cum insigne sane sit paradoxum; paulo curatius in ejus veritatem inquirere haud abs re duxit Autor. Experimentum ipsum, cum satis in Physicorum manibus versetur liber *Halesii*, hic non exponemus; monebimus saltem, Autorem negare consequentias, quibus experimentum comitatus est *Halesius;* existimantem potius, aeris particulas fieri posse adeo parvas, ut tandem per poros vitri, vel Mercurii, transeant. Præterea errorem calculi retegit, a Clariss. *de Buffon*, qui in Versione Gallica operis *Halesiani* ipsum emendare voluit, commissum, quo ipso comprehensio aeris prodit multo minor. Denique, quomodo experimentum ipsum majori cum rigore repetendum sit, indicat.
11) Ejusdem *Tentamen, explicandi phænomenon paradoxum, scilicet thermometro Mercuriali ex aqua extracto, Mercurium in aere, aqua calidiori, descendere, & ostendere temperiem minus calidam, ac aeris ambientis est.* De quo in præsenti agitur, phænomenon id est: Si in aere temperiei certi gradus, ex aqua, temperiem gradus paulo minoris habente, extrahitur thermometrum; tantum abest, ut Mercurius adscendat, ut potius descendat, modo plus, modo minus. Plurima hujusmodi experimenta cum variis circumstantiis hic fuse exponit Autor. Notatu autem est dignum, humiditatem bulbi thermometrici semper cum hoc descensu esse connexam. Cum igitur, varias materias, aquæ junctas, notabile frigus producere posse, satis constet; putat Autor, similes materias tunc temporis in aere volitasse, quæ, junctæ cuticulæ isti aqueæ, qua thermometrum obductum est, frigus produxerint, adeoque Mercurium descendere coegerint. Verum, ceu nudam conjecturam id proponere se, ingenue fatetur. 12) *C. G. Kratzenstein Mechanicæ cœlestis Specimen primum, continens novam, tubos longiores commodius tractandi, methodum.* Loco mechanismi, tubos prælongos fulcris, aliisque modis, versandi, talem hic proponit Autor, quo contra tubus ipse plane immobilis, radii autem ab objecto, speculi versatilis

Pag. 284.

291.

 ope,

ope, ad eum deferuntur. Non quidem nova est hæc idea, sed jam *Fahrenheitius*, ope duorum speculorum radios solares in eadem directione semper servavit; *Gravesandius* autem ejusmodi machinam cum speculo metallico, per horologium uniformiter directo, ad experimenta optica adhibuit. Hæc igitur quomodo usibus astronomicis sit applicanda, hic ostendit Autor. Mutavit hunc in finem nonnulla: Loculamentum nempe anterius ex horologio removit, quia rotarum, in illo contentarum, vacillatio, vix evitanda, incommodum in instrumenti usu parit; fulcrum autem ita disposuit, ut statim instrumentum in situm quemvis ad lubitum queat redigi. Cum dein *Gravesandius* structuram automati internam artificis judicio reliquerit; eam ipsam hic determinavit Autor. Usum quoque instrumenti, & commoditatem, nec non fructum, inde in Astronomiam redundantem, declarat. Sola, qua premitur, difficultas in exquisita confectione speculi, & quidem metallici, consistit; sed, cum nostri ævi artifices speculis pro tubis reflectentibus superficiem debitam satis accurate inducere valeant, de eadem quoque perfectione in præsenti negotio

Pag. 305. obtinenda non dubitat. 13) *Lomonosow Supplementum ad meditationes de vi aeris elastica*, de quo jam supra ad *n.* 7 mentionem injecimus.

315. In *Classe physica* sistuntur: 1) *Abr. Kaau Bærhaave Historia anatomica ovis, pro hermaphrodito habiti.* Varias hic affert Autor observationes de hermaphroditis in genere. Notat, nimis immature pro hermaphroditis haberi solere, qui deformatione quadam partium genitalium sint affecti, qua aliquid genitalibus alterius sexus apparet simile; cum tamen hoc, facto examine, impervium, & ad opus venereum neutiquam accommodatum, deprehendatur. Præter historiam, e *Regnero de Graaf* citatam, de puero, post mortem puella invento, propriam affert observationem de fœmina, viginti & ultra annos a nativitate pro hermaphrodito habita. Dein casum prorsus rarissimum enarrat de quatuor hominibus, e duobus parentibus natis, eadem exacte genitalium deformatione præditis, quos, occasione descriptionis, a Clariss. *Gmelino*

lino e Sibiria ad Academiam missæ, exinde arcessere, operæ pretium judicatum fuit. Variis hac de re sententiis recensitis, miratur, ad hanc litem componendam, neminem de dimetiendo corpore cogitasse; cum, virilis corporis truncum inferiora versus convergere, muliebris divergere, constet. Accidit tunc, ut ad Academiam deferretur ovis mas, eadem omnino externa genitalium deformatione, qua homines isti, conspicuus, ac inde pro hermaphrodito habitus. Hunc, anatome facta, verum esse marem, in quo partes genitales externæ defectu peccent, reperit. Simile igitur de hominibus quoque illis, adhucdum vivis, colligit. 2) *Jos. Weitbrechti de Utero muliebri observationes anatomicæ.* Versantur Pag. 337. hæ inprimis circa uterum prægnantem. Non pro novis eas omnes venditat, sed tamen ad hujus partis historiam amplificandam & perficiendam facere posse, sperat Autor. Notabimus exinde quasdam. Ad uteri gravidæ crassitiem, de qua inter artis obstetriciæ magistros lis est, quod attinet, phænomena, a se observata, docet, favere magis sententiæ eorum, qui, illum attenuari, statuunt. An uteri cavitas interna singulari tunica investiatur, difficile indagatu esse, observationes tamen suas negativæ magis favere, monet. Ex observatis circa cervicem uteri deducit varia: Assertum *Grasii* confirmari, quod collum non sequatur dilatationem uteri gravidi, sed pristinum fere statum retineat, mediis nempe gestationis mensibus; falli ergo, qui cervicem uteri prægnantis sibi fingant instar unici osculi, annulo quasi membranaceo occlusi, qui paulatim mollior fiat & amplior, donec hiet adeo, ut fœtum transmittere queat; hinc corrigendam figuram, a *Deventero* in *Lum. obstet.* depictam. Porro difficillimum esse, primis mensibus, an fœmina prægnans sit, solo tactu judicare, & e solo augmento cervicis aliquid colligere. E compressa cervicis figura, & muco lento tenaci, totam cavitatem, & omnia ejus foraminula ab uno osculo ad aliud obsidente, recte concludi, uterum prægnantem perfecte esse clausum, omnemque adeo aditum aeri, aliive humori, denegari, nullamque superfœtationem in systemate vermiculari fieri posse. Denique circa

ovula *Nabothiana* quædam notat, a ſe obſervata, quæ modo apparuiſſe, modo non, commemorat: quod qua ratione fieri poſſit, explicat. Conjectura itaque ipſius ea eſt: Veſiculas illas non eſſe particulas organicas, aut conſtitutivas, corporis animalis, non igitur ovula; nec quoque hydatides morboſas; ſed corpuſcula, plane fortuita, ſola maceratione & contrectatione orta. 3) *Abr. Kaau Bœrhaave Obſervationes anatomicæ.* *Prima* de cerebro inflammato eſt, quale in homine frigore emortuo deſcribit. In latere dextro duræ matris, itidem valide inflammatæ, pars tota concava ſuccincta fuit membrana tenui, ſed forti, ſubrubra, parte inferiori, qua piam matrem reſpicit, leviſſime flocculenta. In dubio reliquit, an hæc ſit peculiaris pars in homine connata, an a ſumma inflammatione orta, an denique ab humoribus craſſioribus feroſis, a vaſibus nimium dilatatis, ſuperveniente frigore, concretis, formata. *Secunda* circa cranium militis claſſiarii verſatur, ubi ſcutum oſſeum cum dura matre concretum deprehendit. Qui cum morbo epileptico per multos annos maxime vexatus eſſet; exinde cauſam phænomeni explicare conatur Autor. *Tertia* ſiſtit inflammationem cerebri, in ſuppurationem & gangrænam ſe terminantem, ubi rupta in anteriore cerebri loco vomica mortem ſubitam conciliavit homini ebrio. Hac occaſione alios plures ejusmodi caſus, de abſceſſibus intra cranium, tam intra membranas, quam ventriculos cerebri, ac in ejusdem ſubſtantia ipſa, ortis, ex Autoribus citat. *Quarta* de pericardio agit. Hoc cum quædam animalia deſtituta fuerint inventa, id inutile pronuntiarunt aliqui. Ejus itaque uſum & neceſſitatem hic demonſtrandam ſuſcepit Autor. Id nempe non ſolum cor a contactu pulmonum & celluloſæ utriusque mediaſtini defendere; proprium humidum intra ſe coercendo, aditumque alii humori intercludendo, cor fovere; idemque a ſterno & vertebris dorſi ita removere, ut, dum movetur, hæc non attingat; ſed inprimis, vaſa cordis ambiendo, ea firmare ita, ut ſitu mutari poſſint, & tamen actiones ſuas liberrime exercere. Hinc fabricam pericardii fuſe deſcribit. Erroris autem fontem in

eo

Pag. 353.

eo positum esse monet, quod sæpe deprehendatur cum corde concretum, cujusmodi observationem, a se ipso factam, hic enarrat. *Quinta* denique exhibet casum viri, febri lenta consumti, in quo omnia viscera abdominis & thoracis vidit inter se concreta, suo tamen loco disposita, ut nullum plane liberum esset. 4) *Steph. Kraschenimikow Descriptiones rariorum plantarum.* Plantæ hæ in horto Academico e seminibus missis floruerunt; quæque circa earum vegetationem & structuram observanda fuerint, hic copiose recensentur. Sunt istæ: *Persicaria foliis ovatis glabris*, septentrionalibus imperii Sinici regionibus familiaris, ubi ad conficiendum pigmentum cœruleum, *Indigo* dictum, adhiberi solet. *Salvia, foliis cordatis, obtuse crenatis, spicis florum nutantibus*, de cujus natalibus nil certi constat, in adjacentibus tamen Tanai regionibus eam crescere, verisimile est. *Lunaria, foliis ellipticis incondite dentatis.* Hanc *Stellerus* in America septentrionali maturum jam fructum ferentem legit, & sub nomine *Leucoji saxatilis* descriptam dedit. Primo itaque hic sistitur descriptio *Stelleri*, dein propria Autoris, qua partim illa suppletur, partim quoque palam fit, quantum diversa soli natura unam eandemque plantam immutare valeat. *Thalictrum, caule racemoso, ramis plerumque heteromallis.* Hæc e seminibus, ad Camtschatcam lectis, enata est, primo autem ab Autore hic descripta sistitur. Pag. 375.

Classem denique *astronomicam* sequentes ornant *Commentationes*: 1) *Euleri de motu nodorum lunæ, ejusque inclinationis ad eclipticam variatione.* Non specialem saltem, quam titulus hicce præ se fert, quæstionem tractat; sed integræ, in theoriam lunæ, quin & in doctrinam motus corporum cœlestium in genere, introductionis, e primis principiis, methodo analytica, insigni cum perspicuitate, deductæ, vicem subire potest præsens tractatio. A primis nempe elementis rem totam exorsus Cel. Autor, initio motum terræ circa solem considerat, &, quæcunque exinde ad definiendum eum requiruntur, e principiis mechanicis per formulas analyticas derivat: id quod eum in finem fecit, ut integra theoria sibi constet, vis- 387.

visque methodi, qua hic & in sequentibus utitur, eo clarius perspiciatur. Hinc ad motum lunæ progreditur, formulasque generales, quibus tota ejus determinatio includitur, tradit. Præsertim autem in motu lineæ nodorum, & variatione inclinationis ad eclipticam, determinandis versatur. Pro linea nodorum motum medium, & æquationes quinque, pro variatione inclinationis, præter motum medium, tres æquationes, exhibet. Facile cognoscent æqui harum rerum judices, fieri non posse, ut ipsam methodum, qua in hac indagatione versatur, hic exponamus; quare potius ad ipsam Dissertationem eos ablegamus, quam summa cum volu-
Pag. 428. ptate & fructu perlecturos esse, spondemus. 2) Idem, *quantum motus terræ a luna perturbetur*, accuratius inquirit. Supponi solet vulgo, & a Cel. Autore assumtum quoque est in Dissertatione superiori, terram & lunam ita circa solem revolvi, ut commune eorum centrum gravitatis describat ellipsin, in cujus foco uno versetur sol. Verum enim vero hypothesis ista veritati quidem perfecte congrueret, si vires distantiis essent proportionales; at, cum hoc ipsum neutiquam locum habeat, adeoque error quidam, etsi satis parvus, in istam hypothesin ingrediatur; operæ pretium fecit Autor, inquirendo, qualis sit motus, missa prorsus ista centri gravitatis consideratione; inprimis autem, quantum terra de orbita elliptica a sollicitationibus lunæ aberrare cogatur. Hac quidem ratione rem considerando, ad calculos maxime complicatos devenitur; cum superiore hypothesi res facillime expediatur; sed, adhibitis variis artificiis analyticis, ex istis se feliciter extricavit Vir Clariss. Prodit autem aberratio major, quam primo intuitu putari posset. Quanquam autem videri queat, correctionem inde faciendam esse in Tabulis solaribus Cel. Autoris, quæ nempe hypothesi isti superstructæ sunt; attamen forte quasi fortuna accidit, ut, dum usus simul sit alia hypothesi, correctiones prodeuntes eædem essent cum iis, quæ jam in Tabulis sunt adhibitæ. Ceterum e determinationibus ejus prodit ratio massæ terræ ad massam lunæ media inter *Newtonianam* 39 : 1, & illam *Dan. Bernoulli* 62 : 1, nimirum 48 : 1; maxima correctio loci solis in ecli-

ecliptica 16″ 38‴; maxima correctio log. distantiæ solis in syzigiis 34, ad logarithmum, e 6 notis constantem, addenda, vel subtrahenda. 3) *Ge. Wolfg. Kraftii Observatio eclipsis solaris, d. 25 Jul. A. 1748 Tubingæ facta.* 4) *Christ. Nic. de Winsheim de aberratione fixarum.* Non novam hic disquisitionem de illustri illo argumento sibi promittant Astrophili; sed saltem regulas, hae de re jam in *Comment. Paris.* aliisque scriptis traditas, in usum observatorii Petropolitani congestas, ac in ordinem redactas, ita, ut statim pro quovis casu pateat, quales analogiæ formandæ sint ad quæsita e datis obtinenda. Id quod omni cum perspicuitate ac ordine factum esse, fatendum est, adeo, ut his commodissime uti possint, qui in praxi astronomica, missis theorematibus fundamentalibus, calculum aberrationum instituere gestiunt. 5 — 8) *Godofr. Heinsii Observationes cœlestes, Lipsiæ habitæ A. 1746, 1747, 1748.* Haud exiguo Lipsiæ nostræ honori cedit, nactam esse Virum, cujus opera & studio & ipsa inter Astronomos inclarescere, &, quæ ad situm ipsius geographicum certius, quam huc usque, determinandum faciunt, cognoscere, queat. Quare id, quo erga patriam tenemur, officium quodammodo a nobis postulare credimus, ut paulo uberiorem de hisce Observationum Lipsiensium primitiis notitiam exhibeamus Lectoribus nostris, hinc, quid de illis porro sibi promittere debeant, perspecturis. Instrumenta, quibus usus est Clariss. *Heinsius*, (quæque ante omnia describit,) hæc sunt: Quadrans orichalceus, ab artifice Anglo *Culpepero* probe elaboratus, cujus divisio ad bina minuta extenditur, in qua tamen non solum singula minuta, sed & minutorum quadrantes, æstimare licet. Radius est $1\frac{1}{2}$ ped. Angl. Instructus est dioptris telescopicis, cum reticulo e tenuissimis filis argenteis. Ipse ope cochlearum infinitarum commodissime in omnem plagam dirigi potest. Porro horologium oscillatorium bonæ notæ, semper ad motum solis medium proxime compositum. Denique telescopium catadioptricum *Gregorianum*, præstantiæ singularis, ab artifice Anglo *Short* elaboratum; in quo distantia focalis speculi majoris $16\frac{1}{2}$ poll. Angl.; adsunt tria specula minora con-

Pag. 444. 446. 464.

cava, & duo ocularia, e binis lentibus composita; ita, ut objecta successive 52 usque ad 240 vicibus augeri queant. Ad eclipses satellitum Jovis in sequentibus observationibus elegit minimum augmentum 52 vicium, ut maximam obtineret lucis copiam, cum Jupiter plerumque in vicinia horizontis versaretur, altitudo autem ejus meridiana vix 18° superaret; hocque modo figuram Jovis ovalem, fascias, & satellites, cœlo sereno distinctissime conspexit. His præmissis, exponit Autor ipsas observationes: quatuor nempe emersiones satellitis primi; observationes, altitudinem poli respicientes, tam per altitudines solis meridianas in solstitio, quam per fixas; unde prodit elev. poli Lipsiensis media 51°. 22′ 10″; observationes meteorologicæ, præsertim thermometricæ, æstate A. 1746 institutæ, ope thermometri *Delisliani*, ubi summus æstus $104\frac{1}{4}$ grad. tantum $1\frac{1}{4}$ grad. minor fuit Petropolitano A. 1738; Eclipsis lunæ partialis A. 1746 d. 30 Aug.; aliæ emersiones, & observationes altitudinis poli A. 1747, unde hæc ad 51° $22\frac{1}{2}$′ fixari potest; observationes circa stellas variabiles in collo cygni, *P* & *x Bayeri*, quarum hanc $405\frac{1}{2}$ diebus revolvi invenit; meteorologicæ quædam, barometricæ, & thermometricæ, A. 1747; Eclipsis solaris d. 25 Jul. A. 1748. *Heinsianas* has observationes excipiunt, & præsenti *Commentariorum Tomo* finem imponunt, 9) *Jos. Ad. Braunii*, & *socii Popovii, Observationes eclipsis solis A. 1748 d.* $\frac{14}{25}$ *Jul. in specula astronomica imperatoria reparata, quæ Petroburgi est, præsente Ill. Com. de Rasumovski, Acad. Scient. Præside, instituta*; &

Pag. 495.

497. 10) *Eclipsis lunæ A. 1748 d. 29 Jul. stil. vet. ibidem observata*, additis inprimis multis variationibus thermometricis eclipsis tempore.

DANIELIS GERDESII HISTORIA REFORMATIOnis, sive Annales Evangelii, Seculo XVI passim per Europam renovati, doctrinæque reformatæ. Accedunt varia monumenta pietatis & rei literariæ, utplurimum ex MSto eruta. Tomus IV, qui Reformationem Galliæ usque

que

que ad exitum Francisci I, & Angli sub Henrico VIII & Eduardo VI, complectitur. Accedunt Indices in Tomum III & IV necessarii.

Groningæ & Bremæ, apud Hajonem Spandaw, & Ger. Wilh. Rump, Bibliopolas, 1752, 4.

Alph. 2 plag. 8½, Monum. Alph. 1 plag. 12.

Læti annnuntiamus progressum eximii Operis, quo res, in civitate Christiana, inde ab auspicatissimis sacrorum instaurationis temporibus, gestæ, in clariori luce ponuntur. Occupatur hic *Tomus* in enarranda reformationis historia in Gallia, regnante *Francisco I* ad annum usque 1547, *pag. 1—171*, item in Anglia, sub *Henrico VIII* & *Eduardo VI* ad A. 1553, *pag. 172 - 394*. In Præfatione Cel. Autor, num in Germania natales & incrementa doctrinæ emendatæ lucri & commodorum externorum amor, in Anglia & Gallia novitatis studium & cantiunculæ, dederint, inquirit, idque vel maxime ea de causa, quoniam Eminentissimus Purpuratus *Quirinus*, & *Seedorfius*, rem hanc in usum suum convertebant, demonstrans, quam id ab omni veritate historica sit alienum.

Paucula præfatus de Valdensibus, qui prima doctrinæ evangelicæ semina in Galliis sparserint, refert, *Ludovicum XII*, inito cum *Maximiliano* Imperatore consilio, consentientibus aliquibus ex Purpuratorum Romanæ curiæ ordine, Concilium Pisis indicendum curavisse, in quo de *emendando Ecclesiæ statu* ageretur; cui *Julius II* Lateranense, A. 1512 coactum, opposuit, a *Leone X* continuatum. Cum imperante *Francisco I* scripta *Lutheri* & *Zwinglii* regno importarentur, indeque varii motus exorirentur; Universitas Parisiensis A. 1521 contra Pag. 1 - 4. ipsorum doctrinam gravia edidit decreta, a *Luthero* & *Melanchthone* solide refutata. Quæ severitas non impedivit, quo minus haud pauci doctrinæ puriori accederent, ex quibus cumprimis nominandi *Ludov. Berquinus*, vir illustris, *Arnoldus de Bornoſio*, Augustinianus, imo integer cœtus Meldensis, sanio-

ribus religionis principiis imbutus a *Guil. Briconneto*, cui præſto fuerunt *Jac. Faber*, Stapulenſis, *Guil. Farellus*, *Petrus Caroli*, *Martial. Mezurier*, & *Ger. Ruſus*, qui tamen non ita multo poſt adverſariorum potentia oppreſſus eſt doctoribus alio dilabentibus, *Ruſo* ad Pontificia ſacra redeunte. At ſemina, multorum animis infixa, poſt repullularunt, cultui divino in privatis ædibus vacatum, & per verbi divini miniſtrum ſacra cœna adminiſtrata ad A. 1546. Docti illi
Pag. 4 - 17. viri, alio dilapſi, doctrinam puriorem publice profiteri, adeoque ſementem illius in locis iſtis facere, non neglexerunt; *Faber* in aula *Margarethæ* Navarrenæ, *Farellus* apud
17, 18. Genevenſes & in Helvetia. *Jo. Clericus*, civis Meldenſis, religionis cauſa primum Meldis A. 1523 virgis cæſus, & ſtigmate ignominioſe notatus, tandem Metis igne crudeliſſime
18. 19. eſt uſtulatus. Hoc ipſo anno lux purior ex tenebris emerſit Lugduni opera *Amedæi Maigret*, Gratianopoli in Delphinatu
20 - 22. ſtudio *Petri Sebevillæ*. Inde, pro inſtituti ſui ratione, quam in ſuperioribus ingreſſus eſt, enarrat Cel. Autor vitas illorum, qui emendandæ religioni inter Gallos intenti fuerunt, *Lamb. Avenionenſis*, nati A. 1487, denati A. 1530; *Guil. Farelli*, qui in lucem vitæ hujus eſt emiſſus A. 1489, vivere deſiit A. 1565 d. 13 Sept.; *Petri Vireti*, qui lucem vitæ adiit A. 1511; *Jo. Cal-*
22 - 42. *vini*, qui vivis exceſſit A. 1564. Inde revertitur ad res Meldenſes. *Jo. Pavanes*, vir juvenis eximius, cum ipſi religionis cauſa mortis ſententia dicta, & ſuaſu aliorum eo adductus eſſet, ut illam retractaret, poſt, pœnitudine facti ductus, Pariſiis A. 1525 ignis ſupplicio eſt affectus. Idem fatum ſubiit *Petrus Schuck*, natione Germanus, qui in oppido, cui a S. *Hippolyto* nomen, paſtorem agebat, magnum conſtantiæ ex-
42 - 51. emplum relinquens. *Petrus Caroli* cum pro concione quædam proferret, quæ a doctrina recepta diſcedebant; doctores Sorbonici rem eo tandem deduxerunt, ut & a concionibus & lectionibus, in uſum ſtudioſæ juventutis inſtituendis, abſtinere cogeretur, qui vero poſt A. 1537 in eccleſiis Genevenſi, Novocomenſi, & Lauſannenſi, multas turbas dedit, cumque *Farellum*, *Calvinum*, *Viretum*, multis conviciis petiiſſet, in ſynodo,

do, Bernæ hoc anno habita, calumniæ damnatus, ad Pontificiorum ſocietatem rediit. De *Anemundo Coclo*, equite Gal- Pag. 51 - 56.
lo, religionis cauſa patria extorri, quædam ſubjiciuntur. Annus 1525 gravis fuit emendata ſacra ſectantibus. *Franciſco* quippe capto, & in Hiſpaniam abducto, Sorbonici doctores, autoritate *Antonii de Prat*, regni Cancellarii, fulti, odia ſua in illos exercuerunt. Accedebat ſtudium *Aloyſiæ*, matris *Franciſci*, aulæ Romanæ prorſus obnoxiæ, quacum *Henricus VIII*, Anglus, de profliganda hæreſi Lutherana fœdus conciliaverat. Hinc in libros *Lud. Berquini*, *Deſ. Eraſmi*, ac aliorum, judicium ſatis virulentum promulgarunt. *Faber* etiam *Stapulenſis*, ſenex venerandus, truculentiæ ipſorum victima fuiſſet factus, niſi Rex interceſſione *Margarethæ* tutum ipſum præſtitiſſet. Cum A. 1526 Rex libertati reſtitutus eſſet, ut ipſum priſcæ ſuperſtitionis antiſtites circumvenirent, commenti ſunt, illos, qui ab antiqua fide defecerint, iram Dei provocaſſe. Ne quid dicamus de fœdere, inter *Carolum* Imperatorem & *Franciſcum* conſtituto, quo fidem ſibi dederant, *ſe Chriſtianæ religionis hoſtes, & Lutheranas hæreſes, exſtirpaturos eſſe*. A. 1528 *Antonius Pratenſis*, jam Cardinalis & Archie- 56 - 61.
piſcopus Senonenſis, contra hæreticos Lutheranos potiſſimum Concilium provinciale coegit, quod ipſum etiam fecit *Franc. Turnonius*, Archiepiſcopus Bituricenſis. *Dion. de* 61 - 64.
Rieux, quod aſſeveraſſet, *miſſam eſſe certiſſimam paſſionis & mortis Domini Jeſu Chriſti abnegationem*, lento igne d. 3 Jul. A. 1528 eſt abſumtus. Idem fatum hoc anno expertus eſt *Stephanus Reinerius*, inſequenti *Ludov. Berquinus*, primum ſtrangulatus, inde igne combuſtus. Cameraci A. 1529 pactum de 64 - 70.
Lutheranis exſtirpandis repetitum & confirmatum eſt. A. 1530 gravis tempeſtas Proteſtantibus imminere videbatur, Rege adverſariorum calumniis maxime exacerbato, quem ut, legatione miſſa, Principes Proteſtantes Germaniæ delinirent, monuit *Patricius Fraicianus*, vel quicunque ſub hoc nomine latere voluit. Per *Melanchthonem* illi apologiam, ſuo nomine ſignatam, ſcribunt ad Gallum pariter atque Britannum, calumnias, ſibi impactas, diluunt, ac brevem doctrinæ ſuæ ſum-

mam exponunt, quam per *Matthaeum Reinholdum*, civem
Belzigensem, in Galliam deportandam curarunt. Rex & le-
gatum cum multa gratiæ demonstratione excepit, & perbeni-
Pag. 70 - 79. gne respondit. A. 1532, doctrina emendata Aureliæ & Avarici
opera potissimum *Calvini*, & Tolosæ studio *Jul. Caes. Scalige-
ri*, multa cepit incrementa. In ipsa aula regia principes viri
ac fœminæ renascenti favebant Evangelio; in scholis doce-
bant *Jo. Sturmius* & *Petr. Ramus*. Alibi locorum crudeli-
ter sæviebatur. *Jo. Cadurcus* & *Alex. Canus* vivi sunt com-
busti, quorum posterior ante supplicium adeo fortiter ac con-
stanter est locutus, ut turba præsens, hostes etiam, innocen-
79 - 87. tiam viri lachrymis testarentur. *Philippus*, Hassus, cum in cau-
sa *Ulrici*, Wirtenbergici, in Gallia versaretur, monitus a Re-
ge, ut Protestantes a Concilio petendo desisterent, cum ipse
& Pontifex aliam litium componendarum viam ingressi es-
sent, renuit. *Margaretha* impedivit, quo minus purior reli-
gio in Gallia exterminaretur, &, qui propter illam affligeban-
tur, illis in terris suis tutum receptaculum præbuit. Consigna-
verat librum, cui titulus, *le Miroir de l'ame pecheresse*, qui cum
a doctoribus Sorbonicis in numerum librorum prohibitorum
relatus, inque illum in Gymnasio Navarreno contumeliosa fabu-
la acta esset, hujus præcipui autores in carcerem sunt conjecti,
sed non ita multo post dimissi. Doctores autem Sorbonici jussu
88 - 94. Regis judicium suum revocare sunt coacti. Regina in ipsa ur-
be Parisiensi pastores aluit, imo Regem fratrem solicitavit, ut
a severitate abstineret, ipsique emendationis religionis arti-
culos aliquos proposuit. Ipsa procurante, qui puriorem se-
quebantur doctrinam, in Aquitania & Benarnia in publicos
coiverunt cœtus, pastores illis præfecti, sacra cœna secundum
94 - 96. institutionem Christi administrata. A. 1534 temerario non-
nullorum fervore sæva tempestas est coorta, insignes quidam
homines prostrati, igne sævum in modum excruciati, quibus-
dam ante supplicium lingua exsecta, quæ etiam A. 1535 crudeli-
tas est continuata. Quam rem cum ægre ferrent proceres Germa-
niæ Protestantes, ad illos, factum hoc excusaturus, literas ali-
99 - 100. quoties Rex misit. Ipse legatus regius, *Guil. Bellajus*, causam
Regis

Regis in conventu Smalcaldico egit, causatus, supplicia sumta fuisse ab hominibus rebellibus, anabaptistis, religionis ergo vim nemini illatam esse, simulque Principis sui circa religionem sententiam explicuit. Ad quæ, uti decebat, Principes responderunt. *Philippus Melanchthon* cum *Bellajo* per literas Pag. 110-118.
super religionis negotio egit, in Galliam etiam a Rege invitabatur, sed, ut eo iret, Principes consentire noluerunt. Quos in Galliam misit articulos de ratione componendarum controversiarum religionis, multarum disceptationum materiam 118 - 126.
dederunt. Ira Regis in Protestantes recruduit, & anni 1535 & 1536 plures viderunt ob fidem vel igne, vel alio suppliciorum genere, peremtos, nec aliquorum Helvetiæ pagorum reformatorum & Argentinensium deprecationes quidquam effecerunt. A. 1538 multæ deliberationes de Concilio habendo sunt institutæ, & commercium literarium inter Gallum & Smalcaldicos est renovatum. A. 1540 Valdenses in gravissimo versabantur 126 - 129.
periculo, speciatim in Merindolienses totale excidium erat decretum, prudenti oratione *Nicolai Alienii* declinatum. A. 1540 & 1541 multi religionis causa igne perierunt, ex quibus 129 - 135.
præcipui fuerunt *Stephanus Brunus*, *Claudius Pictor*, *Aymundus a Via*. Apud Metenses erant, qui doctrinam Evangelii præoptabant, quos inter etiam *Farellus* A. 1542 aliquot sermones sacros habuit. Porro in societatem fœderis Smalcaldici recipi cupiebant, quod tamen impetrare non potuerunt. Adhæc Ducem Lotharingiæ oraverunt, ne piæ huic destinationi intercederet, contendentes, ut unum ex templis parochialibus sibi concederetur. Comes *Furstenbergius* castellum non longe ab urbe habebat, in quo ut sacra celebrarent, ipsis permisit. Sed adversa pars prævaluit, cumque *Car. Boissotus*, Consiliarius regius, eo venisset d. 12 Octobr. A. 1543, *Vaultrinus*, verbi divini minister, urbe est ejectus, & mandatum publicatum, ne quid novi dogmatis admitterent. Die 25 Maji, in 135 - 149.
ipso festo die, Christo resurgenti sacro, frequentes eo iverant, ut *Farellum* concionantem audirent, ex ipsiusque manibus sacram cœnam acciperent; in quos cum *Aumalius*, Ducis *Guisii* filius, turmam equestrem immisisset, haud pauci

sunt

ſunt obtruncati: qua ſuper re cum Proteſtantes Principes ad
Regem *Franciſcum* ſcriberent, ille factum hoc partim extenua-
vit, partim defendit. Vexationes autem illæ in Gallia do-
ctrinam emendatam non tam ſuppreſſerunt, quam effecerunt,
ut latius proſerperet; quidam tamen, vi afflictionum ſuperati,
pedem retraxerunt, in quibus eminuerunt *Franc. Landrus* &
Pag. 149 - *Claudius Epencæus*. Suſpicio erat, Regem Proteſtantibus
152. clanculum favere, qui id ipſum Principibus haud obſcu-
re ſignificaverat: quam invidiam ut amoveret, acria in illos
edicta publicavit, eosdemque eſt inſectatus. A. 1544 d. 15
Nov. conventum Theologorum Pariſienſium Meloduni in-
dixit, qui de articulis, in Concilio proponendis, deliberarent,
152 - 154. ſed, contentionibus inter ipſos exortis, effectu is caruit. Edi-
ctum de Valdenſibus, ſpeciatim Merindolanis, exſtirpandis,
ſuperiori tempore repreſſum, A. 1545 ſæviſſimum in modum
effectui eſt datum, oppida & vici igne deleti, ingens homi-
num numerus trucidatus, virgines ac mulieres ſtupro pollu-
tæ; nec Helvetii reformati Regem ad miſericordiam flecte-
re potuerunt. Potiſſimum omnis furor in Meldenſes eſt
effuſus, qui cum ex ſuperioribus ruinis ſpiritum aliquatenus
recepiſſent, inque privatos cœtus coiviſſent, hoſtes illos ino-
pinato invadere, quotquot aderant, ligatos abducere, illorum
plures igne concremare, alios virgis cædere, aliaque ignomi-
nia afficere, omnes denique disjicere, qui alibi locorum do-
154 - 169. ctrinæ ſuæ ſemina ſpargere non intermiſerunt. Finem mo-
leſtiarum fecit mors Regis, quæ in A. 1547 incidit, cui cum
parentaſſet *Petrus Caſtellanus*, Epiſcopus Matiſconenſis, ac
inter alia dixiſſet, perſuaſum ſibi eſſe, Regis animam, ſimul at-
que corpore exceſſiſſet, cœlo receptam eſſe, nec ignibus pur-
169 - 171. gatoriis eguiſſe, parum abfuit, quin in diſcrimen addu-
ceretur.

Pergit hinc Cel. Autor ad reformationem Anglicanam.
Doctrina *Wiclefi*, licet ſuppreſſa, in multorum tamen animis
altas radices egit, qui, ubi in Germania & Helvetia ſacrorum
emendatio inſtitueretur, reformatorum libros, in ſermonem
172 - 176. ſuum converſos, avide lectitarunt. Adverſus hos Rex *Hen-*

ricus

ricus VIII & *Thomas Volsejus*, Purpuratus & summus Eboracensium antistes, multa gravia moliebantur, alios supplicio afficiendos curarunt, alios ad abjurationem coegerunt. Ipse Rex calamum in *Lutherum* strinxit, multas inde laudes apud suos & titulum *Defensoris fidei* nactus, quem cum stilo paululum acerbiore refutasset *Lutherus*, Rex non solum edictum de exterminandis *Lutheri* asseclis A. 1521 publicandum curavit, verum etiam apud Principes Saxoniæ de injuria sibi facta est conquestus, & *Erasmum* contra *Lutherum* exstimulavit. *Jo.* Pag. 176-
Frythi & *Wilh. Tyndalli* opera in emendandis sacris eximia 181.
admodum fuit, quorum uterque & ore & calamo superstitionis arcem sunt aggressi, posterior autem inde *Anglorum Apostolus* fuit appellatus, sed hanc mercedem reportaverunt, ut feralibus flammis fuerint absumti. Quæ reformationis primordia fuerint, & qua via illi obviam fuerit itum, ex *Antonii Wood* Historia & Antiquit. Oxoniensibus enarratur. Quid 181 - 194.
Joanni Randallo, itemque *Thomæ Bilneyo*, religionis causa evenerit, quorum posterior rogo est addictus, accurate enarrat. Inde sequebantur altercationes Regis cum Pontifice de divortio *Catharinæ* conjugis, quæ effecerunt, ut Rex se supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput appellaret, *Volsejus* de summo honorum gradu dejiceretur, *Anna Bolenia* matrimonii fœdere *Henrico* jungeretur, Regina publice proclamaretur, ac coronaretur. Hæc quoniam sacris purioribus favebat, præterea fidos administros, *Cranmerum* & *Cromwellum*, habebat, emendata religio plurimum incrementi cepit. Interpretatio sa- 194 - 204.
crarum literarum, a *Tyndallo* instituta, uti avide ab illis legebatur, qui gustu veræ religionis imbuti erant; ita illam sacrorum antistites omni vi suppressam cupiebant, destinata tamen effectui dare non potuerunt. In Scotia A. 1527 prid. Cal. Mart. 204 - 210.
Patricius Hamiltonus, juvenis summo loco natus, religionis causa igne ustulatus est; qui cum proditorem suum, *Alex. Cambellum*, ad tribunal Dei vocasset, hic non ita multo post, insania correptus, diem obiit. In Anglia pariter hoc & sequente anno multi vim passi sunt. A. 1530 jussu regio, & 210 - 217.
supremæ curiæ constitutione, commercium cum aula Romana interdicebatur, ne cui licitum esset, pecuniam eo mittere, *an-*

nata etiam, quæ dicuntur, ſunt abrogatæ. Clerum Romanum, qui inſoleſcere incipiebat, Rex in ordinem redigebat. Argumentum literarum, quas ad Principes Proteſtantes Germaniæ
Pag. 217 - 226. dedit, exhibetur. Ne ipſe, Papæ autoritatem abrogando, a fide catholica deficere velle videretur, non impedivit, quo minus in Proteſtantes vivos pariter atque mortuos ſæviretur: quam crudelitatem perſenſerunt *Jo. Bainhamus*, *Guil. Thracius*, *Thomas Hardingius*. In Scotia etiam quæſtio in Lutheranos acriter eſt exercita. His non obſtantibus, religio emendata notabilem gradum faciebat ſtudio Reginæ, *Thomæ Cranmeri*, ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem evecti, & *Thomæ Crom-*
226 - 232. *velli*, in locum *Mori* ſuffecti. Repetuntur ea, quæ de abrogatione poteſtatis Pontificiæ, & huc pertinentibus, dicta fuerant, quæ omnia a ſuprema curia, Epiſcopis, & Academiis, fuerunt confirmata, uno *Jo. Fiſchero*, Roffenſi antiſtite, renitente, qui hoc ipſo capitis ſupplicium ſibi arceſſivit. Ipſo hoc anno 1534 lex de hæreticis plectendis aliquantulum eſt mitigata.
232 - 239. Fraudes puellæ Cantienſis, *Eliſabethæ Barthoniæ*, detectæ, ac ipſa cum ſociis ſuis ſupplicio eſt affecta. Rex ſupremam ſuam in Eccleſiam poteſtatem ſcriptis & nummis ſignificavit,
239 - 242. capitis pœna ſtatuta in illos, qui contra venturi eſſent. In Scotia hoc anno perſecutiones continuabantur, cujus Rex fruſtra ſolicitabatur, ut a communione Pontificis Romani ſe ſejungeret. Nec tamen in Anglia præter diſciplinam in doctrina quidquam mutabatur, ac mortem ſubire debebant æque *Lutheri Zwinglii*que diſcipuli, ſi deprehenderentur, atque illi, qui
242 - 246. Pontificis autoritatem ſervatam cupiebant. Licet autem Rex adhuc ab omni religionis innovatione abhorreret; *Eduardum* tamen *Foxum* hoc anno in Germaniam miſit, qui de ſocietate ſecum ineunda cum Principibus ac Theologis Proteſtantibus ageret. Etiam *Rob. Barneſium* eo ablegavit, qui cum Theologis Vitembergenſibus conferret, ac *Melanchthonem* in Angliam invitaret. Qui quidem iter eo dirigere non refugiebat; ſed cauſæ intervenere, quare irrita res hæc fuerit facta. A.
246 - 253. 1538 Eccleſias, monaſteria, & Ordinem Hieroſolymitanorum Equitum, inviſere juſſit, illis certas regulas præſcribi curavit, &, ut ſupremam Regis ſub Deo poteſtatem agnoſcerent, imperavit.

ravit. Cum de corruptiſſimo monaſteriorum ſtatu referretur, decretum eſt, ut ſupprimerentur, illorumque bona Regi addicerentur. In Londinenſi Synodo ſancitum eſt, ut ſacra Scriptura in linguam Anglicam de novo converteretur, quod Rex approbavit. Infelix fatum *Boleniæ* ſacris emendatis detrimentum non attulit, ſuccedente in torum regium *Joanna Seymouria*, quæ pariter illis patrocinabatur. *Anna* ſublata, & *Catharina* mortua, *Paulus III* ad Regem ſcripſit, ſperans, fore, ut ad obſequium aulæ Romanæ revocaretur, ſed ſucceſſu minus auſpicato; ſuperiora omnia fuere confirmata, & Articuli quidam de emendanda religionis doctrina fuere propoſiti. A. 1537 declaratio Regis & procerum de Concilio Mantuæ indicendo eſt publicata. *Reginaldus Polus* miſit ad Regem librum de unitate Eccleſiæ, qui quoniam in Regem conviciis ſcatebat, Autorem perduellionis reum declaravit, bona ipſius ærario addixit, ingens pecuniæ ſumma in caput ipſius conſtituta, ac ira Regis in ejusdem familiam efferbuit. A. 1537 ſtatuta quædam eccleſiaſtica contra ſuperſtitioſos nonnullos ritus & doctrinas erroneas prodierunt, quibus effectum, ut paſſim graves ſeditiones excitarentur, brevi ſufflaminatæ. Ubi *Joanna Seymouria* ex partu difficili *Eduardi* d. 12 Oct. hujus anni deceſſiſſet, propugnatores Pontificiæ religionis Regem adierunt, ut Papam reconciliaret, ac *Zwinglii* aſſeclas, qui ipſis Proteſtantibus in Germania ſub nomine Sacramentariorum inviſi eſſent, exagitaret. Proteſtantibus in Scotia *Jacobi V* matrimonium cum *Magdalena*, *Franciſci* filia natu maxima, fortunatum videbatur, ſed ipſo hoc anno ad non. Jun. ex febri hectica deceſſit. Cum *Henricus* oſſa *Thomæ Becqueti* terra erui, ac igne cremari, juſſiſſet, *Paulus III* omnes diras in illum evomuit, regno indignum declaravit, illud Regi Scotiæ obtulit, cives ac ſubditos omnes jurisjurandi religione exſolvit; verum Rex iras patris irati ſprevit, nec Angli illis ſunt moti. Pontificii Regem adverſus illos, quos Sacramentarios appellabant, concitarunt; quare *Jo. Nicolſonus* neci non alia de cauſa eſt datus, quam quod corporalem Chriſti in ſacra cœna præſentiam negaret, *Gardinerio* aſtu ſuo rem eo deducente, ut per ipſos illos, qui a ſacris Pontificiis alieni erant, judicium executioni daretur. Pon-

Pag. 253 - 261.

261 - 268.

268 - 273.

273 - 279.

279 - 284.

284 - 287.

tificii, qui in aula prædominabantur, omnia ſunt moliti, quo Evangelii curſus, ſi non ſufflaminaretur, ſaltem præpediretur. Principes Germaniæ Proteſtantes legationem in Angliam miſerunt, quo Regem in partes ſuas pertraherent, cum quibus tamen ſubdole egit. A. 1539 famoſi illi ſex Articuli ſunt protruſi, capitali pœna in violatores ſtatuta, quibus tamen *Crannerus* ſe acriter oppoſuit. Vi hujus edicti ultra 500, ac inter illos etiam nonnulli Epiſcopi, in carcerem conjecti, quidam muneribus ſuis exuti, & *Crannerus* ope *Cromwelli*
Pag. 287-291. vix eſt ſervatus. In Scotia multi, Lutheraniſmi ſuſpecti, ſunt capti, quidam cremati, alii in exilium ejecti. Inter captivos erat etiam Clariſſimus *Buchananus*, ſed qui feliciter evaſit. *Cromwellus* equidem, ut rebus Proteſtantium nutantibus ſuppetias ferret, *Annam* Cliviacam Regi commendaverat, quam ſibi connubio jungeret. Cujus forma cum Regi minus placeret, ac Pontificii animadverterent, *Cromwellum* gratia Regis excidiſſe, variis eundem apud illum criminationibus circumveniunt, hocque efficiunt, ut A. 1540 menſe Junio in turrim Londinenſem
292-296. conjiceretur, tandemque d. 28 Jul. capite truncaretur. Sublato *Cromwello*, cum Rex, *Anna* Cliviaca repudiata, *Catharinam Houwartham*, quæ Pontificiæ religioni patrocinabatur, uxorem duxiſſet, Pontificii Regem omni ratione adverſus Proteſtantes incitarunt. Primo igitur promiſcua ſacrarum literarum lectio fuit interdicta; porro omnia illa tentaverunt, quibus reformationi obex poni poſſet, quamplurimi ob intentatam hæreſin ſupplicio capitali ſunt affecti, ex quibus cumprimis nominandi *Barneſius*, *Thomas Gerardus*, & *Guil. Hieronymus* qui rogo impoſiti: ex Pontificiis etiam illi capite ſunt plexi, qui ſupremam Regis in Eccleſiam poteſtatem agnoſcere recuſabant. *Gardinerius*, infenſiſſimus Proteſtantium hoſtis, *Bonnerum*, Londinenſem Epiſcopum, ſocium nactus, multa in illos
297-306. eſt machinatus. Etiam Rex Scotiæ, *Jacobus*, a conjuge *Guiſia*, & Pontificiis, animatus, in Proteſtantes iram ſuam effudit. *Catharina Houwartha*, regia conjux, adulterii accuſata, d. 12 Febr. A. 1542 capite truncatur; cujus criminis cum indicium fecit *Cran-*
306, 307. *merus*, apud Regem gratia de novo florere cœpit. Sub idem tempus *Gardinerius* ad Academiam Cantabrigienſem de ſervanda

priſca

prisca linguæ Græcæ pronuntiatione decretum dirigebat, addita pro diversitate ordinum pœna: mirum, ni & vivicomburio tantum scelus vindicaverit rigidus dictator. Scotiæ lux Pag. 307-
aliqua per illos, qui ex Anglia in patriam reduces facti erant, 313.
inferebatur, maxime cum illis se adjungeret *Hamiltonus*. Verum, cum is, turpi levitate ductus, ad Pontificiorum castra relaberetur, seque ad *Dav. Betonii*, Purpurati & Archiepiscopi, nutum totum componeret, plures vel ob solam Novi Testamenti lectionem, quod nonnulli a *Luthero* demum scriptum esse imperite blaterabant, ignis pœnam experti. A. 1543 313, 314.
quædam circa religionem placita sunt publicata, *Cranmero* a *Gardinerio* & sociis graves structæ sunt insidiæ, quas tamen feliciter is superavit. De Jure Canonico abolendo, & novo constitutionum ecclesiasticarum Corpore concinnando, consilia, sed irrito successu, sunt agitata, superstitiones nonnullæ, v. c. adoratio hostiæ, & hujus generis alia, jussu Regis sunt abolita A. 1545. In Scotia *Betonius* in veritatis confessores furere 314 - 319.
pergebat, cujus furoris victima est factus *Georgius Wismartus*, sive *Guichardus*, contra voluntatem Regis igne ustulatus, qui ante supplicium *Betonii* cædem prædixit, quod ipso eventu est comprobatum. Id facinus miris sustulerunt laudibus Pontificii, nobiles autem aliqui adeo indigne tulerunt, ut a quibusdam conjuratis in arce sua pluribus vulneribus obtruncaretur. *Henricus* A. 1546 novos in Protestantes ciebat motus. *Ni-* 319 - 331.
col. Saxtonus, Episcopus Salisburiensis, qui inde ab A. 1539 in carcere detinebatur, tandem, ubi, de vita agi, intelligeret, sententiam mutavit. *Anna Askeida*, nobilis fœmina, ignis pabulum est facta, cum eademque tres alii, *Nicol. Belanianus*, *Jo. Adamus*, & *Jo. Lacellus*, idem supplicium subierunt. Etiam de novo petierunt *Cranmerum*, sed ipsorum artes sunt elusæ, & Rex novum, idemque insigne plane, favoris documentum ipsi dedit: quin eo impudentiæ processerunt, ut conjugem regiam, *Catharinam Parriam*, a qua Regem aliquantulum alienatum norant, tanquam hæreticam & hæreticorum fautricem criminarentur. Rex, hisce criminationibus inductus, manu jamdum subscripserat, in turrim ut abduceretur; re vero ratione singulari retecta, Regina ita cepit Regem, ut adversario-

rum molimina irrita fierent, quin imo, quæ machinati erant,
in ipſorum capita reciderent. *Gardinerius* omni gratia Regis
excidit, nec in ipſius conſpectum ulterius eſt admiſſus. Comes
Pag. 332 - *Surreus*, Ducis Nortfolciæ filius, capite eſt truncatus. Sed enim,
354. *Henrico* 5 Cal. Febr. morte intercepto, cum ſucceſſio tranſi-
ret ad *Eduardum*, puerum novennem, aliam faciem Eccleſia
Anglicana induit. Inter tutores, ab *Henrico* nominatos, emine-
bat cummaxime *Eduardus*, Dux Sommerſethenſis, Regis
avunculus, qui a reliquis pro regni & Regis protectore habe-
batur. Hic autor fuit Regi, ut religionem emendatam liberam
permitteret; quare primo ſtatim imperii anno ſex illi Articuli,
& quicquid, regnante *Henrico*, in detrimentum puriorum ſa-
crorum ſtatutum erat, eſt abrogatum, imagines e templis re-
motæ, aliique ritus ſuperſtitioſi proſcripti, miſſæ privatæ in-
terdictæ, & cœna Dominica ſub utraque ſpecie adminiſtrari
cœpta. His cœptis acriter quidem ſe oppoſuerunt *Gardinerius*,
Bonnerus, ipſa *Maria*, *Eduardi* ſoror, cauſati, Rege minorenni
in religionis negotio nihil immutandum eſſe; ſed his, quan-
354 - 359. tum neceſſe erat, fuit reſponſum. Tanto reformationis
operi ſuſcipiendo & perficiendo viri pii & eruditi deerant.
Igitur ſuaſu *Cranmeri* evocati ſunt *Petrus Martyr*, *Bern. Ochi-
nus*, *Jo. a Laſco*, *Paulus Fagius*, & quidam alii, qui in Acade-
miis Oxonienſi & Cantabrigienſi linguas ſacras & Scripturas
diviniores docerent & interpretarentur, quorum vitæ & ſcripta
359 - 362. breviter enarrantur. *Petrus Martyr* doctrinam Helvetiorum
de S. Euchariſtia inculcabat, ſuper illa regia autoritate 4 non.
Maji A. 1549 cum Pontificiis in certamen deſcendebat, & leges
363 - 368. Eccleſiæ Anglicanæ conſignabat. Porro abrogata eſt confeſſio
privata, & nova liturgia confirmata, linguæ vernaculæ uſus in
ſacris introductus, feſti dies imminuti, *Gardinerio*, qui hæc im-
probabat, in carcerem detruſo. A. 1549 eccleſiaſticis matrimo-
368 - 370. nium eſt indultum, & jejunia publica ordinata. Simultas vero,
quæ dividebat fratres *Seymurios*, *Eduardum* & *Thomam*, refor-
mationis progreſſui impedimenti multum poſuit; quorum hic,
cum altos nimium ſpiritus gereret, & ad ipſum regnum graſ-
ſari videretur, perduellionis accuſatus, regia ſententia acceden-
te, 13 Cal. Aprilis capitis pœnam luit: qua re autem *Eduar-*
dus

dus protector magnam ſibi invidiam conflavit. Varii porro
tumultus a ruſticis ſunt excitati, quorum alii priſcos ritus im-
minutos, aut abolitos, indignabantur, alii ſe a nobilibus oppri-
mi dolebant, alii aliis de cauſis novis rebus ſtudebant, qui ta-
men non ita multo poſt ſunt compoſiti. A. 1550 inauguratio- Pag. 370-
num cerimoniæ ſunt deminutæ; *Ridlejus* & *Hooperus*, qui do- 372.
ctrinam evangelicam profitebantur, ad Epiſcopatus evecti, ille
Londinenſem, hic Gloceſtrienſem. Sub finem hujus & initium
ſequentis anni liturgia denuo recognita & emendata fuit, ope-
ram ad id ſuam conferente *Bucero*. Ipſo hoc anno viſitatio-
nem eccleſiaſticam inſtituit *Ridlejus*, in doctrinam & vitam
miniſtrorum Evangelii inquiſiturus, altaria in ſimplices men-
ſas converſa, pariterque confeſſio fidei eſt concepta. *Maria*
in avita ſuperſtitione perſeveravit, ac miſſam ſibi privatim fie-
ri curavit, *Eliſabetha* contra doctrinam reformatam admiſit.
Protector, variis criminationibus circumventus, celſiſſimis mu-
neribus exturbatus, in turrim conjiciebatur, quem ubi *Dudlejus*,
Varvici Comes, A. 1551 de novo eſt aggreſſus, res tandem eo eſt
deducta, ut A. 1552 d. 22 Jan. ſupplicium capitis de ipſo ſumere-
tur, qui ob ſummas ſuas virtutes magnum ſui deſiderium re-
liquit, & parum abfuit, quin ipſius cauſa tumultus exoriretur.
Pontificii, hunc caſum ſibi ſuisque rebus auſpicatum fore, ſuſpi- 372 - 380.
cabantur, ſed fallebantur oppido; ſuprema quippe curia refor-
mationem omni animorum contentione promotam cupiebat,
&, quæ in hujus gratiam ſtatuta erant, vel innovabantur, vel
in meliorem ordinem redigebantur. A. 1552 Rex 32 viris, 380 - 382.
Theologiæ & Juris admodum peritis, in mandatis dedit, ut Jus
Canonicum repurgarent, ac legum eccleſiaſticarum corpus
concinnarent, in quo ea omnia haberentur, quæ ad Eccleſiæ
regimen, doctrinam ac vitam verbi divini miniſtrorum, ſpe-
ctabant. Præcipui, qui in opere hoc occupabantur, erant *Cran-
merus*, *Gualterus*, *Haddonus*, & *Jo. Chekus*, qui circa menſem
Februarium A. 1553 illud ad umbilicum perduxerunt, ut nihil ſu-
pereſſet, niſi ut, autoritate regia accedente, publicaretur, quod
quo minus fieret, inopina Regis mors impedivit. Rex, cum 383 - 391.
ab initio A. 1553 graviter ægrotare inciperet, de religionis
emendatæ conſervatione ſolicitus fuit admodum, ſtipendia pu-
blica

blica & communes ædes in gratiam pauperum ordinavit, *Janam Grajam*, suasu Ducis Northumbrii, nominavit, quæ post mortem suam ad clavum regni sederet. Inde inter ardentes preces prid. non. Jul. annos 16 natus exspiravit, ob pietatem, doctrinam, prudentiam, aliasque virtutes, vita longiori dignissimus. Pag. 391-394. Sic igitur brevem conspectum certaminum Ecclesiæ in Gallia & Anglia ex præstantissimo hoc Opere dedimus, cujus felicem continuationem omnes Historiæ ecclesiasticæ studiosi jure meritoque exoptant, Autori Summe Venerando vires, valetudinem, vitam, otium, ab optimo Numine precantes. Effigies sex, eleganter pictæ, *Jac. Fabri Stapulensis*, *Guil. Farelli*, *Petri Vireti*, *Gul. Tyndalli*, *Thomæ Cranmeri*, & *Thom. Cromwelli*, haud vulgare decus *Volumini* huic conciliant. Subjiciuntur documenta, ad confirmationem eorum, quæ prolata erant, spectantia, numero 45, quorum indicium ut speciatim faciamus, temporis ratio non patitur. Index in *III* & *IV Tomum* coronidem imponit. Nitor chartæ & typorum idem est, qui in superioribus *Voluminibus*.

MORBILLI, VARIOLARUM VINDICES, DELINEATI a JO. GOTHOFREDO HAHN.

Vratislaviæ, in officina libraria Jo. Jac. Korn, 1753, 4.
Plag. 6½.

Excellentissimus Autor cum in aliorum morborum, qui homini secundum naturam & necessario eveniunt, tum in variolarum, expositionibus, evolutionis, seu lentæ incrementi successionis, qua rerum latentium stamina extricarentur, principium adoptavit; speciatim autem variolas, ad floris in planta leges, quasi ex gemma sensim enodari, atque hominis partem esse, uti flos plantæ pars est, arbitratus est. Vidit enim in maculis variolaribus novas arteriolas, quas motus febrilis expulerat, inque orbiculum disposuerat, per purulentiam deinde absumendas. Igitur, non morbum, veluti ille sani hominis symptoma præter naturam est, sed uberiorem materiæ in melius evolutionem atque secundum naturam, variolas esse, dixerat. Nunc, eadem lege morbillos efflorescere, asserit. Etiamsi enim magna sit variola-

rum

rum atque morbillorum diverſitas, tam ratione modi, quo invadunt, ſiquidem rhevmatis ſpeciem habent, quam ratione febris, quæ mitior illa variolari eſt, atque partis affectæ modulo, ſiquidem, cum variolæ novas evolvant arteriolas, morbilli nova vaſa lymphatica explicant; attamen, illam utrinque intercedere ſimilitudinem, putat, qua utrumque exanthematum genus evolvitur, utpote homini congenitum, illique conſtanter inhærens neque fortaſſe heri, aut nudius tertius, oritur, aut contagii lege inducitur, ſed pro cauſarum occaſionalium conditione citius ſeriusve extenditur, quamprimum motor acceſſerit, qui vegetare gemmulas cutaneas ſinat, easque compellat. Eruditus iſte phænomena morboſa explicandi modus per analogiam cum aliis partibus corporis, evolutionis lege ſimiliter ſenſim explicandis, comprobatus fuit. Dentes hominibus lento incremento per febrem evolvuntur, mammæ mulieris ex tenui & connato ſenſim procedunt ſtamine, menſtrua etiam apparent, cum non ſine tumultu vaſa uteri in majus evoluta ſunt. Sicut autem novæ opiniones quævis, etiam ſi exquiſitiſſimis demonſtrationibus ſuperſtructæ fuerint, ſuis ſubjacent dubitationibus, ita etiam, qui diſſentirent, haud defuerunt eruditiſſimi Viri, cum quibus amicam, qualem eruditis intercedere fas eſt, controverſiam Clariſſimus Autor agitat. Objicitur ſyſtemati huic evolutionis id, quod, ſi ex hominis natura variolæ, vel morbilli, eſſent, univerſum hominum genus illis ſubeſſe oporteret. Aſt Gronlandenſes, atque aliquæ inter Afros gentes, antequam aliunde contagium varioloſum, tanquam peregrina res, ipſorum venas ſubiret, variolas ignoraverunt. Reſpondet Clariſſ. Autor, cauſæ occaſionalis defectui tribuens, quod iſtarum gentium gemmulæ variolares explicitæ haud effloruerunt, atque ita cum illis cutis humanæ floſculis comparatum eſſe putat, ſicut eſt cum floribus frugiferis palmarum, ut, niſi motor illis ex flore maris palmæ accedat, quieti inertesque maneant. Igitur, adfuiſſe illis variolarem vaſorum contextum, abfuiſſe autem ſeminium, quod gemmam iſtam cutaneam actuaret & evolveret, contendit. Objectum etiam ei eſt, ſi evolutione aliqua variolæ procederent, ſynchronam omnibus hominibus, atque ſub iisdem ætatibus evenientem, eruptionem eſſe

 opor-

oportere, esse autem, qui, pueri, juvenes, vel senes, variolas, aut morbillos, experiantur. Huic objectioni in adversum procedit, cum, diversis hominibus, veluti diversis plantis, diversum florendi terminum esse posse, arbitratur. Possetne alicui, veluti aloe arborescenti, sera esse floris cutanei evolutio, cum alius hunc florem, ad legem plantarum præcocius florentium, sub vitæ primordio molitur. Cum ergo, *morbillos* eadem, qua *variolæ* efflorescunt, lege evolvi posse ac solere, animo constitutum est, illos harum vindices ideo appellat, cum evolutionis systema uberius comprobant, atque, cum semel evolutæ sunt, haud revertuntur. Ideo autem ad juniores plus attinent, quod, illos vasis lymphaticis abundare, quæ potissimum per morbillos explicantur, constat. Proinde etiam catarrhosa est illa affectio, illachrymatione, angina, tentantur, coryza etiam, aut gravedine, hinc tussi, ipsisque dejectionibus alvinis, tunc corripiuntur, siquidem tunica *Schneideriana* ex naribus ad fauces, atque hinc ad pulmones, & canalis alimentosi superficiem internam, protenditur. Lymphaticæ autem indolis morbillos esse, inde probat, quod febrem secum habent mitiorem illa, quæ variolas comitatur, id quod argumento esse possit, in vasis lymphaticis morbillaceam hærere materiam, siquidem & hydrops morbillis haud raro intercurrat. Deinde morbillorum decursus per exempla docetur, illosque aliquando benignos, aliquando malignos, esse, comprobatur, & hæc omnia ad evolutionis præoptatæ systema ingeniose, & ad veritatem proxime, applicantur. Quid autem opus est laudare Virum, quem tot egregiæ ingenii foeturæ effecerunt laudatissimum?

ODES OF PINDAR, WITH SEVERAL OTHER PIECES in prose and verse, translated from the Greek, &c.

id est,

ODÆ PINDARI, CUM ALIIS FRAGMENTIS ET Opusculis, e Græco sermone in Anglicum conversis, quibus præfixa est Dissertatio de Ludis Olympicis; Autore GILBERTO WEST, Equite, LL. D.

Londini, 1749, 4 maj.

Alph. 3 plag. 7.

Pin-

Pindarum vel intelligere, arduum est, nedum alio quocunque carmine interpretari. Magnas itaque meruisse laudes Anglum interpretem, si quidem muneri suo satisfecerit, dubium non est. Nos quidem (si, de Anglica interpretatione extraneos sententiam dicere, fas est, de qua fere non nisi Anglus natus recte pronuntiet,) eam a mente & sublimitate *Pindari* parum abesse, deprehendimus. Animus erat quidem, partem *Euripideæ* fabulæ Græcæ cum Angli interpretatione comparare: (nam præter *Pindarum* alia quoque Græca opuscula complectitur hic fasciculus, de quibus mox dicetur;) sed, incerti, quanam id cum Lectorum gratia fieret, quos eosdem & Græce & Anglice doctos, poeticarumque venerum amantes, multos extra Angliam vivere, vix ausimus affirmare; eamque operam instituere cum non liceat, nisi quibus prolixis esse licet, quod instituto nostro alienum est; non desint denique de hoc libro dicenda alia; jubemus alios, in quorum manus ille venerit, quod ei statuendum sit pretium, ipsos æstimare & inquirere, aut ab aliis discere, quibus commodum magis dignumque sit, de Anglo interprete statuere. Id solum non diffitebimur, cum in comparandis Græcis Tragici cum Anglicis versaremur, locos quosdam tam præclare eleganterque nobis visos fuisse redditos, ut exspectationem nostram interpres superaret; alios vero venustatem Græcorum (ni fallimur) non attigisse, sensum quoque passim aut dissimulasse, aut mutasse. Id etiam monendi sunt Lectores, integrum *Pindarum* hic Anglico carmine non exhiberi, sed selectas tantum ejus Odas quasdam; has nempe, *Olymp.* 1, 2, 3, 5, 7, 11, 12, & 14, *Pyth.* 1, *Nem.* item *primam* & *undecimam*, *Isthmiorum secundam*. Opusculorum, quæ illas excipiunt, hæc est series: *Horatii Oda quarta Libri IV*, ab amico *Westii* conversa; *Euripidis Iphigenia Taurica*; *Luciani Podagra*, in memoriam & placamentum veluti diræ Deæ a *Westio* conversa, cui & ipse graves pœnas dedit; porro particulæ quædam *Apollonii Rhodii*, ut *Canticum Orphei* e *Libro primo*, & *Historia Phinei* e *secundo*, Hymnus *Cleanthis* e *Poesi philosophica H. Stephani*. Hæc hactenus quidem Anglica versa concepta sunt, prosa, quæ sequuntur: *Menexenus Platonis*, & *Luciani Anacharsis*, sed hic, extra seriem, præmissæ Dissertationi

tioni de Ludis Olympicis insertus. Reliqua, modo dicta, opuscula cum præfatiuncula quodque sua, & notis, implent *paginas 315*; Dissertatio illa amplior *paginas 206*. Animadversionum non admodum spissarum ad Poetas Græcos qualis sit indoles, existimare facile est. Recensent, &, ubi æquum videbatur, diluunt, accusationes, quibus petiti Poetæ fuerunt, docent rationem veterum dramatum, enarrant historias fabulasve vetustas, ad quas alluditur, declarant sensus interdum, ut fert, abditiores. In his sunt animadversiones, Præfatio in eo. Reprehendit ineptos quosdam Poetas Anglicos, qui, non calentes igne Thebani vatis, neque perspectis *Pindarici* carminis rationibus, nugis suis miscellaneis, certo metro non adstrictis, laxis, aut potius nullis, ratiociniorum & argumentorum nexibus, tamen *Pindaricorum* elogium præscribere veriti non fuerunt. Utut audaci saltu *Pindarus* a longis fabulis veterum heroum in rem præsentem se conjicere videatur, ut sint sæpe haud obvii argumentorum nexus; non tamen eos nullos esse, neque tam occultos, aut laxos, quin sedulus & acer indagator perspicere valeat. Illos, qui *Pindarum* propterea vituperant, quod conductus canendis victorum laudibus, omne ingenium suum in rebus consumat a præsenti abhorrentibus, & narratis longo sermone veterum virorum fortibus factis vix tria, aut quatuor, verba assuat, quibus conductori male satisfacere, male mercedem mereri, videatur; hos homines egregie retundit Anglus, negans, eos aut Poetæ, aut temporum locorumve, quibus Odæ ejus recitatæ fuerunt, rationes perspectas habere. In more, ait, fuisse positum antiquis, ut amici & gentiles victorum ad aram choreas ducerent, & bene longos canerent hymnos, quibus non tam victorum laudes, quam Deorum & heroum, celebrarentur, accendendæ ad præclara facinora juventuti. Nam in victoribus fuisse plerumque, præter recentem palmam, nihil magnopere commendatione dignum, præsertim tam uberi, quæ tot chororum itus reditusque, strophas & antistrophas appellant, impleret. Quibus addi posset, illos homines, qui loquacitatem intempestivam Poetæ affricant, in illis temporibus notare, quod hodie sibi nemo non indulget. Quoties enim de celebritate aliqua publico programmate significandum sit, aut aliquem virum casum-

ſumve laudibus & gratulationibus proſequi lubeat, quotusquisque eſt, qui ſibi aliisque non videatur præclare egiſſe, ſi, poſt longam diſputationem de rebus alieniſſimis, vix tribus verbis ſub finem ſchedæ in rem præſentem veniat, eo ſæpe judicio, ut in re hilari antiquitates funebres exhauriat, & recentem e. c. maritum gratulatione coronet, quæ ritus veterum circa cadaverum expoſitionem perſequatur.

De Diſſertatione, quam ſupra commemoravimus, his poeticis aliisque opuſculis præfixa, rem ludorum Olympicorum omnem exponente, dicendum ſupereſt. Judicabat Autor, eam ab interpretatione *Pindari*, tot Olympionicas celebrantis, abeſſe non poſſe, præſertim illa, quæ a gente verſanda eſſet, in qua ſola ſtudium talium ludorum, quales Olympici fuerunt, nondum deſiit. Excerpſit eam, quod ipſe fatetur, e *P. Fabri Agoniſticis* præcipue, & ex *Burettii* Opuſculis ſimilis argumenti, quæ in *Commentariis Academiæ Gallicæ Inſcriptionum* prodierunt. De ſuo tamen nonnulla addidit, ut, harum rerum pro pleno Commentario haberi hanc Diſſertationem debere, facile credi poſſit Autori aſſeveranti. In tractando hoc argumento tenuit hunc ordinem. Ab originibus ludorum Olympicorum orditur expoſitionem; tum, quando & a quo inſtaurati fuerint, narrat; religioſos inde ritus ludorum perſequitur; poſtea de Olympiadis ambitu agit, item de Hellanodicis. Ad certamina ubi venit, poſt ſermonem de ſtadio, primo loco illa recenſet, quæ viri corpore ipſi ſuo ſubibant, ut ſunt curſus, lucta, quinquertium, cæſtus, & pancratium; illis abſolutis, ad certamina equeſtria tranſit; quo pertinent celetis, ſeu ſolitarii equi, & quadrigarum, & ἀπήνης, ſeu rhedæ, mulabus junctæ, & calpes, certamen, quo ab uno equo in dextrarium deſiliebatur. Porro dotes enarrat, quas afferre debebat, quisquis ad horum aliquod certaminum admitti vellet, & exercitia, quibus in ipſa arena Olympica, ad documenta virtutis coram tota Græcia edenda, quadraginta dies præparabantur. Denique de corona Olympica exponit, aliisque honoribus & præmiis, quæ victores manerent. Tandem, cui bono fuerint hæc exercitia, ultimo loco inquirit, ubi *Luciani* Colloquium habetur integrum intextum, quo *Solo* & *Anacharſis* de uſu gymnaſtices exhibentur diſputantes. Facile conſtat ex his, argumentum, quod tractandum ſibi ſumſit Anglus noſter, jucundum lectu & utile eſſe. Cum tamen novum non ſit, veniam confidimus paratam nobis eſſe, ſi, toties & ſatis copioſe agitatum denuo delibare, conſultum

non ducamus, quandoquidem vetusta, & nota, cum tædio & dispendio iterantur, &, quæ sua sibi Anglus habet, nova, intacta, ea e tanto acervo, quo latent, nulla Autoris nota insignita, exquirere & secernere, molestia haud caret.

OLAI WORMII, ET AD EUM DOCTORUM VIRORUM, Epistolæ, medici, anatomici, botanici, physici, & historici, argumenti: rem vero literariam, linguasque & antiquitates boreales, potissimum illustrantes, in duos Tomos divisæ.

Havniæ, 1751, 8.

Alph. 3. plag. 11, cum imagine Autoris æri incisa.

Haud præter caussam exoptant nobiscum docti Editores, ut plures, maxime Danorum, Epistolas legere queamus. Etenim si illas *Tychonis Brahei, Rantzovianas, Bertili Canutii, Thomæ Bartholini, Marquardi Gudii*, ac nunc hasce *Wormianas*, excipiamus, vel a Danis, vel ad Danos, consignatas inveniemus paucissimas conjunctim editas. Hoc igitur jam nomine gratiam Nostri mererentur, ni caussæ pariter internæ commendarent collectionem. Utique commercium *Wormii* literarium cum Italis, Gallis, Britannis, Germanis, Belgis, suo tempore celeberrimis, ita comparatum est, ut hic veluti repetiisse pœniteat neminem. Fata hujus thesauri notiora sunt, quam ut hic exponi debeant; observemus ergo solum hic recens adjecta. Sunt eadem Academica prolusio, funus *Wormianum* indicens, *Thomæ Bartholini* Oratio, tunc habita, observationes quædam, a *Grammio* exemplo suo adscriptæ, & illustrandis Epistolis quibusdam inservientes, index eorum, ad quos *Wormius* scripsit, & a quibus ipsi scriptæ sunt Epistolæ, postremoque rerum ac nominum index locupletissimus. Ad *Wormianam* vitam quod attinet, natus est *Olaus* Arhusii Cimbrorum A. 1588 d. 13 Maji, patre *Wilhelmo*, Consule Arhusiensi. Luneburgensium in Gymnasio sublimioribus sese studiis præparavit æque ac Embricæ Clivorum. Philosophiæ cursum absolvit in Academia Marburgensi. Mox, in perturbatione illa rerum Gissam venit, sanctioribus literis triennio primo deditus, hinc ad medicas se convertens. Harum ergo petiit Argentoratum A. 1607, ac postea Basileam. Sub finem anni sequentis instituta per Helvetiam & Alpes in Italiam peregrinatione, superiorem omnem peragravit, ac potissimum Patavii per semestre substitit, intentusque medicæ praxi, nationis Germanicæ, medicæ facultatis,

tatis, unanimi consensu lectus est Procurator & Consiliarius Anatomicus. Post, assumto comite D. *Henr. Petreio*, Med. & Prof. Marpurg. reliquam Italiam lustravit. Post in Galliam transiit. Cum autem, *Henrico IV* interfecto, Parisiis omnia turbarentur, in Belgium transiit, Hasniam denique, patriæ propiorem, reversus. Doctoris nomen assumsit A. 1611, Marpurgi antea iterum moratus, Basileæ. Hinc per Belgium in Angliam venit, ac nominatim Londini substitit. Cum in Anglia per annum ac dimidium fuisset, domum revocatus est, & paulo post ad elegantiores literas docendas Hafniam allectus. Deinde Medicinam conjunxit, summis honoribus Academicis sæpe functus. Adhæc multa scripsit, etiam sacra quædam. Obiit autem prid. Cal. Sept. A. 1654. Sic autem *Wormio* cognito, reliquos, quorum hic exstant Epistolæ, vel nominemus. Sunt autem ad ordinem literarum *Augustinus Æganus*, qui Leodio scripsit unam, *Jo. Andreæ*, *Nic. Andreæ*, *Bertilus Canutius Aquilonius*, *Jonas Arasonius*, *Enarus Arnfinnius*, *Torkillus Arngrimi*, *Frid. Arnisæus*, *Andr. Arrhensis*, *Lucas Bacmeisterus*, *Ivarus Joannis Bangius*, *Bartolus Bartholinus*, *Casp. Bartholinus*, *Erasmus Bartholinus*, *Thom. Bartholinus*, *Casp. Bauhinus*, *Jo. Caspari Bauhinus*, *Vitus Beringius*, *Franc. Bertaldus*, *Christian. Bordingius*, *Laur. Bordingius*, *Petr. Borrichius*; *Casp. Erasmius*, & *Erasm. Joannis Brochmanni*, *Aug. Buchnerus*, *du Buisson*, *Joach. Burserus*, *Jo. Cabeliavius*, *Petr. Chanut*, *Petr. Charisius*, *Absalon Christophori*, *Augerius Clutius*, *Herm. Conringius*, *Henr. Custerus*, *Henr.* junior *Custerus*, *Lucas Jacobi Debesius*, *Conr. Dietericus*, *Helw. Dietericus*, *Janus Dolmerus*, *Jo Elichmannus*; *Jo. Erasmi*, *Henr. Ernstius*, *Jac. Finckius*, *Thom. Finckius*, *Franc. de Fleury*, *Nic. Fossius*, *Christ. Friis de Kragerup*, *Henr. Fuirenius*, *Thom Fuirenius*, *Petr. Gassendus*, *Hallerfordius*, *Casp. Hammermuller*, *Torbernus Hasebardus*, *Achilles Harlæus* Comes, *Conr. Hevelius*, *Ge. Hilarius*, *Ge. Horstius*, *Jo. Dan. Horstius*, *Jo. Melch. Hypfauff*, *Æg. Joannis*, *Chr. Joannis*, *Christoph. Joannis*, *Margaretha* fil. *Joannis*, *Arngrimus*, *Runolphus*, *Sueno*, *Trebonius Jonæ*, Islandi, *Frid. Klingerus*, *Jo. de Laet*, *Guil. Langius*, *Joel Langlotius*, *Andr. Longebechius*, *Wilh. Lyserus*, *Benedictus*, *Gislaus*, *Jonas Magni*, Islandi, *Jac. Matthiæ*, *Nic. Mercator*, *Jo. Meursius*, *Henr. a Möinichen*, *Joach. Morsius*, *Paulus Moth*, *Henr. Motzfeldius*, *Jo. Motzfeldius*, *Jo. Mullerus*, *Jo. Narsius*, *Gabr. Naudæus*, *Car. Ogerius*,

rius, Severinus Olai, Magnus & Steph. Olavii, Islandi, *Gislaus Ottonis, Henr. & Nic. Paschasii, Simon Pauli, Isaac. Peyrerius, Cassiano dal Pozzo, Envaldus Nicolai Randulfus, Erasmus Reutherus, Ambrosius Rhodius, Ge. Rosacrantzius, Oligerus & Palamon Rosecrantzii, Jo. Conr. Saurius, Laur. Scavenius, Petr. Scavenius, Thorlaeus Sculonius, Marc. Aurel. Severinus, Frid. Severinius, Jo. Skelderupius, Petr. Skelderupius, Jo. Frid. Seltzerus, Henr. Spelmannus, Jo. Spelmannus, Otto Sperlingius, Steph. Joannis Stephanius, Christ. Stougardius, Jac. Suabius, Jo. Suaningius, Brynolfus Suenonius, Jo. Petraeus Suenstrup, Jo. Tertejus, de la Thuillerie, Joach. Timerman, Ericus Tormius, Birgitta Tot, Andr. Toxetius, Laur. Ulfeld, Thom. Vegnerus, Jo. Veslingius, Willichius Westhovius, Petrus Pauli Windingius, Petrus Winstrupius, Angelicus Aprosius Vintimiglia, & Wilh. Wormius.* Plurima, & ex parte magna, sunt nomina, sed thesaurum etiam habemus 1034 Epistolarum, varietate rerum, quas titulus indicat, aliarumque, praecipue commendabilem. Vel ad cognitionem linguarum spectantia specimina, quaedam jungemus. Ita Danicae & Anglo-Saxonicae, Anglicae,
Pag. 822. Graecae, Persicae, linguae affinitas passim ostenditur. Literas Anglo-Saxonicas, post abrogatas Runicas, etiam apud Danos in usu fuisse, docetur, libris MStis in membrana prisca lingua Danica scriptis. Cum Romanis conveniunt, paucis exceptis. Anglorum lin-
814. gua, quod *Jo. de Laet*, cum *Wormio* consentiens, indicat, hodie valde corrupta est, siquidem jam a multis seculis in illam admiserunt vocabula peregrina, maxime e Normannia Galliae petita, postquam Normannos Principes habere coeperunt, ipsique vulgo veteris suae linguae sunt rudes, & paucissimi
138. student illam cognoscere & indagare. Ad convenientiam linguae Danicae cum Graeca probandam exemplis utitur *Stephanus Joannis, Jul* ab ἴουλος, *Fod*, natus, a φύω, *Keerling*, vetula, a χήρα, *Sinnep* a
324. σίνηπι, *Smor*, butyrum, a σμύρον, vel μύρον, deducens. Convenientiam Danicae linguae cum Persica probavit potissimum *Jo. Elichmannus*, Medicinae Doctor Silesius, qui totum se dederat linguis Orientalibus & Arctois excolendis, adeo, ut, ejus dialectum esse, arbitraretur, &, Asianos illos, qui huc cum *Otthino* venerunt, Persas fuisse, suspicaretur, quod se demonstraturum promisit.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCLIII.

Pars I.

ALSATIA ILLUSTRATA, CELTICA, ROMAna, Francica, Autore JO. DANIELE SCHOEPFLINO, Consiliario & Historiographo Regio, Historiarum & Eloquentiæ Professore Argentoratensi.

Tomus I.

Colmariæ, ex Typographia Regia, sumtibus Jo. Friderici Schœpflini, 1751, fol.

Alph. 9 plag. 8, cum Tabb. æn. 24.

Quamvis magnorum semper eventuum feracissima fuerit Alsatia; fecit tamen maximus, quo ejus historia laborat, fontium defectus, ut nemo ex civibus Alsaticis fata patriæ suæ data opera descripserit, paucissimi vero hunc laborem tentarint. *Hieronymi* enim *Gebvileri*, qui *Erasmi* amicus, *Rhenani* præceptor, ac Selestadiensis & Hagenoensis scholarum, tunc florentium, Rector, fuit, conatus, quando Alsatiæ illustrandæ consilium orbi erudito annuntiaverat, eventu omnino caruit. *Ulricus* vero *Obrechtus*, Regius postea Argentoratensium Prætor, copiosos rerum Alsaticarum Commentarios componere, secum constituerat quidem, publicis vero negotiis aliorsum vocatus, in prodromo, operi præmisso, substitit. Extero igitur, Alsatica

civitate donato, Illuſtri *Schœpflino* videlicet, laboris iſtius perficiendi, quem alii fruſtra tentaverant, relicta erat gloria. *Ludovicus Languillius* quidem, Societatis Jeſu Presbyter, Annalium Alſaticorum corpus Gallica lingua jam confecit. At enim vero, Germanici ſermonis, morumque, ignarus iſte homo, ampliſſimam profecto ſucceſſoribus ſuis meſſem reliquiſſe dicendus eſt, neque ejus labores cum præſenti opere ullo modo poſſunt comparari. Ipſum enim *Schœpflini* nomen, quod in fronte hujus libri comparet, egregiam, & ab alio vix exſpectandam, rerum Alſaticarum deſcriptionem lectoribus promittit, cum raram ejus doctrinam, incredibilem diligentiam, & ingenium, omni hiſtoriarum & antiquitatis notitia refertum, ſcripta ejus jamjam evulgata, & communi eruditorum applauſu excepta, affatim declarent. Habet igitur Alſatia, de quo glorietur, quod diſertus & gravis hiſtoriæ ſuæ ſcriptor tandem aliquando exſtiterit, qui, antiquiſſimi temporis memoriam inveſtigans, ac veritatem a fabulis ſollicite ſecernens, obſcuriſſimis rebus lumen feliciter affudit. Quod qua ratione, quove ſucceſſu, fuerit effectum, ut eo certius intelligatur, notitiam & contenta libri, more noſtro, nunc exponemus. Prodromum videlicet, ſive conſpectum operis Illuſtris Autor præmiſit, ubi de limitibus veteris & novæ Alſatiæ ſumma cum cura diſputat, varioſque aliorum errores explodit. De montibus itidem, ſilvis, arboribus, & herbis, quæ in Alſatia procreantur, accuratam ſuppeditat notitiam, neque animalia, volucres, venationem, metallifodinas, tam olim, quam hodie, per Alſatiam celebres, præterit, ac naturæ fautricis dona, depromi ex illis ſolita, enarrat. De monte *Vogeſo*, deque Rheno fluvio, varia notatu digna cum lectoribus communicat. Reliqua porro per Alſatiam flumina atque rivos deſcribit, fertilitatemque ac amœnitatem iſtius regionis prædicat. Auri ramenta, a montium auriferorum fibris abraſa, arenis ſuis Rhenum involvere, obſervat. Novem præterea per Galliam flumina, auro prægnantia, reperiri, *Reaumurium* ſecutus, monet, modum auri colligendi, ac proprietates auri iſtius, ediſſerens. Jus, auri fluvialis in Rheno

no legendi, quod *auri piſcaturam* diceres, majoribus Ordinum Germaniæ regalibus accenſeri, tandem obſervat. Ipſa Alſatiæ hiſtoria in quinque diſpeſcitur periodos. Earum prior, *Celtica* nempe, temporum ſerie longiſſima, omnem illam Alſatiæ Celticæ liberæque ætatem, a primordiis rerum, ad *Julium Cæſarem* usque, Romanorum Dictatorem, qui jugo externo eam primus ſubjecit, complectitur, adeoque anno 58 ante æram Dionyſianam terminatur. Altera, quæ *Romana* dicitur, ad Francorum usque imperium, ſub *Chlodovæo M.* in his partibus A. 496 Tolbiacenſi prælio ſtabilitum, pertingit. *Francica* periodus tertia audit, quæ ad *Ludovici Germanici* tempora, ſpeciatim ad annum Chriſti 870, progreditur, quo in *Lotbariorum* diviſione regni, Germanos inter Gallosque facta, Germanici juris provincia evaſit Alſatia. *Germanica* periodus, quæ numero quarta eſt, omne illud tempus complectitur, quo regni, atque deinceps imperii, membrum fuit iſta regio, ad annum usque 1648, cum Weſtphalica pace, per Neomagenſem, Riſwicenſem, & ſequentes, roborata, ad Gallicam monarchiam tranſiit, a quo tempore *Gallica*, quæ poſtrema & quinta iſtius hiſtoriæ eſt periodus, ad noſtra usque tempora perdurat. Tribus primis periodis *Alſatiam veterem* comprehendi, Illuſtris Autor monet. *Alſatiam mediam* Germanica periodus, ad Seculum usque decimum ſextum, complectitur. Reliqua *Alſatiam novam* conſtituunt. Et, quamvis in Celtica & Romana periodis nondum *Alſatiæ* nomen innotuerit, ea ipſa tamen voce per πρόληψιν Ill. Autor per univerſi operis ſeriem uſus eſt. Ex lingua nimirum Franco-Theotiſca origines ſuas Alſatiæ nomen derivare, contendit. *Fredegarium Scholaſticum*, qui Seculo ſeptimo floruit, primum illud regioni nomen in ſcriptis ſuis dediſſe, narrat, plurima aliorum commenta explodens. Vocabulum *Elſaſs* a flumine *Ill*, medio ævo *Ell* dicto, quod per maximam Alſatiæ partem decurrit, derivandum eſſe, contendit, unde Latine ſcribentes mox *Alſaciones*, *Alſatios*, *Alſatiam*que, effinxerint. Theotiſcum præterea nomen *Elſaſs* accolis fluvii primitus Pag. 33.

N 2 inditum,

inditum, atque ab illis deinceps ad integram regionem
Pag. 35. translatum fuiſſe, urget. Sub Celtica periodo, a Rauracis, Sequanis, & Mediomatricis, regiones, quas Alſatia hodierna complectitur, fuiſſe inhabitatas, obſervat. *Juram*, montem altiſſimum, inhabitaſſe Rauracos, adeoque inter hodiernam
38. Thurgoviam & Sundgoviam ſitos fuiſſe, docet. Præter *Rauricum*, urbem gentis iſtius metropolin, nullas iſto tempore Rauracis fuiſſe urbes, contendit. Separatam eos ab Hel-
39. vetiis peculiaremque conſtituiſſe civitatem, docet. Sequanos inter Rhodanum, Ararim, & Rhenum, fluvios, conſediſſe, obſervat. Multas diſſitasque cum tenuerint Sequani regiones, eosdem in interiores & exteriores, habita ſitus ratione, divisit, interiores, Burgundiæ Comitatum, exteriores, maximam Sundgoviæ partem, totamque ſuperiorem Alſatiam, occu-
40. paſſe, contendens. Præcipuam iſtius gentis urbem *Veſontionem* fuiſſe, oſtendit. *Civitas Sequanorum* eadem veteribus Geographis audit, quamvis univerſa Sequanorum gens
42. iſto nomine ſæpius quoque inſigniatur. De etymo nominis Sequanorum varias variorum Ill. Autor conjecturas affert. A *Cæſare* & *Plutarcho* amici Romanorum dicuntur Sequani, cum *Strabo* eos Romanorum & Æduorum inimicos appellet. Ambos vero ſcriptores inter ſe conciliari poſſe, ſi diverſitatis temporum ratio habeatur, Ill. Autor monet. Ceterum, gentis Sequanorum inſigne *aprum* fuiſſe, credit, idque ex numinis, aliisque antiquitatum monumentis, quorum aliquot in ſuo ſe aſſervare Muſeo, teſtatur, comprobat.
44. Inferiorem Alſatiam omnem inhabitaſſe Mediomatricos, pro certo ſumit. Gallicæ potius, quam Germanicæ, originis iſtam gentem fuiſſe, argumentis, ſat validis, evincit. *Di-*
46. *vodurum*, Mediomatricorum metropolin, nihil ab hodierna Metenſium urbe diſcrepaſſe, urget, cum ipſa Metenſium compellatio ante *Notitiæ occidentalis imperii* compilationem non fuerit audita. Sequanorum civitatem in tres pagos, id eſt, regiones, fuiſſe diviſam, Rauracos vero clientes Sequanorum, non quidem ſtipendiarios, ſed honorarios, fuiſſe, prout Pariſii quondam Senonibus juncti erant, obſervat.

ſervat. Mediomatrici, ad quos inferior pertinuit Alſatia, in
quot pagos diviſi fuerint, certo definire non audet. De Pag. 47.
oppidis Alſatiæ, quorum compellatio Celticam originem
prodit, quæque in hac temporum periodo jamjam exſtitiſſe
indicat, ſingulari cum cura diſſerit. Habitum dein corpo- 48 ſeq.
ris, victum, veſtitum, cujus varias figuras, æri inciſas, adjecit,
arma inſuper, mores, & inſtituta Alſatarum Celticorum reli-
qua, admodum operoſe deſcribit, neque religionem eo- 63.
rum præterit. Primos & antiquiſſimos Alſatiæ Celticæ ſa- 70.
cerdotes *Druides* fuiſſe, nos docet, eorum dignitatem, & in
rebus civilibus autoritatem, fuſe ediſſerens. Alſatiam ve- 81.
terem, cum decurrentibus ſeculis, diverſas in regioni-
bus ſuis habuiſſe linguas, *Celticam* puta, *Romanam*, &
Theotiſcam, novumque imperium novam ſemper Alſatis at-
tuliſſe linguam, obſervat. Ante *Cæſaris* in hanc regionem
adventum, Celticæ linguæ uſum, qualis inter Galliæ incolas
invaluerat, in Alſatia viguiſſe, admodum fuſe demonſtrat.
Sententiam eorum, qui, primis Alſatiæ incolis Teutonicum 88.
ſermonem fuiſſe vernaculum, exiſtimant, tanquam falſam, im-
pugnat; eos etiam caſtigans, qui, ex Phœnicum, Hebræo- 93.
rum, aut Græcorum, linguis Celticum ſermonem enatum eſſe,
ſibi perſuaſerunt. Ad res, ſub periodo Celtica per Alſatiam 94 ſeq.
geſtas, poſtea delatus, periodum illam, quantumvis lon-
gam, pauca tamen notatu digniora ſubminiſtrare, con-
queritur. Defectum illum non tam ex temporum injuria,
quam ex ævi illius priſci barbarie, imo & ex recepta Drui-
dum Bardorumque diſciplina, cujus ſuprema lex erat, nihil
ſcripto conſignare, exortum eſſe, contendit. Theologia
enim a Druidibus, hiſtoria a Bardis, non niſi ore
tradebantur. Omnem vero periodum Celticam in tempus
obſcurum, mythicum, & hiſtoricum, Cel. Autor diſpeſcit.
Ad *Julii Cæſaris* usque tempora omnes res obſcuræ ſunt.
Cum autem ſcriptores mediæ ætatis monumentorum iſtius
ævi defectum figmentis ſuis ſupplere ſtuduerint, mythi-
cum tempus, ſeu fabuloſum, inde naſcitur. Solis quippe
Græcis atque Romanis, & inter hos *Julio Cæſari* potiſſi-

mum, debetur, quæ in vaſta hac temporum periodo haberi poteſt, rerum geſtarum notitia. Geographicas etiam, ſacras, atque civiles, Alſatiæ antiquitates non niſi ex illis ſcriptoribus, nec non lapideis quibusdam monumentis, quæ Romanorum religio in Alſatia conſecravit, quæque veluti tabulæ quædam ex magno naufragio ſuperſunt, divinando cognoſcimus. Qui rebus Alſaticis aliunde præſidium quæſiverunt, & ex tenebroſis mediæ ætatis temporibus lumen aliquod hiſtoriæ Alſaticæ afferre ſtuduerunt, in profundam fabularum abyſſum prolapſi ſunt, falſaque miſcendo veris, lectori incauto obtulerunt quisquilias. Fuiſſe interim hanc communem Scriptorum Alſatiæ omnium, qui ante Seculum XV floruerunt, labem, Ill. Autor nos docet. De *Godofredo Viterbienſi*, qui Seculo XII vixit, nec non de famoſo illo impoſtore, *Annio Viterbienſi*, qui A. 1495 *Beroſi*, *Manethonis*, *Methaſtenis*, aliorumque hujus generis ſcriptorum, fragmenta Romæ in lucem emiſit, diſputat; eorumque vitas breviter deſcribit. Narrationes, ex putidiſſimis

Pag. 99. hiſce fontibus derivari ſolitas, recenſet, & explodit. Genuina autem veteris ævi monumenta ſcrutatus, in tota periodo Celtica, rerum, in Alſatia geſtarum, nihil, præter *Arioviſtina* bella, reperit, quorum initia in hujus periodi finem incidunt. *Arioviſti* res, quæ apud Sequanos, veteris Alſatiæ incolas, evenerunt, quatuordecim annorum tempus conſtituunt, quo libera Alſatia triſte ſervitutis jugum ſubiit. Germanorum imperio *Arioviſtum* Alſatiam Sequanicam, ſive ſuperiorem, ſubjeciſſe, obſervat, Mediomatricenſes, ſive inferiores Alſatas, a Germanis manſiſſe intactos, libertatemque ſuam non niſi ſub Romanis victoribus amiſiſſe, contendens.

102. Res geſtas igitur *Arioviſti* contra Sequanos ſingulari cum cura, elegantia, & doctrina, Illuſtris Autor deſcribit, obſervationes plurimas, ſane eruditas, veteremque Geographiam mirifice illuſtrantes, inſpergens. Prælium, *Arioviſtum* inter & *Cæſarem* commiſſum, non in ipſa Alſatia, ſed vicina potius Burgundia, quæ Alſatiæ limes eſt, depugnatum eſſe,

108. contendit. Quatuordecim annos Alſatiæ Sequanicæ *Arioviſtum*

ſtum imperitaſſe, narrat. *Cæſarem* A. U. C. 696 Sequanos & Mediomatricos ſubegiſſe, conſtituit. Cum Alſatis priſcis Pag. 109.
religionem, cultum, mores, & linguam Celtarum, contra aliorum tantum non omnium ſententiam, tribuerit Ill. Autor; opinionis iſtius defendendæ cauſa, peculiarem de Celtis diſquiſitionem hic addidit. Gallos nimirum, lingua ipſis vernacula, *Gueltas*, vel *Keltas*, fuiſſe nominatos, &, Romano ſermone apud eos invaleſcente, priſtinam nominis pronuntiationem diſparuiſſe, obſervat. Ad quem populum nomen hoc vere olim pertinuerit, variæ ſunt eruditorum ſententiæ, quas ad quatuor claſſes Ill. Autor revocat. Fuerunt nimirum, 110.
qui, omnes omnino Europæas gentes antiquitus ſub communi Celtarum compellatione comprehenſas fuiſſe, exiſtimarunt. Maximam duntaxat Europæ partem, vel præcipuos ſaltem ejus populos, Hiſpanos videlicet, Gallos, Britannos, Germanos, atque Illyrios, Celtarum nomine a veteribus inſigniri, aliorum fuit opinio. Diſſentiunt ab illis alii, qui ad Germanos tantum & Gallos vocem hanc, ejusque ſignificationem, reſtringunt. A quorum ſententia rurſus alii diſcedentes, ad Germanos ſolos Celtarum nomen præcipue pertinuiſſe, atque adeo non niſi ſecundario ad Gallos translatum fuiſſe, ſibi perſuaſerunt. Nullam ex iſtis ſententiis Illuſtris Autor comprobat, qui potius, veram Celtarum patriam inter Pyrenæos montes, Oceanum, Alpes, & Rhenum, adeoque in ſola Gallia vetere, eſſe quærendam, pronuntiat. Cum nimirum ex primis & patriis ſedibus Celtæ magnis agminibus ad diverſas orbis habitabilis partes migrarint, frequentesque colonias tranſmiſerint; factum exinde eſt, ut ſcriptores nonnulli veteres, recentiores autem tantum non omnes, in quærendis Celtarum ſedibus, patriam gentis primariam a regionibus, in quas coloniæ ejus migrarunt, non ſatis diſtinxerint, unde tot errorum originem eſſe repetendam, Ill. Autor judicat. Omnes ille ſententias, ſupra de Celtarum patria allatas, dein examinat, plurimas obſervationes geographicas adſpergens. Colonias denique Celtarum 120.
quamplures admodum operoſe recenſet. Sub periodi Romanæ

manæ ingressum, res *Julii Cæsaris*, per ea loca gestas, qui
Pag. 123. nimirum dominio Romanorum subjecit Alsatiam, describit. Geographicas postea, quas tunc temporis ista regio subiit, mutationes sollicite describens, superiorem Alsatiam nullam conversionem memorabilem expertam esse, pronuntiat, usque dum una cum reliquis Sequanis, Rauracis, atque Helvetiis, in unam, quæ *Maxima Sequanorum* appellata est, provinciam coalesceret, id quod quarto æræ *Dionysianæ* Seculo contigit. Pristinos igitur indigenas Celticæ originis immotos ibi perstitisse, pro certo sumit, plurimosque scriptores, qui, Alsatiam superiorem, hisce temporibus, ex *Celtica Belgicam*
124. fuisse factam, memoriæ prodiderunt, ample confutat, *Se-*
127. *quanos* & *Belgas* disertis verbis a *Tacito* distingui, nos docet, & ita quidem propriam sententiam, quam *pag. 42 §. 14* hujus operis protulerat, re nimirum curatius pensitata,
129. mutat. Nomen *Maximæ Sequanorum*, monumentis trium priorum Seculorum incognitum, Seculo quarto demum innotuisse, postquam quatuor illæ Galliarum partes, *Narbonensis*, *Aquitanica*, *Lugdunensis*, & *Belgica*, in plures paulatim partes minores, & quidem in XIV primo, inde in XVII, divisæ erant provincias, constituit. Rauracos atque Helvetios ad eandem provinciam fuisse relatos, docet. Limites *Maximæ*
130. *Sequanorum* sollicite definit. Inferiorem Alsatiam sub ipso periodi Romanæ exordio duplicem subiisse mutationem, quarum utraque statum ejus geographicum haud mediocriter immutarit, narrat. Prima nimirum contigit, cum Triboci, Germanicus populus, sub periodi Romanæ initio, inter Mediomatricos, ibi habitantes, in perpetuum sedes fixissent, altera, cum Germaniæ Cis-Rhenanæ nomen sub *Augusto* innotesceret, quam provinciam cum in superiorem & inferiorem idem *Augustus* subdivideret, Alsatia inferior Germaniæ superiori ab eodem fuit adscripta. De Tribocis itaque primum, postea de duplici Germania Cis-Rhenana, Illustris Autor disputat. Ubi de nomine Tribocorum varias variorum attulerat & exploserat conjecturas, priscas gentis istius sedes, quantum in ista rerum obscuritate fieri potest, indicat.

Inter

Inter belli civilis *Cæsareani* turbas, eosdem, Rheno trajecto, in Alſatia inferiore ſedes fixiſſe, contendit, aliorumque ſen- Pag. 136.
tentias confutat. Limites Tribocorum ſtudioſe conſtituit. Monumenta denique antiqua, in quibus Tribocorum men- 137.
tio injicitur, cum lectoribus communicat. Germaniæ ſuperio- 138.
ris inferiorisque nomen, *Auguſti* temporibus, & quidem A. U. C. 726, fuiſſe exortum, demonſtrat. Limites, qui Alſatiam ſuperiorem ab inferiore ſeparant, diligenter indicat, terminum utrinsque provinciæ in Baſileenſis & Argentinenſis diœceſeos confinio eſſe quærendum, pronuntiat, diſſentientium hac de re opiniones profligans. Germaniæ ſuperiori 141.
Rhenum ad orientem, *Obringam*, ſive *Aaram*, ad ſeptentrionem, *Vogeſum* ad occaſum, & *Alſatiam ſuperiorem* verſus meridiem, limites Illuſtris Autor tribuit, Germaniam inferiorem reliquam, omnem oram Rhenenſem, ad Oceanum usque comprehendere, contendens. Tempore *Conſtantini M.*, 147.
quando, *ſuperioris* & *inferioris Germaniæ* ſuppreſſis nominibus, *prima* & *ſecunda* in ejus locum ſucceſſit, eosdem *Germaniæ primæ* fuiſſe limites, qui *ſuperioris* quondam *Germaniæ* fuerant, exiſtimat. Urbes poſtea, caſtra, & munimenta, Alſatiæ Romanæ diligenter recenſet, e quibus nonnulla ſpeciminis loco afferemus. A Rauracis nimirum ducto initio, inde per Sequanos & Tribocos ad Nemetes progreditur. Ex his enim populis compoſita fuit vetus Alſatia, ita quidem, ut Rauraci, Sequani, & Nemetes, extrema tantum Alſatiæ contingerent, Tribocorum autem civitas omnis ei eſſet incluſa. Quamvis autem non niſi extrema pars Raurici agri borealis Sundgoviæ Alſaticæ compoſuerit partem, ubi nimirum Rauracorum & Sequanorum collimitium fuit; conveniens tamen Illuſtri Autori viſum eſt, ut ad gentis iſtius metropolin usque excurreret, atque præcipua illius urbis, florentiſſimæ olim, poſtea ſolo æquatæ, fata examinaret, cum ex ejus, tanquam matris, fortuna Sundgoviæ quoque Rauracenſis fata pependerint, & ævo poſtea *Carolino* omnis Rauricus ager ſub Alſatiæ Ducatu fuerit comprehenſus. Inſcriptionem quandam, *Auguſti* Imperatoris ætate

Pag. 151 seq. in *Munatii Planci*, coloniæ Rauricæ ductoris, honorem po-
sitam, nomen oppido primum dedisse, ut *Raurica* dicere-
tur, apud *Plinium* vero istam urbem *Rauricum* vocari,
commemorat. Tres autem diversas loci istius compellatio-
nes fuisse, ex fatorum ejus diversitate prognatas, nos docet.
Primitus *Rauricum*, vel *Rauracum*, appellatio communis, a
Romanis recepta, inde *Colonia Raurica*, *Augusta Rauracum*,
& simpliciter *Raurici*, denique *Castrum Rauricense*, vel
Rauracense, innotuerunt. Incrementa ac decrementa istius
urbis, situm ejus, & fata, admodum eleganter & accura-
te Ill. Autor edisserit. Vitam *Munatii Planci*, coloniæ
Rauricæ conditoris, operose describit. Inscriptionem illam
antiquam, in honorem *Munatii Planci* confectam, in qua
prima Rauricæ mentio injicitur, integram exhibet, & illustrat.
In mausoleo *Munatii*, quod hodienum in promontorio
Cajetano visitur, & ab incolis loci *turris Orlandina* vocatur,
eadem exstat, quam ipsam molem marmoream se, cum A.
1727 mense Aprili Roma Neapolin tenderet, oculis usurpasse,
154. Ill. Autor notat. Italici juris fuisse Rauricam coloniam,
160. ipsi verosimile est, quamvis, *censum soli* Romano ærario eam,
ad exemplum aliarum urbium, quæ similiter jure Italico gau-
161. debant, persolvisse, existimet. Arcium, turriumque munita-
162. rum, aliorumque ædificiorum, reliquias, quæ isto in loco ho-
dienum visuntur, in conspectum producit, ubi incredibilis Ill.
Autoris diligentia, quam in describendis hisce ruderibus adhi-
buit, omnem profecto laudem & admirationem superat. Vi-
163. cina coloniæ Rauricæ oppida breviter postea describit. A. 451
173. Raurica per *Attilam* deleta, suisque cineribus sepulta, Episco-
patum autem Rauracensem Basileam fuisse translatum, conten-
dit, & ad objectiones, quæ afferri poterant, respondet. Coloniæ,
Rauricam ductæ, memoriam A. 1528 a senatu populoque Ba-
sileensi fuisse renovatam, & *Munatio Planco* statuam in cu-
ria Basileensi erectam, commemorat, inscriptionem, quæ in
180. basi istius statuæ legitur, integram apponens. De castello, *ro-
bur* dicto, Rauricæ quondam vicino, cujus mentio apud so-
181. lum *Ammianum Marcellinum* injicitur, multa notatu digna
pro-

profert in medium, aream ejus, ipso castello a Vandalis di-
ruto, mœnibus Basileæ inclusam esse, narrans. *Robori* Basi- Pag. 183.
leam, ei quippe vicinam, & in Rauracis sitam, subjungit. Au-
gustæ Rauracorum incolas, a barbaris sede sua Seculo quarto
expulsos, hic consedisse, & prima urbis fundamenta jecisse,
contendit. *Basiliam* istius urbis nomen in plurimis scribi
monumentis, nos docet. Castellorum, a *Druso* ad Rhenum 184.
juxta Basileam exstructorum, mentionem injicit. Et hac qui- 186.
dem ratione omnia per Alsatiam loca, tunc temporis cele-
bria, eorum situm, natales, fata, & mutationes, admodum sol-
licite describendo, persequitur, plurimos, qui ante eum hoc
in stadio decurrerunt, corrigens, ac in rectam viam reducens,
quæ inter, ea potissimum, quæ de Argentorato protulit, lau- 206.
dem & admirationem merentur. Rudera dein castrorum,
& munimentorum, a Romanis in occidentali Alsatiæ limite,
Vogeso, exstructorum, quorum nomina ad nostram ætatem
non pervenerunt, reliquiæ autem adhuc supersunt, pari dili-
gentia describit. Cum Marcomanni, una cum sociis suis, in 238.
Bojohemum digressi essent, vacuas regiones, Rhenum inter
& Danubium sitas, novi non statim occupaverunt incolæ.
Successu temporis autem, ex Sequanis, Mediomatricis, & Tri-
bocis haud pauci, dubiæ possessionis solum sibi vindicarunt,
atque adeo omnis fere Marcomannica regio ab hisce advenis
habitata est. Tractus hic cum novis incolis novum quoque
nomen a Romanis accepit, qui eum Latina appellatione *de-
cumates agros* nuncuparunt, quod ex agris illis decimæ per
decumanos, publicanorum principes, a possessoribus exigeban-
tur. Origines feudorum hic quærendas esse, plures, hujus
doctrinæ periti, arbitrati sunt. Propugnacula igitur & valla,
quibus decumanos hosce agros Imperatores Romani, quorum
quippe dominio suberant, incluserunt, & quorum memoria in
priscis monumentis superest, Ill. Autor diligenter describit. Loca 242.
item, quæ in decumatibus hisce agris Romani exstruxerunt,
quorum nomina apud *Ptolemæum*, *Ammianum*, inque *tabula
Theodosiana*, leguntur, recenset. In unius & peculiaris pro- 245.

 vin-

vinciæ formam agros hosce decumates fuisse redactos, negat,
Pag. 246. cum *partem provinciæ*, *Tacito* teste, constituerint, quamvis dubium incertumque maneat, an ad Germaniam superiorem, an vero ad Lugdunensem provinciam, agri isti fuerint relati. Origines Alemannicas a Marcomannorum, Rheni litus relinquentium, temporibus perperam & falso a plerisque repeti,
248. contendit. Seculo tertio potius, cum omnis generis barbari regiones Rhenum inter, Danubium, Mœnumque, occupassent, eosdem, invento ab ipsis fortasse nomine, *Alemannos* fuisse vocatos, observat. Alemannis autem Seculo quinto per Francos devictis, utramque Alsatiam Alemannico Ducatui, a Francis instituto, subjectam esse, adeoque Alemanniam diversis tempori-
249. bus diversos habuisse limites, pronuntiat. Vias Romanorum militares, per Alsatiam olim stratas, ex itinerario, & tabula *Theodosiana*, studiose edisserit, cum de viis Romanorum, ea-
251. rumque fabrica in genere, fuse prius disputasset. De stationibus, & cursu publico, per Alsatiam tunc temporis instituto, va-
257. ria itidem profert in medium. Post magnam illam barbarorum in Galliam irruptionem, quæ A. 406 contigit, & quæ medium quendam statum inter Alsatiam Romanam atque Francicam introduxit, istam regionem neutiquam a Burgundionibus, prouti recentiores Historici tantum non omnes existimant, sed potius ab Alemannis, occupatam fuisse, contendit, istamque sententiam multis rationibus confirmat.
258. Romanæ Alsatiæ divisionem oblivioni tunc datam fuisse, ac nomina locorum, a Celtis Romanisque imposita, cum ipsis urbibus, munimentis, castris, & castellis, fuisse sepulta, Germanicas vero pagorum, vicorum, villarum, rivorum, fluminum, silvarum, saltuumque, compellationes invaluisse, commemorat.
266. Divisionem Alsatiæ in pagos ab Alemannis repetit, ipsamque istius regionis in pagum meridionalem & septentrionalem (*Sundgau* & *Nordgau*) divisionem illis temporibus natam
267. fuisse, existimat. Ab Alemannis vero ad Alsatiam Romanam III. Autor reversus, statum ejus civilem, a quibus præsidibus recta, quibus juribus & institutis usa, fuerit, narrando, depingit. A. U. C. 697 Mediomatricos, id est, superiorem inferio-

rio-

rioremque Alſatiam, Romano imperio *Julium Cæſarem* ſubjeciſſe, aſt *Auguſtum* poſtea A. U. C. 727 novas leges, novamque rempublicam, ibi conſtituiſſe, adeoque in provinciæ formam iſtam regionem redegiſſe, commemorat. Univerſam Pag. 268.
Alſatiam inter *Cæſaris* provincias fuiſſe relatam, contendit. 270.
Superiorem Alſatiam a Proprætore Galliæ Lugdunenſis rectam fuiſſe, inferiorem ad Germaniam ſuperiorem pertinuiſſe, docet, & *Henricum Valeſium*, Galliæ Belgicæ eam ad- 271.
ſcribentem, confutat. Quamvis autem Alſatia ante *Auguſtum* 274.
in plenam provinciæ formam redacta non fuerit; Præſulibus tamen paruit, qui, *Cæſare* rerum potito, non interrupta ſerie, usque ad A. U. C. 727, trans Rhodanum, ad continendos in obſequio Gallos, mitti ſolebant. Omnes igitur hoſce Præſides, quotquot ex antiquitatum monumentis cognoſcere licuit, Ill. Autor recenſet, iisque reliquos, qui poſt A. U. C. 727 usque ad *Conſtantinum M.* Alſatiam, ceu veram perfectamque Romanorum provinciam, gubernarunt, ſubjungit, res ſub illis geſtas mira dexteritate & ſtudio deſcribens. 275 ſeq.
Eos præterea Præſides, quos vel Lugdunenſi Galliæ, vel Germaniæ ſuperiori, certo, & citra omnem controverſiam, præfuiſſe reperit, primo loco in ſcenam produxit, quos illi deinceps, de quibus dubie loquuntur ſcriptores antiqui, quosque Galliam rexiſſe, vel Germaniæ cis Rhenum præfuiſſe, teſtantur, ita tamen, ut, quæ potiſſimum illa Gallia fuerit, an Belgica, an Lugdunenſis, an alia, vel an duæ, aut omnis ſimul, & ex Germaniis, an ſuperior, an inferior, an ambæ, ſint intelligendæ, certo conſtitui nequeat, excipiunt. Jure & conſtitu- 283.
tionibus Romanorum uſos eſſe Alſatas, Ill. Autor nos docet, &, ubi diverſas jurium claſſes, quæ populis, ſibi ſubjectis, tribuere ſolebant Romani, ediſſeruerat, Alſatiam ſuperiorem *jure civitatis* a *Galba* donatam eſſe, exiſtimat; quamvis, dubia 290.
quædam contra hanc ſententiam moveri poſſe, non diffiteatur. *Antonino Caracalla* autem imperante, omnem Alſatiam iſto jure gaviſam eſſe, pro certo ſumit. Legiones, per Alſatiam inferiorem, a primis quippe Cæſarum temporibus ſemper legionibus munitam, cum ſuperior Alſatia manu mili-

Pag. 293. tari parum instructa esset, dispositas, recenset. Seriem procuratorum, qui reditus Principis per Alsatiam administrarunt, recenset; nomina tamen eorum, cum rarissime apud scriptores occurrant, & in inscriptionibus antiquis chronologicus character desit, secundum ordinem alphabeticum disposuit.
295. Tributa & vectigalia Romano imperio pependisse Alsatiam, omni dubio caret, quamvis eorum quantitatem, in tanta veterum monumentorum penuria, Ill. Autor definire non audeat. Vicesimam hæreditatum solvisse Alsatas, inscriptio vetus, hic
296. allata, docet. Post divisionem imperii Romani in præfecturas & vicariatus, a *Constantino M.* peractam, Alsatia superior, Galliæ Lugdunensi nuper adscripta, nunc pars Maximæ Sequanorum evasit, Alsatia inferior autem Germaniæ superiori semper tributa est, quamvis ab hoc tempore *Germania su-*
297. *perior*, *prima Germania* vocari cœperit. Superiorem porro Alsatiam Præsidi, inferiorem viro Consulari, tunc subfuisse,
298. Ill. Autor observat. Seriem inde Præfectorum prætorio, qui Gallias rexerunt, & Treviris sederunt, ubi multa de isto ma-
300. gistratu prius differuerat, exhibet. Officium Vicarii Gallia-
304. rum ex *Notitia dignitatum imperii* enarrat, omnesque dein magistratus, civiles pariter ac militares, in Galliis constitutos, eorumque insignia, autoritatem, ac jurisdictionis limites, studiose exponit. De moribus inde, cultu, ac religione, Alsatarum istius temporis disputat. Romanam dominationem omnia vitæ commoda, elegantiorem cultum, sed & cum his illecebras voluptatum, in Alsatiam adduxisse, narrat. Linguæ Latinæ præterea usum, bonasque artes & literas, hisce in lo-
315. cis tunc invaluisse, commemorat. De ædificiis, quæ Romani per ea loca exstruxerunt, disputat. Religionem Romanorum per Alsatiam fuisse introductam, contendit, cum antea *Mercurio* potissimum, sub nomine *Teutatis*, sive *Wodani*, sacra
324. facerent istius regionis incolæ. Christianæ religionis prima semina circa annum Christi 172, quando *Photinus*, celebris ille Lugdunensium Præsul, martyrium subiit, per Alsatiam superiorem, Galliæ Lugdunensi quippe adjectam, sparsa esse videntur. *Irenæus* vero, qui Libros suos adversus Hæreses circa finem

finem Seculi ſecundi compoſuit, inter regiones, quibus Eccleſias Chriſtianas tribuit, utramque complectitur Alſatiam, quocum *Tertulliani* locus, ab Ill. Autore citatus, conſpirat. Epiſcoporum interim ordinariorum, in ora Rheni ſuperiore Pag. 327.
conſtitutorum, ante Seculum ſextum nullam in idoneis monumentis memoriam reperiri, rejectis, quæ de ſancto *Materno*, aliisque Chriſtianiſmi per ea loca præconibus, narrantur, Ill. Autor obſervat. Acta Concilii Agrippinenſis, Seculo 334.
quarto contra *Euphradam*, Colonienſem Epiſcopum, celebrati, cui Argentinenſium & Baſileenſium Præſules, una cum aliis, interfuiſſe ſcribuntur, tanquam adulterina rejicit. Ante *Con-* 335.
ſtantinum omnem Alſatiæ hierarchiam ab Epiſcopo Lugdunenſi pependiſſe, exiſtimat. Imperante autem *Conſtantino*, Veſontinum Præſulem, in locum Lugdunenſis ſuccedentem, Helveticarum, Rauricarum, & Sequanicarum, Eccleſiarum, adeoque ſuperioris Alſatiæ, metropolitanum evaſiſſe, nos docet, cum iſta urbs Maximæ Sequanorum evaſerit metropolis. Inferioris Alſatiæ metropolin & matrem Treviros antiquitus 345.
fuiſſe, commemorat: quæ urbs primam Chriſtianiſmi notitiam per ea loca diſſeminavit; *Conſtantini* autem tempore, ſedi Moguntinæ jura metropolitica eandem ceſſiſſe, Ill. Autor pronuntiat. Varias poſtea mutationes ſedis metropoliticæ per ea 346.
loca exponit. Alemannis gentilibus Seculo quinto ad ſuperiorem inferioremque Rhenum furentibus, antiſtitis Trevirenſis autoritatem revixiſſe, & ad ea usque tempora perduraſſe, narrat, quibus *Bonifacio*, Moguntino antiſtiti, Apoſtoloque Germaniæ, vetus non tantum in Argentoratum, Nemetes, atque Vangiones, ſed & in omnes magnæ Germaniæ Eccleſias, quas Chriſto adduxerat, jurisdictio reddebatur. Num vero 349.
metropolitani, quibus Alſatia ſuberat, Primati paruerint, an porro hierarchia eccleſiaſtica juris divini, an humani, ſit, hic loci non disquirendum duxit. His autem abſolutis, Alſatiæ Romanæ annales Ill. Autor pertexit, qui quanta cura, diligentia, & ſagacitate, ſint compoſiti, quam diſerte, eleganter, & ſtudioſe, res, per Alſatiam in iſta periodo geſtas, Ill. Autor deſcripſerit, ipſemet eruditus Lector facile cognoſcet. Plura enim 351 ſeq.

ex

ex illis hic afferre, brevitas, cui ſtudendum maximopere nobis eſt, cum longiores in aliis hujus libri capitibus eſſe cogamur, prohibet. Monuiſſe duntaxat ſatis eſt, copioſam Alſaticorum iſtius ævi eventuum narrationem in tanto Hiſtoricorum defectu exſpectari non poſſe, cum non tam res geſtæ, quam indicia potius, & fugientia quaſi fragmenta rerum geſtarum, ex latebris ſuis hic protrahantur. Sterile igitur argumentum ut fierit fertilius, non vicini modo, verum remotiores ſubinde, populi in auxilium vocandi erant. Alſatia enim non una tunc civitas, aut provincia, ſed plurium civitatum, Rauracorum nempe, Sequanorum, & Mediomatricorum, quibus poſtremis Triboci dein, atque Nemetes, ex Germania novi incolæ acceſſerunt, non niſi extrema pars fuit, adeoque non propria, ſed aliena, luce radiavit. *Gallia Lugdunenſis* enim, ad quam *ſuperior*, & *Germania ſuperior*, ad quam *inferior Alſatia* pertinuit, proſperis adverſisque fatis plerumque fuit implicita, usque dum, ſub Francicis Regibus, in unius provinciæ formam coaleſceret. Monumentorum Romanorum per Alſatiam, multis barbarorum incurſionibus miſere vexatam, inſignis quidem eſt penuria, neque ullus civium iſtius regionis illis inveſtigandis ac deſcribendis dedit operam; Ill. Autor vero, benevolentia ſummorum Principum pariter, ac regni Gallici procerum, quorum nomina debito cum laudis præfamine affert, adjutus, quotquot ex illis

Pag. 434. reperire potuit, diligentiſſime deſcripſit. Nullum autem *Trajano* antiquius, nullum *Juliano* recentius, monumentum reperit. Inferiorem Alſatiam antiquitatum multo fertiliorem eſſe, quam ſuperiorem, teſtatur. Sacris monumentis, cultum Deorum reſpicientibus, primum, profanis ſecundum, concedit locum, atque ex antiquaria ſupellectile, quam Italico itinere ſibi comparavit, nonnulla, illuſtrationis ergo, hinc inde adjicit. *Mercurii* cultus cum apud Alſatas quondam frequentiſſimus fuerit, nomina ejus, ſigna, & aras, in ejus hono-

436. rem per ea loca poſitas, ſingulari cum cura deſcribit. Excipit illum *Apollo*, ſub *Beleni* nomine veteribus Gallis, teſte *Herodiano*, cultus, quem primum a *Mercurio* locum obtinuiſſe, *Cæſar* memo-

memoriæ prodidit. *Beleni* nomen a flavedine *Apollinem* accepisse, cum illud epitheton & a Romanis illi fuerit inditum, Ill. Autor observat, quamvis nullum sub *Beleni* nomine monumentum apud Alsatas supersit. Aram *Apollinarem*, quæ apud Argentoratenses olim exstitit, inscriptione decoratam, cujus rudera ab Illustri Domino *de Brou* dono accepit, Ill. Autor exhibet. Statuæ postea, & inscriptiones, in *Mar-* Pag. 461.
tis, *Jovis*, *Junonis*, *Minervæ*, *Vestæ*, & *Veneris*, honorem positæ, ac per illa loca inventæ, in scenam prodeunt. In oppido *Helveto*, quod hodie *El* vocatur, ara quadrata, cui in- 469.
scriptio: *Diis matrabus sacra*, incisa est, deprehenditur. Vo- 478.
cem *matrabus* neutiquam medii ævi barbariem, aut opificis ignorantiam, prodere, uti nonnullis visum est, Ill. Autor contendit, sed, in aliis itidem monumentis eandem scribendi rationem obtinere, in nonnullis quoque *Diis Mairabus* legi, nos docet. Nomen *Dearum matrum* a Celtica lingua derivat, ubi vox *Mair* & *Mear* præpositum, *Meirion* sacerdotem, *Meiriones* sacerdotissam, denotat. Nihil autem hisce Deabus cum *Cybele*, *Ope*, *Vesta*, & aliis, quæ itidem *matres* vocabantur, commune est, cum potius *Druides*, Celtarum sacerdotes, fœminini sexus, inter numina relatæ, eo nomine indicari videantur. Monumenta quædam, *Herculi*, aliisque Diis Dea- 482.
busque, communia, Ill. Autor describens, de numinibus συμβώμοις atque συννάοις varia hac occasione disputat. Vogesum 484.
montem divinis affecisse honoribus antiquos Alsatiæ incolas, inscriptio vetus, hic allata, comprobat. Urbibus enim, fluminibus, silvis, atque montibus, divinitatem tribuisse Romanos, Ill. Autor multis exemplis declarat. Ægyptiaca sacra, 486.
ac præsertim *Isidis* cultum, in istis regionibus invaluisse, multa ejus Deæ signa, ibidem eruta, demonstrant. A Tribocis vero *Isidis* cultum ex Germania in Alsatiam inferiorem fuisse translatum, non abhorret a vero, cum, Germanos sub figura quadam, *liburnæ* simili, *Isidem* coluisse, *Tacitus* commemoret. Plurima, hac occasione, Ill. Autor de cultu Deorum, Ægyptiis familiari, nec non de scriptura eorum hieroglyphica, disputat, neque statuam illam sacerdotis Germani, *Isidis na-*

vigium portantis, cujus effigiem *Thesauri Antiquitatum Graecarum Tomo III* inseruit *Jacobus Gronovius*, silet, quam tamen aut novi operis esse, aut servi tunicati, pondus gestan-
Pag. 498. tis, effigiem sistere, contendit. Monumentum aliquod, rupi
in Bipontino Ducatu insculptum, ac *Deo Mithrae* dicatum,
nec non sacellum, sive antrum, rupi illi adstructum, eidemque
Deo sacrum, cujus quippe cultus a Romanis receptus, hisque
oris illatus est, describit, ac varia notatu digna cum lectoribus
501. communicat. Integrum praeterea aevi Romani templum
504. Alsatiam Sequanicam hodienum servare, nos docet, cui Seculo XI monasterium adjectum est, quod nobiles Canonissae
jam occupant. Praestantissimum hoc antiquitatis monumentum, quod tot seculorum injuriis solum resistere potuit, admodum sollicite Ill. Autor describit, *Martem* in illo fuisse cultum, vulgo, quamvis ob rationes parum idoneas, credi, asseve-
507. rans. Sepulcra Romana, quotquot reperiri potuerunt, itidem
describit, &, more suo, plurima de funeribus Romanorum,
profecto erudita, & aliis non observata, affert. Paucissima
vero ex illis sepulcris hodienum supersunt, quamvis hic
tractus, qui totis fere quinque Seculis Romanorum agnovit
imperium, magnam eorum copiam comprehendisse videatur.
518. Inscriptiones denique varii argumenti, per Alsatiam repertas,
Ill. Autor exhibet & illustrat, in quibus incredibilem omnis
antiquitatis peritiam, ingenium, & doctrinam, nostra laude
576. majorem, Lector agnoscet. Monumenta varia, in locis Alsatiae vicinis inventa, illis junguntur. Nummos, per Alsatiam cusos, & Celticae periodi antiquitatem jactitantes, evulgarunt & descripserunt nonnulli. At enimvero, cum Celtis
Graeca duntaxat lingua familiaris fuerit, nummos illos, Latinis
quippe literis insignitos, ad Romanam periodum referri necessario debere, ac illos duntaxat nummos, qui inscriptione
carent, & minus affabre, ex plumbo, stanno, & aere, conflati
598. sunt, ad Celticum aevum pertinere, Ill. Autor pronuntiat;
nummos postea Gallicos, Romanis in Gallia imperantibus
cusos, qui Rauracos & Mediomatricos respiciunt, examinans.
Cum autem in amoenissimo hoc antiquitatum campo Ill. Au-
tor

tor versaretur; consiliis amicorum inductus, monumenta & inscriptiones, maximam partem ineditas, quas ex Italico itinere attulit, adeoque in Alsatiam deportavit, ut nimirum antiquariam supellectilem suam cum eruditis communicaret, hic addidit, doctissimisque observationibus, more suo, inscriptiones illas veteres illustravit. Coronidem denique periodo Romanæ impositurus, de duobus sequioris ævi monumentis Romanis, quibus in ordinandis Alsatiæ rebus geographicis potissimum usus est, *Tabula* nimirum *Theodosiana*, & *Itinerario Antonini*, disputat. *Tabula* illa, quæ ab ævo *Theodosiano*, quo confecta esse videtur, nomen sortita est, *Peutingeriana* etiam vocari consuevit, quoniam a *Conrado Celte*, natione Franco, celeberrimo Germaniæ Poeta & Geographo, qui A. 1470 claruit, in quadam Italiæ Bibliotheca reperta, atque ab eodem dono data fuit *Conrado Peutingero*, Augustano Patricio, qui eam evulgare apud animum constituerat. *Tabula* insuper *Augustana* sæpius vocatur, cum, *Augustæ* servata a *Peutingeri* hæredibus, a *M. Velsero*, Duumviro Augustano, in lucem ex parte emissa sit. Ejusdem postea *Velseri* consiliis factum est, ut a *Joanne Moreto*, Antwerpiensi, tota, sed dimidia fere parte contractior, quam in avthentico est, æri incideretur. *Theatro* postea *geographico*, quod *Petrus Bertius* A. 1619 edidit, est inserta, in *Velseri* etiam Operibus, quæ A. 1682 Norimbergæ lucem viderunt, comparet. Avthenticum tabulæ exemplar, Serenissimo Principi *Eugenio* a *Peutingerorum* postremo venditum, cum omnibus Bibliothecæ *Eugenianæ* thesauris, in Cæsaream Vindobonensem A. 1738 translatum est, ibique hodienum servatur. Tabulam igitur illam, in schedis membranaceis, diligenter conglutinatis, charactere Longobardico, scriptam & pictam, 20 pedes Parisinos & 10 pollices longitudinis, unum pedem latitudinis, habere, Ill. Autor notat. Prorsus itinerariam eam esse, a metatore castrensi, vias Romanas designandi causa, delineatam, in usum eorum, qui milites in provincias, vel ex una in alteram, deducebant, castrisque ordinandis præerant, observat. Cum autem terrarum situm Autor Tabulæ, Matheseos, ut videtur, ex- Pag. 610.

 pers,

pers, docere noluerit, nullas hic provinciarum & limitum descriptiones quærendas esse, unicam potius viarum rationem esse habitam, lineasque viarum, numeros spatiorum, indices
Pag. 611. esse, nos docet. *Itinerarium Antonini* circa finem Seculi quarti confectum esse videtur, quamvis libelli istius natales prioribus Imperatoribus, inque his *Antonino* fortassis, debeantur, quorum successores illum multis modis auxerunt, temporisque progressu ita immutarunt, ut in aliud diversumque opus tandem converteretur. Varia deinceps de compilatore operis Ill. Autor disputat, & variantes lectiones, e Codicibus Bi-
614. bliothecæ Regiæ Parisiensis excerptas, subjungit. In Francica periodo duos Alsatiæ status esse notandos, ex quibus to-
619. tidem epochæ oriuntur, constituit. Primum enim Alsatia, sub Alemannico comprehensa Ducatu, extrema Alemanniæ pars fuit occidua, nullo axiomate peculiari distincta. Post hæc, Alsatia, ab Alemannico avulsa Ducatu, peculiarem ipsa formam Ducatus induit, quod paulo post initia Seculi VII sub *Etichone* Duce factum est. Utroque in statu Alsatia Austrasiani regni pars fuit, cum nempe Francicum imperium, sub Meroveadis & Carolidis, in Austriæ Neustriæque regna ad annum usque 843 subdivideretur. Cum enim tunc, Virdunensi pactione, Lotharingicum regnum, inter Austriam Neustriamque medium, exortum esset, Lotharingiæ pars factus est Alsatiæ Ducatus. Alemannorum temporibus, antiquatis Rauracorum, Sequanorum, Tribocorum, & Nemetum, nominibus, nova illis successerunt nomina, ipsumque vocabulum *Elsass* ab accolatu fluminis *Elli* natum tunc esse videtur, cum nomen illud scriptoribus, qui primam ejus men-
622. tionem injiciunt, longe antiquius censendum sit. In pagos vero, qui tractum vicorum apud veteres significant, comitatus, & dynastias, divisam esse Alsatiam Francicam, Ill. Autor nos
624. docet. Origines Ducatus Alemanniæ diligenter investigat, cum sub Merovingica Francorum stirpe, ad Seculum usque septimum, res Alsaticæ cum Alemannicis arctissimo vinculo
626. conjunctæ fuerint. Limites Alsatiæ, quales sub Francica pe-
631. riodo fuerunt, definit. Pagos Alsatiæ majores postea edisserit,

quos

quos minores pagi excipiunt. Præter pagos Alſaticos, tractus Pag. 632.
quidam inſignes, oppidis, caſtris, vicis, & villis, divites, itidem 636.
occurrunt, qui nec pagi, nec comitatus, nec vicariatus, nomine veniunt, ſed *emunitates* vocantur, quod a Ducum Comitumque jurisdictione manſerunt immunes, quos tractus ab *immunitate*, a Regibus conceſſa, nomen ſortitos eſſe, Ill. Autor exiſtimat. Minores per Alſatiam pagi in *marcas* ſubdi- 648.
viſi ſunt, quo nomine *limites* deſignari ſolent: quas marcas omnes, quotquot in antiquis deprehenduntur tabulis,
Ill. Autor recenſet ac deſcribit. De locis quibusdam, qui, 651.
ſtilo in documentis recepto, *Geraydt*, id eſt, ſilvæ, virgultis & arboribus ſpoliatæ, dicuntur, quorum varii per Alſatiam exſtant, diſputat, & privilegia, quæ iſtorum locorum incolæ jactitant, deſcribit. *Campum* illum *rubeum*, quem bel- 653.
lum civile, inter *Ludovicum Pium* & filios A. 833 geſtum, celebrem reddidit, nihil differre ab hodierno *campo bovino* (*Ochſenfeld*), contendit, aliorum ſententias explodens. Comi- 655.
tatus inde, ac dynaſtias, Ducatus Alſatiæ ample recenſet, eorum limites ſtudioſe definit, de munere Comitum etiam diſputat.
Pagos porro & comitatus, Alſatiæ contiguos, nexus gratia de- 656.
ſcribit. Oppida, caſtra, & vici, pagis & comitatibus ſucce- 670.
dunt. Oppidum cives & mœnia habet; caſtrum eſt locus 676.
munitus, defendendæ provinciæ cauſa exſtructus, qui illa ætate a minore oppido vix diverſus fuit. Infimæ latinitatis ſcriptoribus *villa* appellatur, quod Romani *vicum* dixerunt. Palatia, villas regias, curtesque fiſcales, per Alſatiam plurimas quondam exſtitiſſe, Ill. Autor contendit. Palatia, vel in urbibus, vel in villis regiis, exſtructa fuerunt. Ob urbium parvitatem vero, & quia Francico more Reges in agris habitare malebant, major palatiorum numerus in villis regiis fuit, unde ipſæ urbes palatinæ nonnunquam *villæ regiæ* dictæ ſunt.
De talium igitur palatiorum apparatu Ill. Autor ample diſpu- 689.
tat, ſingula Alſatiæ mediæ palatia, ordinis geographici habita 692.
ratione, recenſet, illisque vicos Alſatiæ, quos Latinitas infima 714.
villas appellat, ſubjungit, quas monaſteria, per Alſatiam tunc temporis celebria, chronologico ordine ſervato, excipiunt.

 Cum

Pag. 735. Cum Austrasiani regni membrum fuerit primitus Alsatia, postea vero, ubi sub Carolingis nova monarchiæ Franciæ extitit divisio, Lotharingiæ pars evaserit; Austrasianos primo, postea Lotharingicos, Reges Ill. Autor enumerat. Duces
741 seq. Alemanniæ, quibus nimirum Alsatia a *Chlodoveo* victore regenda credebatur, hæreditario jure successisse videntur, quamvis in reliquis Ducatibus libera Regis circa Duces fuerit dispositio. Seriem horum Ducum, quotquot reperiri apud scriptores potuerunt, Ill. Autor recenset, res gestas eorum stu-
747. diose edisserens. Sub *Chlodoveo II*, & insequentibus Franciæ Regibus, peculiares Alsatiam habuisse Duces, pro certo sumit, quamvis, quo anno iste Ducatus fuerit institutus, certo definire non audeat. Nomina igitur Ducum Alsatiæ eodem ordine apponit, & argumenta, quæ, eos hisce terris præfuisse,
753. evincunt, cum lectoribus communicat. *Hermannum* vero, & *Udonem*, fratres, quibus basilicæ Wetzlariensis fundatio adscribitur, perperam inter Duces Alsatiæ a multis referri, contendit, ac inscriptionem sepulcralem istorum fratrum, in dicta basilica repertam, & a *Maximiliano* Imperatore Oenipontum
772. translatam, eruditis commentariis illustrat. Comites postea Alsaticos, quorum officium in jure dicundo, inque tributorum fisci regii, & vectigalium, cura potissimum consistebat, eadem
776. ratione enumerat, ac postea *Vicecomites, Scabinos, Centenarios, Decanos, & Villicos*, Comitibus quippe subordinatos, quorum priores Comiti assederunt, posteriores inferiora in parvis locis exercuerunt judicia, una cum aliis per Alsatiam officiis,
791. in scenam producit. Moribus Franco-Alemannicis tota hac periodo usos esse Alsatas, nos docet. Jura Regum Francorum, quorum quippe imperio tunc suberant Alsatæ, exponit. Merovingos Reges nec sacratos, nec coronatos, sed, more apud Germanos recepto, scuto impositos, atque in altum sub-
797. latos esse, observat. Primus horum Regum, *Pipinus*, manu *Bonifacii*, Moguntini, unctus est. Quamvis autem Merovingi Reges non coronarentur, diademata tamen coronasque gestarunt, id quod varia eorum monumenta, ab Ill. Autore prolata, & illustrata, declarant. Reditus horum Regum diligen-

ter

ter ille describit. Fundos subinde ducibus & militibus eos *beneficii* loco concessisse, narrat, quamvis hæc periodus vocabulum *feudi*, nec non successionem in feudo, ignoret. Monasteria tunc temporis per Alsatiam fuisse quamplurima, Ill. Pag. 799.
Autor observat, Reges Franciæ non protectores modo, vel advocatos, monasteriorum perpetuos fuisse, verum &, mortuo Abbate, illud ipsum munus ad Reges transiisse, contendens. Sub Merovingis, Episcopos a clero & populo electos, & a Regibus confirmatos fuisse, urget, quamvis Carolingorum 801.
haud pauci Episcopos & Abbates pro arbitrio constituerint. Alsatas post prælium Tolbiacense, una cum reliqua Alemannia, 802.
a *Chlodoveo* in servitutem redactos esse, contra plurimorum sententiam negat, cum præter dynastas, qui nobilium ordinem composuerunt, ingenui quoque & liberti in monumentis Alsaticis occurrant. *Ingenuos* & *Frilingos* eosdem fuisse, monet. Abbates, ad exemplum laicorum, bona ecclesiastica non in beneficium, sed in emphyteusin, certis hominibus contulisse, eaque bona *precarias* dici, erudite docet. *Ter-* 803.
ram Salicam, cujus mentio in chartis Alsaticis frequentissima est, terram, monasterio traditam, significasse, ut distingueretur a terris, quæ emtione, aliove modo, ad monasterium pervenerant, contendit. *Mansi* vocem idem denotare, quod Germanorum *Huobe*, existimat. Alemannos, cum Rheni su- 804.
perioris oram eripuissent Romanis, Alemannicos ibi mores & leges introduxisse, quas Franci, successores *Chlodovei*, redegerint in Codicem, qui ad nostra tempora pervenit, nos docet. Hunc vero Codicem, cum Capitularibus Regum Francorum, Alsatici Ducatus, ad Lutarim usque extensi, jura constituisse, cum reliqua hodiernæ Alsatiæ pars, inter Lutarim & Quisacam sita, lege Salica vixerit, observat. Romani juris nullum omnino in ista periodo comparere vestigium, contendit. Formam judiciorum istius ævi depingit, advocatos, ibi comparentes, *clamatorum* nomine fuisse insignitos, observans. De *ordaliis* itidem varia, lectu digna, nec ubivis obvia, pro- 806.
fert in medium. Cum sub Romana periodo omnes Alsatæ Latino sermone uterentur; Alemanni, Seculo quinto incunte, ab

ab ora ſuperiore Rhenenſi rejecerunt Romanos, & Teutoniſmum reduxerunt ad Alſatas, veteribus incolis partim occiſis, partim ex ſua ſede in Germaniam transrhenanam abductis. Sic Alemannicis coloniis, Theotiſce loquentibus, repleta Alſatia. Reſidui ex cladibus incolæ in Juraſſi Vogeſique ſe abdiderunt montana, apud quos idioma Romanum, a Rheni ripa relegatum, permanſit, quod ad ea loca Alemannicæ coloniæ non penetrarunt. Idiomatis iſtius reliquias ſub nomine *linguæ Romanicæ* hodienum ſupereſſe, & a purioris Gallicæ linguæ cultoribus *patois* vocari, Ill. Autor commemorat. Cum porro antiquiſſimi Alſatiæ cives Latinam linguam, abjecta vernacula, ſub Romanis adoptarent, non potuerunt non plurimos ei affricare barbariſmos, id quod omnibus, peregrinam diſcentibus linguam, evenit. Ejectis poſtea Romanis, quotidianum cum Alemannis & Burgundionibus commercium effecit, ut barbara quædam lingua, ex Romana Germanicaque mixta, enaſceretur, quamvis emineret Romana. Magno propterea Alſatiæ tractui, verſus *Belfortum* & *Dellam*, *Romaniæ*, ſive *pagi Romani*, (*païs Romain*,) nomen inhærere, Ill. Autor monet. In maxima autem & nobiliore Alſatiæ parte, per omnem Francicam ſequentesque periodos, ad noſtra usque tempora, Teutoniſmum regnare, adeoque ultra mille ducentos jam annos duobus idiomatibus Alſatas uti,
Pag. 808. commemorat. Specimen linguæ iſtius Romanicæ, *patois*
811. dictæ, Ill. Autor apponit, eandem cum lingua, quæ hodie apud Rhætos, nec non Gallos in Provincia, in Occitania item, Lemovicis, & apud Hiſpanos in Catalaunia, obtinet,
812. convenire, oſtendens. Fata linguæ Franco-Gallicæ pariter ac Theotiſcæ hac occaſione delineat. Ædificia publica, quæ periodi Francicæ antiquitatem æquent, per Alſatiam depre-
817. hendi pauciſſima, obſervat. Nummos, in Alſatica officina ſub Merovingis cuſos, fruſtra ſe quæſiviſſe, fatetur. *Caroli M.* vero, *Ludovici Pii*, atque *Lotharii*, denarios quinariosque argenteos, in Alſatia repertos, & Argentorati cuſos, deſcribit, rariores eſſe Francicos iſtius ætatis nummos, contendens, cum Franci nummos parum frequenter cuderent, majores

jores summas, auro argentoque non signato, refundentes, Ecclesiasticum & literarium hujus periodi statum peculiari operi, quod *Alsatia sacra* dicetur, Ill. Autor reservavit, Annales autem Alsatiæ Francicæ, cum periodi Germanicæ Annalibus, *secundo* hujus operis *Volumine* junctim daturus est. Præstantissimis hisce tanti ingenii fœtibus, quos a *Schœpfliniana* Musa, o quam eleganti & polita! impatienter exspectamus, faventem nos Lucinam comprecamur, cum, nil nisi excellens, & ab omni parte perfectum, a *Schœpfline* proficisci posse, certissime nobis sit persuasum.

INSCRIPTIONES ATTICÆ, NUNC PRIMUM ex Clariss. MAFFEJI schedis in lucem editæ, Latina interpretatione, brevibusque observationibus, illustratæ, ab EDUARDO CORSINO, Cl. Reg. Scholar. piar. in Acad. Pisana Philos. Prof.

Florentiæ, 1752, 4.
Plag. 9.

Invicta *Corsini* industria, quam diu literis Græcis in hunc modum prodesse velint, jubeant, Superi, nondum absolutis *Fastis Atticis*, a quorum tamen fine parum abest, novi præclari operis spem facit, & his in paginis exhibet specimen. *Chisbullum*, Anglum, Virum doctum, primum solummodo Volumen *Antiquitatum Asiaticarum*, constat, edidisse, a fatis, dum alterum editioni comparat, oppressum. Cujus schedæ in Italiam, quo ederentur, ad Clariss. *Maffejum*, eruditæ antiquitatis, illius præsertim, quæ in literatis saxis adhuc hodie vivit & superest, magnum decus & præsidium, missæ fuerunt. Ille autem, seu annis onustior, seu aliis propriis operibus condendis intentior, hanc provinciam lubens Viro permisit, qui, quam illi rite administrandæ & ornandæ par sit, ut ad hoc agendum pæne videatur a natura factus fuisse, non uno documento abunde monstravit. *Corsinum* nos significare, ultro patet; quem illi curæ successisse, ut jucundum accidit intelligere omnibus, quotquot his literis delectantur, ita par est,

omnes felices illi successus & citam editionem operis optare, de cujus insigni usu nemo, nisi harum rerum prorsus imperitus, dubitat. Id unum liceat nobis a futuro supellectilis *Chishulliana* editore postulare, ut *primum* quoque *Volumen*, in Anglia splendidis typis excusum, ideoque inventu rarius, adjungere ne negligat. Continent illæ schedæ tercentum inscriptiones Græcas, apud varias Asiæ urbes ab Anglo, modo laudato, repertas, quas cum Latina interpretatione & observationibus suis luci dabit; sed neque solas. Addet enim illis uberem aliarum Græcarum inscriptionum copiam, a Cel. *Maffejo* diuturno studio collectam, ab eodem hanc nactus. Quo habebimus, quod luculentissimis & locupletissimis Collectionibus *Sponii* aliorumque opponamus. Inscriptiones Græcæ, quas specimen hoc orbi literato primum offert, numero duodecim, si non omnes eodem habendæ loco, neque maximi pariter momenti, sunt, neque defuturi sunt, qui, & illis commode careri posse, & res, quas illæ docent, non admodum præclaras esse, putent; venia danda est illorum in Atticas antiquitates amori, qui, novum aliquod Archontis, aut populi Attici, nomen, aut simile quid, reperire, in rebus non contemnendis ponunt. *Corsinio* has seligere ideo placuit, quod sententiis & conjecturis ejus, de dispositione mensium, tribuum, & prytanearum Atticarum, in *secundo Fastorum Tomo* propositis, pondus adderent, & unum alterumve novum Archontem, populumve Atticum, proderent. Nobis quidem in hoc fasciculo præ reliquis arrisit decima Inscriptio, quam, quod brevis est, hic referre placet:

ὁ δῆμος
βασιλέα Ἀριοβαρζάνην εὐσεβῆ Φιλο
ρώμαιον τὸν ἐκ βασιλέως Ἀριοβαρζά
νου Φιλοπάτορος καὶ βασιλίσσης Ἀθη
ναΐδος Φιλοστόργου τὸν ἑαυτοῦ εὐ
εργέτην ἀνέθηκε

Populus regem Ariobarzanem Pium Philoromæum regis Ariobarzanis Philopatoris & reginæ Athenaidis Philostorgi (fœminæ

uæ nomen proprium eſt) *filium & ſuum benefactorem dedicavit*. Oſtendit *Corſinus* in nota ad hanc Inſcriptionem, *Ariobarzanem*, in ea deſignatum, illum eſſe, qui anno quarto Olympiadis CLXXIX A. U. C. 692 *Ariobarzani*, patri adhuc ſuperſtiti, in regno Cappadociæ ſucceſſit, & cujus mentionem *Valerius Maximus Lib. V Cap.* 7 facit, qui diſerte tradit, *Ariobarzanem* coram *Pompejo M.* Cappadociæ regnum, recuperatum ejusdem *Pompeji* auſpiciis, ſponte filio, illi, cujus honori & memoriæ dedicata fuit Attica illa ſtatua, conceſſiſſe, filiumque ipſum, fere reluctantem, *Pompeji* monitu atque autoritate regiam demum ſedem occupaſſe. *Cicero* hunc ipſum quoque *Ariobarzanem Philoromæum* paſſim memorat, ut *ad Famil. XV*, 2, ubi *regem Ariobarzanem Euſeben Philoromæum* appellat. Apud eundem Oratorem, dubium huc usque fuit, illa *Athenais*, quæ *ad Famil. XV*, 4, commemoratur, urbs, an mulier, eſſet, &, ſi hæc, qua tandem ratione ad *Ariobarzanem* pertineret. De rebus nempe, a ſe in Cilicia Proconſule geſtis, ita narrat: *Regem Ariobarzanem præſentibus inſidiis liberavi, neque ſolum ſaluti ei fui, ſed etiam curavi, ut cum autoritate regnaret. Metram & Athenæum, importunitate Athenaidis exilio multatos, maxima apud regem autoritate gratiaque conſtitui.* Matrem regis *Athenaidem* fuiſſe, ex recens prolato marmore clare apparet. Hac data occaſione, *Corſinus* & numos affert, *Ariobarzanis Euſebis Philoromæi*, aut ſolummodo *Philoromæi*, nominibus inſignes, quos putat ad patrem perinde atque ad filium referri poſſe, & hiſtoriam illius gentis, quæ apud Cilices Romanorum beneficio regnavit, exponit, & quædam, a vetuſtis Scriptoribus aut perperam, aut obſcure, de illa tradita, notat. *Appianum* e. c. emendatione egere, exiſtimat, *Bell. Civil. Lib. II*, inter illos, qui *Pompeji* caſtra in campis Pharſaliis ſecuti fuerunt, *Ariarathem* Cappadociæ regem numerans. Illo enim anno, U. C. 706, nondum gaviſum regia dignitate fuiſſe *Ariarathem*, ſed proximo 707 demum a *Cæſare*, jam ſolo poſt ſublatum *Pompejum* domino, fratri *Ariobarzani* velut collegam regni futurumque hæredem fuiſſe adjunctum. Crediderimus tamen, etiamſi ſpecie non careat ea diſputatio, facile

cile posse vulgatam lectionem eo locum tueri, quod soleant Græci regio sanguine cretos quoscunque, regum fratres, aut filios, etiamsi privatos, *βασιλεῖς* appellare. Pari modo est, quo *Strabonis* autoritatem, quem erroris insimulat *Corsinus*, tueamur. Non enim admodum probabile est, virum illum, rebus, quas narrat, affinem, iisque patriis, falli potuisse. Ait nempe *Lib. XII pag. 540*: *εἰς τριγένειαν δὲ προελθόντος τοῦ γένους ἐξέλιπε*, *in tertia generatione defecit hoc genus*, *κατεστάθη δὲ Ἀρχέλαος, οὐδὲν προσήκων αὐτοῖς, Ἀντωνίου καταστήσαντος*, & *sufficiebatur illis, autoritate Antonii* (Triumviri) *Archelaus, alieni generis homo*. Atqui, urget *Corsinus*, in secunda generatione, *Ariarathe*, *Ariobarzanis* primi filio, & secundi fratre, desiisse regium illud genus, qui ab anno U. C. 707 fratri collega, usque ad A. 712, quo *Antonii* fraus *Ariobarzanem* oppressit, deinceps usque ad A. 719 regnavit. Putemus, dictionem *εἰς τριγένειαν* nihilo plus significare, quam ternos ejusdem familiæ, patrem unum, filios duos, regnasse. Porro inquirit *Corsinus*, literæ ΓΑ in numo quodam *Ariobarzanis*, quem *Haym* & *Gesnerus* habent, quid sibi velint. Urbem si quidem significent, qua cusus ille fuerit, varia comminiscitur urbium nomina, quæ in censum hunc venire queant. Regni autem annum, si inscriptæ sunt illæ literæ, ut indicent, facile constare, numum haud ad *Ariobarzanem II*, seu filium, sed ad patrem, pertinere; cum ille vix vigesimum in regno annum attigerit, pater autem, A. U. C. 660 a *Sulla* regnare jussus, anno demum regni 32 filio potestatem tradiderit, adeoque trigesimum tertium in regno egisse, commode dici queat. Quibus autem beneficiis *Ariobarzanes* ab Atheniensibus & statuæ honorem, & benefactoris elogium, meruerit, id ex hac quidem Inscriptione divinari nullo modo posse; colligi tamen ex alio simili monumento, quod, a Viro Clarissimo, *Philippo Venuto*, Cortonensi, acceptum, *pag. 56* prodit *Corsinus*, nos illinc reddere nulli dubitamus:

Βασιλέα Ἀριοβαρζάνην Φιλοπάτορα τὸν ἐκ Βασιλέως
Ἀριοβαρζάνου Φιλορωμαίου καὶ Βασιλίσσης

Ἀθη-

'Αθηναΐδος φιλοςόργυ οἱ καταςαθέντες
'Υπ' αὐτῦ ἐπὶ τὴν τῦ ᾠδήυ κατασκευὴν
Γαίος καὶ Μάρκος Στάλλιοι Γαίυ ὑοὶ καὶ
Μεναλίππος ἑαυτῶν ἐυεργέτην.

Ex hujus marmoris cum ſuperiore comparatione conficit *Corſinus*, titulos *Philopatoris* & *Philoromæi* ita patri filioque communes fuiſſe, ut permutari ſolerent; deinde *Ariobarzanem* de Athenienſibus eo fuiſſe bene meritum, quod novum Odeum in ipſorum urbe ære ſuo conderet, poſt vetus illud, a *Pericle* exſtructum, anno U. C. 668 per obſidionem *Sullanam* ab ipſis Athenienſibus eo exuſtum, ne ſcilicet hoſtis Odeo, quod *Pericles* ex antennis, malis, & trabibus, Perſicarum navium exſtruxerat, arcem oppugnaret. Agmen Græcarum inſcriptionum claudit, velut mantiſſa, tertia decima, Latina, ad quam quæ lectu digna *Corſinus* de arcariis provinciarum, & arca *Liviana*, in titulo quodam, penes Noſtrum inedito, memorata, affert, malumus apud ipſum legi. Ex Præfatione, ad Ill. *Maffejum* ſcripta, id unum cenſemus adhuc repetendum eſſe, tenere *Corſinum* in Collectione ſua Latinam inſcriptionem, olim ab ipſo edendam, Stratonicææ quondam poſitam, *in qua rerum omnium venalium* (verba ipſius reddimus) *pretia, florentibus adhuc ethnicorum rebus, Cæſaris alicujus imperio conſtituta, nitide prolixeque leguntur. Quod temporum illorum moribus apprime explorandis, ſimulque ruſticæ & cupediariæ rei ſubtilius cognoſcendæ, conferre plurimum poterit.*

PIECE QUI A REMPORTE' LE PRIX, &c.

hoc eſt,

SCHEDIASMA, QUOD OBTINUIT PRÆMIUM IN Academia Imperiali Scientiarum Petropolitana, propoſitum A. MDCCL, ſuper Quæſtione: An omnes inæqualitates, in motu Lunæ obſervatæ, conſpirent cum theoria Newtoniana, an ſecus; & qualis ſit vera theoria omnium inæqualitatum, unde pro dato tempore quovis verus Lunæ locus exacte deduci queat.

 Sive;

Sive

THEORIA LUNÆ, DEDUCTA E SOLO PRINCIpio attractionis, quadratis distantiarum reciproce proportionalis; Autore CLAIRAUT, Academiarum Regiarum Gallicæ, Anglicæ, Borussicæ, Suecicæ, nec non Instituti Bononiensis, Socio.

Petropoli, e typographia Acad. Imp. Scient. 1752, 4 maj. Plag. 12, Tab. æn. unica.

Obscurum sane esse poterit nemini, vel levissime in historia Mathematum versato, quantum jam in theoria Lunæ desudarint omnis ævi Mathematici, quantamque iis crucem fixerit, ut (secundum *Hallejanum* illud, quod & præsentis *Dissertationis* indicem constituit noster Autor,) enodarent,

qua causa argentea Phœbe
Passibus haud æquis graditur? Cur subdita nulli
Hactenus Astronomo numerorum fræna recuset?
Cur remeent nodi? curque auges progrediantur?

Inprimis autem nostris diebus valde agitata est hæc de motu Lunæ quæstio. Etsi enim primus ad generale illud attractionis in lege distantiarum duplicata inversa principium Lunam quoque reduxerit summus *Newtonus*; haud tamen omnibus numeris absoluta est visa hæcce theoria iis, qui penitius eam sub examen revocarunt, sed, occurrere potius varias in motu, apparuit, Lunæ inæqualitates, quæ adeo in suspicionem nos inducerent, non sufficere eam phænomenis Lunæ pariter, ut reliquorum planetarum, explicandis, sed potius indigere correctionibus & supplementis variis, legi attractionis generali inducendis. Inprimis vero in motu apogæi lunaris ejusmodi sese obtulit difficultas. Cum enim vi observationum hoc singulis annis quadraginta circiter gradibus secundum ordinem signorum progrediatur; omnes contra, qui adhuc theoriam Lunæ *Newtonianam* ad motum Lunæ accommodare sunt conati, pro motu apogæi annuo non ultra viginti gradus inde elicuerunt: quæ

sane

ſane aberratio adeo eſt magna, ut, ſi actu talis eſſet, jure meritoque, theoriam cum veritate pugnare, pronuntiandum eſſet. Verum eſt, unum e Viris iſtis egregiis, qui, ob eundem diſſenſum, quasdam propoſuerant correctiones theoriæ *Newtonianæ*, reclamaſſe poſtea, &, viam ſeſe inveniſſe, faſſum, verum apogæi motum ex ipſiſſima theoria, absque ulla ejus immutatione, derivandi; ſed nondum lucem adſpexit hæcce ejus ſolutio. Accedunt autem aliæ quoque inæqualitates, in motu Lunæ conſpicuæ, ita comparatæ, ut, licet, eas e theoria *Newtoniana* explicari poſſe, nemo adhuc dubitaverit, tamen, ipſum hoc negotium exequi, ob ſummas, quas præ ſe fert calculi difficultates, & analyſeos ad has extricandas adhuc inſufficientiam, nondum licuerit. Omnia iſta digniſſimam reddunt, quæ ulterius a ſummis Mathematicis tractetur, de motu Lunæ quæſtionem; anſamque præbuerunt Illuſtriſſ. Academiæ Imperiali, ut eam pro anno 1750 publice proponeret, cum præmio 100 ducatorum annexo. Qua occaſione cum complura ſcripta acceperit, monuit tamen, omnia (cum quæſtionis vim plane non percepiſſe videantur,) in nullo fere habenda eſſe numero præ *Diſſertatione* hac *Clairaltii*, tot aliis ingenii monumentis egregiis inter præclariſſimos ævi noſtri Mathematicos conſpicui. In ea enim feliciſſime ſatisfecit iis, quas attulimus, tam motus apogæi lunaris, quam & aliis, difficultatibus, easque omnes nequaquam adverſari theoriæ *Newtoni*, ſed potius ex ea perfecte derivari poſſe, demonſtravit.

In *duas* eam *Partes* diſtribuit, in quarum *priori* modum edocet, locum Lunæ in orbita inveniendi. Ante omnia nempe generatim conſiderat curvam, quæ deſcribitur a Luna, poſita lege attractionis *Newtonianæ*, viribus ſolis & terræ ſecum combinatis. Equidem ipſa Problematis natura ita eſt comparata, ut ipſius curvæ æquatio talis, quæ pro dato tempore ſtatim exhibeat poſitionem orbitæ, locumque Lunæ in ea, in terminis finitis, erui nequeat; ſed ad formulas deveniatur adeo intricatas, ut non niſi per approximationem eo pervenire liceat. Hanc quoque, multis artificiis analyticis in uſum vocatis, adeo feliciter applicavit, ut correctiones adhibendæ cal-

calculum poſcant haud adeo magnum; præſertim vero exinde pateat, qualia elementa in ſolutione hujus quæſtionis habenda ſint pro certis atque fixis, qualia contra incertitudini cuidam adhuc ſint obnxia. His expeditis, pergit in *Parte poſteriori* ad reliqua, motui Lunæ determinando neceſſaria, ad inveniendum nempe motum nodorum medium, nec non variationem inclinationis orbitæ ad eclipticam. Sunt autem hæc omnia ita comparata, ut, fuſius ea exponere, & integrum methodi filum ante oculos ſiſtere, nullo modo ipſorum natura permittat, quippe cum tot correctionibus indigeat calculus, antequam ad optatum finem pervenire liceat, ut, niſi ad verbum tranſcribere eas velimus omnes, nihil plane dixiſſe merito videri poſſimus judicibus harum rerum peritis. Quare, quæ reſultent e calculis Cl. Autoris, ſaltem indicaſſe contenti, monebimus, prodire ſic æquationes quindecim diverſas, ſed pleraſque ita comparatas, ut facile computari poſſint ex aliis præcedentibus, atque per partes proportionales, aliasque adeo exiguas, ut error, e neglectu ipſarum oriundus, fere nihili habendus ſit. Quæ omnia, fatendum eſt, facile palmam decernere methodo Cl. Autoris præ aliis omnibus, huc usque circa motum Lunæ publicatis. Magis vero adhuc elucet theoriæ hujus præſtantia ex ipſa ejus cum obſervationibus comparatione. Computatis nimirum ex omnibus iſtis æquationibus tabulis, tam pro loco Lunæ, quam pro poſitione nodorum, ac inclinatione orbitæ, rogavit Abbatem *de la Caille*, quem unum e ſolertiſſimis, quos novit, obſervatoribus prædicat, ut communicaret ſecum numerum obſervationum lunarium, cum cura inſtitutarum. Quo facto, integrum ab eo accepit harum centenarium, ita quidem ſelectarum e farragine integri decennii, ut variis reſponderent, quas ſubire poteſt luna, poſitionibus palmariis. Has omnes hic in Tabula exhibet, longitudines nempe latitudinesque, inde reſultantes, additis, quas diximus, Lunæ circumſtantiis; & errores longitudinum latitudinumque, ſecundum Tabulas ſuas computatarum, ab hiſce obſervationibus. Ex hiſce omnibus palam fit, adeo parvam eſſe theoriæ Autoris noſtri, Tabularumque ipſi

ipsi superstructarum, ab observationibus aberrationem, ut non dubitet ipse affirmare, Tabulas suas melius convenire cum veritate, quam omnes aliæ, ab Astronomicis huc usque usurpatæ, etiamsi fundatæ disquisitionibus astronomicis, quæ sint fructus longæ observationum seriei. Præterea ipsi hi errores inservire possunt corrigendis magis elementis, in harum constructione adhibitis, adeo, ut summum exinde sperare liceat, quantum quidem rei natura permittit, rigoris gradum. Quod vero ipsas suas Tabulas nondum in lucem emittat publicam, in causa est tam temporis, quod materiæ huic elaborandæ destinavit Academia, nimis angustum spatium, quam spes, majorem adhuc correctionis gradum ipsis Tabulis conciliandi. Id quod Tabularum condendarum negotium ut vel ipse Cel. Autor, vel alius quivis, (omnia enim suppeditavit Noster in ipsissima hac tractatione subsidia, hunc in finem necessaria,) summo Astronomiæ, artisque nauticæ, bono, perficiat, maximopere optamus.

SOPRA IL TURBINE, &c.

hoc est,

DE TURBINE, QUI NOCTE AB XI AD XII JUNII MDCCXLIX magnæ Romæ parti damnosus exstitit, Dissertatio P ROGERII JOSEPHI BOSCOVICH, Soc. Jesu, inscripta Eminentissimo Principi Cardinali SYLVIO VALENTI Secretario Status & Camerlingo S. Ecclesiæ.

Romæ, apud Nicol. & Marcum Pagliarinos, 1749, 8. Plag. 15.

Tribus Partibus opusculum hoc absolvitur. *Prima* phænomena turbinis enarrat; *secunda* eundem cum aliis comparat; *tertia* in rationes inquirit. De factis ut sibi quam uberrime & certissime constaret, Autor labori nulli pepercit. Comparuit turbo forma nubis longæ, ad terram ipsam pertingentis, nigræ, sed ubique flammivomæ, sulphur spirantis; ab Ostiæ

 par-

partibus venit, magnam Romæ partem (& illa accuratius describitur) linea ad sensum recta pertransiit, & postea locis extra Romam sitis infestus, spatium 20 milliaribus Italicis majus emensus est intra Romam cursu a meridiano fere 35 grad. declinante, summa quidem velocitate. Antequam turbo Romam attingeret, tonuit cœlum, & fulminibus exarsit. Cum accederet, ventum violentum, sonumque raucum, Romani perceperunt; domus, tum quas tetigit, tum vicinæ, ut a terræ motu contremuerunt; post undulatorio motu actæ sunt, magis minusve vehemente; successit subito maxima quies veris, ne minimo quidem vento spirante. Cum tremuerunt ædificia, partes illorum disruptæ sunt & deciderunt, aliaque damna illata sunt domibus, arbores erutæ, & similia, quæ uberrime describuntur.

Parte secunda magna eruditione enumerat Autor diversas turbinum & vorticum species, typhonem, siphonem, ex aere pendulum, nautis infestum, (*la trombe marine,*) & quæcunque huc pertinent.

Tertia Parte turbinum genesin, refutatis aliorum sententiis, sic fere explicat. Attolluntur ab ignibus subterraneis exhalationes sulphureæ magna copia, quæ coagmentatæ, & ab ipso aeris pondere sensum passæ, ac usque ad nubes elevatæ, figunt aereas particulas longa serie sursum directa, siphonemque cavum ex iis efficiunt. Aer circumjectus, occupaturus hunc locum, premit siphonem, &, quia circumcirca æqualiter premit aer, sipho in circulum rotatur, sicque ingenti velocitate provolvitur, unde effectus ejus stupendi omnes oriuntur, quos pro magna, qua pollet, Physices & Geometriæ peritia explicat Autor.

Adjicitur Appendix, de pluribus iridibus visis. Die 11 Junii, qua Autor exiverat, ruinas, a turbine prostratas, contemplaturus, vespere vidit, præter duas solitas irides, tres alias intra primariam, & quartæ dubium vestigium. Non integræ erant, sed iis in locis conspicuæ, ubi primaria erat lucidissima. Idem socius Autoris vidit. Propriæ observationi subjungit Autor aliorum affines, etsi adhuc diversas, quarum una

legi-

legitur in *Actis* nostris *A. 1730 Mens. Februar. pag. 64.* Explicationem nullam, quæ sibi plene satisfacere videatur, affert. Sed, quæcunque conjectari possint de causis phænomeni, recenset.

DE APOPLEXIA SPECIMEN, QUOD, AD PRIvilegia Universitatis Vindebonensis consequenda, edit JOANNES BAPTISTA MOLINARIS, Tridentinus.

Vindebonæ, excudente Joanne Thoma Trattnero, 1753, 4.
Plag. 10.

Quem *Celsus* nervorum resolutionem, Latini sequiores siderationem, vocant, quique Græcis apoplexia dicitur, morbus est, ex impedito spirituum animalium ad organa sensus motusque itinere ortus, salvo aliquantulum spirituum illorum influxus, qui motui cordis ac pulmonum præsunt. Proinde, spirituum cerebelli ad cor motum superesse apoplecticis, sunt, qui putent, atque, hoc exinde esse, asserunt, quod, cum spiritus cerebri deficiens omnem sensum motumque, a voluntate dependentem, delevit, supersint tamen motus mechanici cordis, atque illorum musculorum, qui thoracem movent. Clarissimus Autor contra hanc sententiam modeste disputat, nil quidquam discriminis inter cerebri & cerebelli spiritus esse, asserit, atque, illos motus, qui apoplecticis sunt superstites, mere esse mechanicos, eosque etiam sine spiritu actore per aliquot horas continuari posse, ex fabrica cordis ostendit, cujus fibræ, etiam mortuis animantibus, cum stimulus accessit, suas actiones aliquamdiu producere possint. Ut autem causas apoplexiæ proximas evolveret, omnia phænomena, in cadaveribus apoplecticorum visa, ab Autoribus, maxime *Boneto* & *Wepfero*, exposita, rimatus est. Sæpe innocens visum est cerebrum, aliquando inflammatum, alio tempore vasa ejus sanguine, vel sero, turgescebant, vel extra vasa serum, pus, aliave materies, inveniebantur. Accedunt his alia: violentiæ, extus illatæ, innascentes cerebro tumores, abscessus, hydatides. Præterea, si qui repentina morte abrepti sunt, vitio cor-

dis, ad obſervata *Lancisii*, apoplectici interiiſſe aliquando dicuntur. Verum, proprie loquendo, illæ tantum cauſæ apoplexiam faciunt, quæ cerebrum ipſum tangunt, adeoque etiam ſanguinis aliqua intemperies, qua ille, ut per vaſa cerebri capillaria transjici poſſit, ineptus efficitur, apoplexiam inducere valet. Sunt aliqui, qui ad hoc mortis genus præ ceteris propendent, otioſo vitæ generi deditі, obeſi, bilioſi, & intemperantius viventes. Aliis ex morbo præcedente apoplexia eſt, cum ſcabies, aut materies arthritica, malo fato abigitur; nec minus ex narcoſi, poſt venena, quæ ſtuporem inducunt, ſideratio oritur. Differt apoplexia a *caro*, quod, qui hoc oppreſſi ſunt, excitari quodammodo poſſint, qui illa, nequeant, itidemque a *comate*, quod haud loquelam ægrotis ſupereſſe ſinat, atque a *veterno*, quod febrium acutarum ſymptoma illud eſt, denique a *ſyncope*, in qua facies pallet. Quæ apoplexiam prænuntient, varia ſunt, ſopor, vertigo, balbuties, omnisque motus ac ſenſus defectio, dummodo ſine febre iſthæc fuerint. Tres apoplexiæ ſpecies Clariſſimus Autor ſtabilivit, ſanguineam, ſeroſam, ſpaſticam. *Sanguinea* vaſa oſtendit plena & pulſum fortem; *ſeroſa* debilitatem junctam habet, pulſum tenuem, venas detumeſcentes, ætati infimæ accidit; *ſpaſtica* ex cauſa hypochondriaca, vel hyſterica, evenire ſolet. Præceps morbus apoplexia eſt, & occaſio brevis; igitur ſubito medendum. Vena ſecanda eſt, etiam phlegmaticis ac ſenibus, neque pulſus parvitas quemquam a miſſione ſanguinis detinere debet, atque repetenda illa omnino eſt, ſi pulſus ſeſe haud remittit, nec æger excitatur, & poſt trihorium altera vice inſtitui poterit. Clyſteres, ex acrioribus purgantibus parati, excitandi cauſa, adhibeantur. Vomitoria, quæ apoplexia tactis dari & laudari a multis ſolent, non laudat. Poſſetne hac medicina a cerebro dimoveri cauſa, quæ ibi hæret, metuendumne plus eſt, ne illa thoracis contentio, qua vomitus celebratur, disjiciat atque rumpat vas aliquod ex nobilioribus, quæ inſunt cerebro? Nec minus ſuſpecta ſunt ſternutatoria. Poſſunt tamen tentari ea, quæ ſenſum doloris excitant, frictiones, cucurbitæ, ſinapiſmi. Crudele eſt, miſeros urere, nec effectus

voto

voto respondet. Paralysis apoplexia partialis est membrorum, quibus spiritus nervorum haud respondent. His plurimum commodi allatura confidit experimenta electrica, a Viris doctis, *Pivato* Venetiis, *Verato* Bononiæ, cum successu instituta. Laudantur præ ceteris celebris ex Societate Jesu Philosophi, *Josephi Franzii*, apud Vindebonenses tentamina. Deinde, quomodo instauranda sint eorum, qui evaserunt, corpora, quid thermarum usus, quid diæta, quid medicamenta, ad relapsum apoplexiæ impediendum, valeant, erudite ubique & facunde exponitur.

JO. DIETERICI WINCKLERI, S. THEOL. DOCT. Eccles. Hildes. Superint. Consist. Assessor. Primar. in Gymnas. Ephori, Animadversiones philologicæ & criticæ, quibus varia sacri Codicis loca illustrantur. Pars III. Accedit Mantissa tergemina, haud dissimilis argumenti.

Hildesiæ, sumtibus hæredum B. Schrœderi, 1752, 8. Alph. 1 plag. 9.

Finem operis egregii, & variæ eruditionis floribus conspersi, *Pars* præsens *tertia* facit, cui index in hanc & *priores duas* est adjecta. Norunt Lectores ex nostris enarrationibus faciem atque dignitatem hujus exegetici laboris; quæ causa est, cur sine ambagibus ad ea exponenda nos accingamus, quæ *Parte* hac *ultima* continentur. Primo hic legitur explicatio locorum *Numer. XXIII, 22, XXIV, 8*, ubi de rhinocerote variorum doctorum virorum sententiæ examinantur, amplificantur, Pag. 496.
atque inter se conciliantur. Hinc pergit Venerabilis Autor 504.
ad sequentem observationem, quæ, ex ordine totius operis, *trigesima* est *septima*. Exponit hic Noster, quæ *Coloss. III, 11*, probabilis & rei maxime conveniens sit expositio vocabulorum, Βάρβαρος & Σκύθης, re ipsa sibi invicem oppositorum. Præ- 506.
monet hic Autor, quænam gens per Scythas ab Apostolo innuatur: illa scilicet, inquit, quæ hyperborea erat, ad extremos Europæ angulos, tum hujus, tum Asiæ, partem incolens. Inter hos 509.
Scy-

Scythas multi erant sapientiæ morumque cultiorum gloria in-
Pag. 511. clyti. Hinc fieri facile poterat, ut Scythæ cultiores barbaris a
Paulo recte opponerentur, inprimis, ubi constat, per barbarum
rudem intelligi hominem, ab humanitatis disciplina alienum.
514. Sequens Dissertatio, *trigesima* scilicet *octava*, perlustrat testi-
monium *Mosaicum Genes. XIV*, 14, atque, *Harenbergii* senten-
524. tiam de loco *Dan* verissimam esse, judicat. Succedit his
disputatio doctissima in 1 *Paralip. II*, 15, ubi de filiis *Isai*, pa-
tris *Davidis*, vexatissima inter doctos viros exorta est quæstio.
536. Calculum hic suum Celeberrimus Autor addit *Oedero*, cujus
hæc memoratur opinio, quod autor libri Chronicorum, *Esra*
fortasse, regiæ cognationis genealogiam accuratiori studio
confecerit, & ita etiam observarit, unam octo linearum, quas
autor libri *Samuelis* ab *Isaio* originem duxisse narrat, esse ex-
stinctam, & hinc fieri, ut, qui octavus fuerit ordine, deficien-
538. te uno, necessario esset septimus. Hujus sententiæ jam olim
fuerunt Rabbi *Salomo Isaacides*, vulgo *Raschi* dictus, atque
etiam post eum *Grotius*. Ex quo patet, futiles esse *Spinosæ*,
aliorumque nugatorum, de hac apparente contradictione co-
541. gitationes. *Quadragesima* Commentatio scripta est super *Sa-
lomonis Ecclesiast. Cap. XI*, 1 *seq*. Notissima & non inepta
est opinio eorum, qui hæc verba de eleemosynis explicant.
Nuperrime autem, post *Wenckium*, Cl. *Michaelis*, Gœttin-
gensium Professor, hanc ornavit sententiam, vocabula
546. Hebraica de navigatione, a *Salomone* præcepta, accipiens: Sum-
562. me Venerabilis Autor, ubi prius contra *Michaelis* argumen-
ta nonnihil monuit, verba textus curatius expendit, & novæ
tandem expositioni subscribit, quam felicissime inventam pu-
tat, ubi, mercaturam nauticam inprimis a *Salomone* Rege ad
Judaicam gentem translatam esse, constat. Sequens Disser-
tatio cogitata Autoris, de *Abrahami* nuptiis secundis, ad *Ge-
572. nes. XXV*, 1, tradit. Disputatur hic inprimis contra *Oede-
rum*, atque ostenditur, nullum argumentum in medium pro-
578. ferri posse, quo *Kethura* conjugis honore privetur, cum nec
ipsa textus sacri verba, nec connexio eorum, nec res nar-
ratæ, prohibeant, quo minus pro secunda, ac legitima, Patriar-
chæ

chæ uxore agnosci possit. Accuratissime hinc ad omnia *Oederi* Pag. 591.
argumenta respondetur, ut satis omnino fecisse lectoribus videatur Autor Venerabilis. Observatio *quadragesima secunda* in *Joannis Caput quartum*, ejusdemque *incisum quadragesimum octavum*, scripta est, ubi nonnullæ virorum doctorum expositiones primo loco nominantur atque recensentur, deinde vero ex 602.
instituto atque amplissime *Heumanniana* profertur ex- 606.
plicatio, publice olim jam a *Reidemeistero* ventilata. Denique Celeberrimus Autor suam addit sententiam, secun- 617.
dum quam scopus Servatoris in hac enarratione ille fuerit, 623.
quem præfixum sibi habuerit in fœmina Syrophœnissa, cujus fidem explorare atque tentare studebat; hinc putat Noster, Christum durum atque iratum se simulasse erga regium hunc procuratorem. Ex his, quæ sit Summe Venerandi Autoris sententia, facile Lectores judicabunt. Pergimus nunc ad se- 626.
quentia, ubi verba Servatoris, quæ *Matth. XXIV, 22, Marc. XIII, 20*, leguntur, docte explicantur. Ex more suo Celeberrimus 634.
Autor hic variorum varias enumerat expositiones, inprimis 643.
illam *Ludewigii* ample recensens, cui etiam aliorum deinde inter recentiores adduntur explicationes, eorum scilicet, qui verba Christi de belli Hierosolymitani diebus accipiunt. 645.
His peractis, contra *Ludewigii* sententiam pugnat Autor, 663.
illius argumenta confutans. Sequens Commentatio dire- 664.
cta est in *Matth. XI, 13, Luc. XVI, 16*, ubi Servator optimus maximus monuit, omnia vaticinia ad Christum usque pertingere. Inprimis hic *Ribovii* in medium profertur sententia, quam antea etiam *Schœttgenius* jam profes- 665.
sus, atque post eum *Harenbergius* est tuitus, quod scili- 667.
cet vaticiniorum omnium Veteris Testamenti terminus sit 673.
excidium Hierosolymitanum. Sunt tamen etiam alii, his 676.
doctissimis viris contradicentes, quorum hic recensentur testimonia. Optat hic Noster, Celeberrimum *Heumannum* suam sententiam pluribus confirmasse, inprimis in eo, 683.
quod ad particulam ἕως attinet. Acquiescere vult Autor noster in *Schmidii* explicatione, secundum quam προφητεύειν 691.
synecdochice de vaticiniis illis explicatur, quæ de Christo,

Pag. 692. Chriſto, in carnem venturo, agunt. Lex enim & Prophetæ olim de regno Dei in Novo Teſtamento, tanquam de re futura, usque ad præſens hoc *Joannis* tempus, prædicarunt; *Joannes* vero nunc, tanquam de re præſenti, in ſacris ſuis ſer-
697. monibus egit, uti docet ſanctiſſimus Servator. Huic ſententiæ nonnulli etiam noſtra ætate acceſſerunt viri docti, hic
700. nominati atque excitati. Hanc ſequitur brevis Commentatio ad *Matth. XI, 14*, cum priore hoc in loco facile con-
702. jungenda. Deſerit hic Noſter explicationes plurimorum, vulgo receptas, atque, novam hic admitti poſſe interpretationem, omnino cenſet. Vocabulum ſcilicet *εἰ* hoc in loco, ut in aliis etiam, optandi ſignificationem habet, *utinam, o ſi,*
704. accipere volueritis, *Joannem* eſſe *Eliam*, prædictum a Prophetis. Quam lubentiſſime vellem, ut vos hanc veritatem acciperetis, inquit Servator. Ingenue fatemur, Venerabilem Autorem non incommode hanc ſententiam ſuam propoſuiſſe, atque etiam confirmaſſe. Commentationem hanc
709. excipit *quadrageſima ſexta* in *Jo. I, 15*, ubi *Anſaldus* modeſte primo caſtigatur, quod variam in hoc teſtimonium *Joanneum* inducere voluerit lectionem, temere ex *Tertulliano* repetitam.
714. Deinde circa veram hujus loci interpretationem occupatus eſt Noſter, operoſe interpretum ſententias recenſens, in *Heuman-*
728. *niana* autem expoſitione acquieſcens, quam ante eum docti
729. etiam quidam viri, hic nominati, amplexi ſunt, licet bina du-
738. bitandi argumenta contra hanc interpretationem ab Autore
741. ſint prolata. Copioſi atque utilis argumenti eſt *quadrageſima ſeptima* Commentatio, in verba *Pauli* ad *Romanos Cap. XIII, 11, 12,* conſcripta. Contra *Oederum* in principio hujus Diſſertationis diſputatur, a communi ſententia diſcedentem, atque in alia omnia abeuntem. Accedit Noſter potius illis, qui
750. putant, *Paulum* reſpexiſſe ad lupercalia, a Romanis celebrari ſolita, in quibus ſcilicet, omni prorſus pudore abjecto, nudi armatique per urbem noctu diſcurſitabant luperci, obvios quosque, inprimis fœminas, vexantes, jocisque impudicis in-
754. vadentes. Per *σωτηρίαν* minime ultimum Servatoris adven-

tum

tum posse intelligi, contra *Taubertum*, aliosque, recte monetur, sed
veram potius salutem, per Christum partam. Denique paraphra- Pag. 757.
sis integræ orationis *Paulinæ* ab Autore exhibetur, & Celeberri- 762.
mi *Mosbemii* de hoc loco *Paulino* sententia, nondum quidem
publicata, ex Manuscripto, ut dicunt, proponitur, cujus plurima
momenta cum iis conveniunt, quæ Autor proposuerat, licet
Mosbemius, proxime hæc in juventutem Romanam, noctur- 774.
nis consuetudinibus, comessationibus, atque turbis, deditum, a
Paulo dicta fuisse, statuat. Subsequens observatio, *quadragesi-* 781.
ma scilicet *octava*, pertinet ad *Philipp. I, 9*, ubi, per *ἀγάπην*
intelligi recte posse, putat Autor, homines dilectos, sive amo-
re dignos: cujus rei indicia apud Græcos, inprimis vero apud
Suicerum, occurrunt. Improbatur hinc *Michaelis* Gottingen- 784.
sis ingeniosa sententia, docentis, Philippenses largiores eleemo- 786.
synas erogare debere. Deinde occurrit observatio in *1 Thess.*
IV, 6, ubi Celeberrimus Autor iis accedit interpretibus, qui, de 788.
peccatis contra sextum præceptum verba *Pauli* dicta esse, judi- 790.
cant, & contra *Oederum* reliqua disputat. *Quinquagesima*, ea- 794.
demque ultima, observatio scripta est in *Matth. XVIII, 35*, se-
cundum quam disceptatum fuit inter Theologos quosdam de
eo, num peccata, semel remissa, homini lapso iterum im-
putentur, nec ne. Affirmantem alii, alii negantem, amplexi 797.
sunt sententiam, quorum mentio hic facta est uberior, ubi
suas Autor de hoc loco cogitationes cum *Glassii* canone finit: 802.
Parabola, seu similitudo, non est trahenda ultra comparatio- 805.
nis tertium.

Ordine nunc recensenda venit Mantissa *prima* ad *Matth.*
VII, 3, 4, olim *Bibliothecæ miscellaneæ Hamburgensi* inserta, 808.
nunc autem recognita ab Autore, recte judicante, ex ipso
textu, rerumque, sibi invicem oppositarum, natura atque in-
dole, determinari debere vocabuli *κάρφεος* significatum.
Trabs vero cum opponatur *κάρφει*, ligni partem tenuem,
quam Germani *einen Splitter* dicunt, intelligere, sicque
interpretari Græcum vocabulum, fas est. Mantissa *alte-* 816.
ra Epistolam exhibet *Kriegsmanni*, celeberrimi quon-

Pag. 819. dam Consiliarii Darmstadiensis, de sensu *Apocalypseos Cap. XIII*,
hactenus anecdotam, ad B. *Spenerum* datam, in qua per be-
stiam bicornem Papam, & per bestiam decicornem *Moham-
medem,* præcipue notari, putat Autor *Kriegsmannus.* Mantis-
826. sa *tertia* exhibet specimen Lexici Hebræi emphatici, a B.
892. *Theodoro Dassovio* singulari cum industria adornati, adhuc
ineditі. Habebunt hic Lectores Hebræophili, quod gaudeant de hoc labore *Dassoviano,* exiguæ licet molis, multæ tamen frugis. Gratissimo hinc animo & ipsius Summe Venerabilis Autoris laborem, & hanc *Dassovianam* prolem, suscipient, cujus mentionem uberiorem reddit Præfatio Nostri, qui cum aliis enixe editionem hujus Lexici optat. Ceterum modestiam theologicam in exegeticis laboribus inprimis commendat Autor in Præfatione suo doctissima: cui de confecto hoc opere ex animo non solum gratulamur, sed etiam, ut sanctiorem cœtum eruditum pluribus diligentiæ atque doctrinæ suæ incomparabilis fructibus donare velit, ex animo pieque cupimus.

LYCURGI, ORATORIS ATTICI, QUÆ UNA RE-stat, contra Leocratem Oratio. Ad editionem JOANNIS TAYLORI, L. L. D. D. Coll. Joann. Cant. Socii, & Cancell. Lincoln. Cantabrig. iterum recensuit. Hujus atque aliorum selectas cum suis observationibus subjecit, nonnullas commentationes, Lycurgi de vita & scriptis, præceptis morum, rhetorica elocutione, Attica dialecto, stilique potissimum cum Novi Testamenti comparatione, item dispositionem orationis, nec minus sex indices, adjunxit, ac præfatus est, JO. GOTTFR. HAUPTMANN, ill. Ruth. Dir.

Lipsiæ, sumtibus hæredum Lanckisianorum, 1753, 8.
Plag. 20.

Laudavit hanc Orationem jam titulus interpretationis antiquæ, Francofurti A. 1548, 8, ex officina *Petri Brubachii*, publicatæ,

blicatæ, qui ſic habet: *Oratio* Lycurgi *contra Leocratem, deſertorem patriæ, dulciſſime de officiis patriæ debitis differens, converſa in Latinum ſermonem a* Phil. Melan. Sed obſolevisse jam videbatur illud meritum *Lycurgi*, donec Ill. *Taylor* eam *Demoſthenicæ* contra *Midiam* jungeret, indeque nanciſceretur occaſionem Cel. *Hauptmannus*, plures *Lycurgi* prærogativas oſtendendi. Fecit hoc jam editione priore, quæ tam cupide ab omnibus excepta fuit, ut, quod alioqui rariſſimum eſt libris Græcis, intra ſpatium annuum exemplaria diſtraherentur. Cum autem repetitionem bibliopola meditaretur, ſine correctionibus ac ſupplementis emittere librum noluit. Non quidem hic dives eſt pollicitis titulus: re vera tamen tam multa exhibentur, ut alium habitum induiſſe *Lycurgus* videatur. Licet igitur prioris editionis in his *Novis Actis Erudit. A. 1750 Menſ. Dec. pag. 705* mentionem facere meminerimus; hanc tamen indictam omittere, ducimus religioni. Commentationum nulla eſt, quæ non vel obſervationibus quibusdam, vel illuſtrationibus, locupletata compareat: præcipue tamen ſexta modis inſignibus aucta fuit. Generatim ſacer Codex, quod vel ultra duplum copioſior effatorum ſacrorum index oſtendit, diligentiſſime confertur. Cumque ideo potiſſimum Græcæ linguæ ſtudia tractent Theologi Chriſtianique, Spiritum ſanctum ut eo plenius intelligant; neminem fore putamus, qui, minutam eam diligentiam eſſe, judicet. Nec quisquam, ut ſperamus, futurus eſt, qui plura requirat, ad naturam linguæ Græcæ pertinentia. Nihilo minus potior jam Noſtri ſcopus fuiſſe videntur antiquitates hiſtoriæque Græcæ. Non ſolum obſervationes ideo junguntur, ad locorum communium claſſem referendæ; ſed duplex etiam index recens adjectus eſt: hiſtoricus, ad temporum ordinem accommodatus, & antiquarius, ad σκιαγραφίαν, quas elaboratas habet Cl. Editor, antiquitatum. Addidit etiam talem, quam publici juris fecit, *Taciti Germaniæ*, ſed hic diſtinctior, ad ſingularia magis momenta deſcendit. Ita vero ſimul eadem opera tum antiquitates, tum hiſtoriæ Græcæ, tractari poterunt ab idoneis magiſtris, hac ratione *Lycurgeas*

 lectio-

lectiones ad palatum atque commodum studiosæ juventutis accommodaturis. Adhæc exemplum ita præbetur, eo majori cum fructu scriptores antiquos evolvendi. Nam, si tot antiquitatum & historiarum vestigia suppeditat Orator, quanto plura monstrabunt Historici, & ex parte Poetæ! Quanto magis etiam explicarentur & amplificarentur ea studia, si scriptores singuli sic evolverentur! Spem talium occupationum facere videtur Cl. Editor; & sane, dum jam hæc ipsa, tam celeri successu, fortunata fuit, fore confidimus, ut eo magis auxiliatrices manus certatim offerant bibliopolæ. Nec deerunt, qui *παράφρασιν Lycurgi* liberiorem, singulatim forsitan edendam, æqui bonique consulant: inprimis cum, eruditorum quorundam precibus se jam fuisse sollicitatum, in Præfatione scribat *Hauptmannus*. Sed ad præsentem occupationem redeamus. Expunxit nunc Doctiss. Editor editionis *Taylorianæ* paginas, ad quas accommodati fuerant prioris indices a properante. Nunc potius in minima membra disjunctus est Græcus contextus, ad quæ laboribus sane plurimis commentationes & indices diriguntur, præterea multo copiosiores. Observationes, quod jam innuere meminimus, tantum incrementum ceperunt, ut, editioni priori junctæ, vix tertiam præsentium partem constituant. Vix autem tricesima pars alienarum est: licet aliud præ se ferre titulus videatur. Neque tamen in tractationes diffunditur Autor, sed, summis vulgo capitibus indicatis, allegat fontes, aut, qui tales aperuerunt, recentiores scriptores. Cumulat utrosque nonnunquam, cum haud omnes omnium sint libri, juvandaque pariter sit studiosa juventus; ut taceamus, ipsam subinde collationem novam esse lucem accensuram. Quibus stellæ præfixæ sunt, observationes omnes recentioribus addi debent, sed non solæ: videmus enim, operas hic indulsisse sibi; quem etiam ad modum aliam passim formam induerunt antiquiores. Nostrum denique foret, priorum specimina dare: sed rem omnem malumus sartam Lectoribus conservare, præsertim cum jam e dictis, quales & cujus sint pretii, judicari possit.

BAL-

BALTHASARIS SPRENGERI, PHILOS. DOCT. AC ejusdem & Theol. Lectoris in Colleg. Theol. Ducal. Tubingensi, Opuscula physico-mathematica: 1) Naturalis mortuae halcyonis incorruptibilitas; 2) Avium hibridarum virtus generandi, earum adhuc nepotibus indita; 3) Demonstratio novae mensurae celeritatis; 4) Refutatio divisibilitatis in infinitum, extenso geometrico adscriptae; 5) Instrumentum radiometrum; 6) Instrumentum divisorium.

Hannoverae, apud Jo Wilh. Schmidt, 1753, 8. Plag. 6.

Halcyonem, noſtris quidem in terris ſatis notam avem, poſt mortem nulli obnoxiam eſſe corruptioni, immo vero mortuam quotannis plumas mutare non ſecus ac vivam, atque, ex filo ſuſpenſam, roſtrum ſemper eam in plagam directum monſtrare, ex qua ventus ſpirare deprehenditur, *Theophraſtus Paracelſus* autor eſt in ſcripto quodam ſuo *de renovatione & reſtauratione vitæ*, quod in *Archidoxis D. Philippi Theophraſti Paracelſi*, Monachii in Bavaria A. 1570, 4, excuſis, exſtat *pag. 188 ſeq.* Quem in locum cum Clariſſ. *Sprengerus* forte fortuna incidiſſet, atque, ventoſi admodum ingenii homini non temere fidem habendam, quin potius curatius iſtam in rem inquirendum, eſſe, cenſuiſſet, quid repetita obſervatio docuerit, prima Diſſertatione exponit. Duæ dantur halcyonum ſpecies, maritima altera, Autori nunquam viſa, altera fluviatilis, circa fluvios, piſcinas, rivosque, maxime obvia. Poſterioris ſpeciei, cujus etiam deſcriptionem ſuppeditat, halcyonem nactus Clariſſ. Autor, fame enectam, atque menſe Septembri A. 1749 per integrum diem in hypocauſto calefacto aſſervatam, fœtorem quidem, at vix ſenſibilem, emiſiſſe, comperit. Cum vero eandem, aliud in conclave exportatam, in quod, apertis feneſtris, omnis generis inſectis aditus pateret, quodque plurimis etiam jam antea infe-

ſtaretur, e filo ſuſpendiſſet neque exenteratam, neque in fornace exſiccatam, a die 26 Septembr. usque ad 30 ejusdem menſis pauculas equidem guttulas, easque acidiuſculas, flaveſcentes, leniterque fœtentes, quotidie ex ano deſtillare, pennasque aliquot ex cauda decidere, vidit. Ceſſante vero omni tandem fœtore, cadaver aviculæ ſenſim paulatimque exareſcens, ſub Octobris finem penitus induratum, nec a muſcis aliisque inſectis, quorum magna tum temporis erat copia, quæque catervatim in illud adhuc fœtens irruiſſent, ullo prorſus detrimento affectum, deprehendit, illudque, elapſo jamjam triennio, ſalvum adhuc atque incorruptum perdurare, teſtatur. Addit autem obſervationem adhuc aliam. Anno enim 1750 menſe Martio in 12 halcyonibus idem tentavit, mutatis tamen, quæ alicujus momenti videri poterant, conditionibus, ita quidem, ut quatuor fame enecaret, quatuor, cultro per collum transacto, ut ſanguis efflueret, interficeret, reliquas vero ſuffocaret, aliasque, copioſiſſima eſca repletas, ſtatim interimeret, abſoluta jam concoctione alias. Alias porro in conclavibus calefactis aſſervavit, in non calefactis alias; alias in locis aeri perviis atque infectis, in locis clauſis alias; alias denique in horto, a pluvia tamen atque rore immunes. Sed quid? Eventus fuit plane idem, qui antea, niſi quod fame interemtæ leviter fœtuerint, gravius multo, quæ poſt paſtum ſtatim, mediocriter, quæ abſoluta demum concoctione, interfectæ fuerant. Itaque non plane falſus fuit *Paracelſus*, ſed falſa atque fictitia veris attexuit, more ſcilicet ſuo. Pennas enim mortuas halcyones annuis vicibus mutare, vel roſtro vertentes ſeſe ventos imitari, ne minimo quidem, quamvis ſedulo attenderit, comperit indicio Clariſſ. Autor.

Hybrida, quæ vocant, animalia ſpeciem ſuam non propagare, vulgaris fere opinio eſt. Cujus rei rationem multi, quos Clariſſ. *Sprengerus* Commentatione *altera* refellere ſatagit, exinde derivant, quod, ſummo mundi creatori commixtiones diverſarum ſpecierum odio eſſe, non paucis documentis conſtet. At non ratiociniis tantum hæc ſentientes arguit Cl. *Sprengerus*,

ſed

ſed argumentis etiam, ab experientia petitis. Monet enim, de mulis nondum ſatis quidem conſtare, utrum proli ſuſcipiendæ plane inhabiles ſint, cum non deſit una alteraque obſervatio, quæ contrarium ſuadeat, cumque, ut & hoc obiter addamus, inſtituta regio juſſu apud nos aliquot abhinc annis muli mulæque diſſectio nullum prodiderit in utriusque ſexus genitalibus notabile vitium. Quod vero ad volucrium genus attinet, anates, licet alterius ſpeciei matre prognatas, & ovis incubare, & pullos educare, propria experientia fretus, aſſeverat: atque ſubjungit, ſi hoc non ſemper ita eveniat, id quidem non natura, ſed muliercularum, anatibus ſuis & gallinis ova temere ſurripientium, culpa fieri. Quodque præcipuum eſt, obſervationem quandam in medium profert, qua pullos, ex connubio Canariæ fœminæ & Linariæ maris natos, prolem progeneraſſe denuo, longamque nepotum ſeriem habuiſſe, compertum habet, variaque, ad ſpeciem corporisque habitum hybridarum ejusmodi avium ſpectantia, enarrat, quæ, utpote noſtris Ornithophilis, quantum quidem ſcimus, non penitus ignota, brevitatis ſtudio non fuſius perſequemur.

Tertia Commentatione notionem celeritatis generalem inveſtigare inſtituit Clariſſ. *Sprengerus*, quæ, ex ipſius mente, actionis compoſitæ, ejus ſcilicet, in qua actiones ſimplices, quarum aggregatum eſt, non ſimul, ſed ſucceſſive, exiſtunt, affectio quædam eſt, ut adeo celeritatis notio duas involvat notiones, temporis, atque numeri actionum ſimplicium, ſibi mutuo dato tempore ſuccedentium, exemploque rotarum in rheda id ab Autore illuſtratur, quarum duæ anteriores atque minores celerius moventur poſterioribus, (gyratorium ſi motum ſpectes,) vulgo tamen æque celeriter, ac poſteriores, moveri dicuntur (motu nimirum progreſſivo). Hæc celeritatis notio ut applicari poſſit, quoniam ſimplices ſubſtantiarum actiones mens non aſſequitur, docente *Sprengero*, idem faciendum, quod in dimetiendis extenſis uſu venire ſolet. Actione videlicet quadam compoſita minore unitatis

inſtar

inſtar aſſumta, ea mediante magnitudo actionis compoſita determinanda eſt: aſſumta nempe pro determinanda celeritate in cogitando notione confuſa, ut in motu corporis dijudicando provolutione ipſius unica, inſtar actionis minimæ.

Quarta Commentatione Clariſſ. Autor diviſibilitatem corporis geometrici in infinitum continuandam evertere ſtudet, quippe quam non ſine progreſſu quodam in infinitum locum habere poſſe judicat, cum tamen, ejusmodi progreſſum repugnantia involvere, qui de metaphyſicis rebus unquam commentati ſunt, demonſtraverint fere omnes, & ipſemet quoque demonſtret. Admiſſa porro hac diviſibilitate, conſectaria exinde deduci poſſe, indubiis veritatibus contraria, ingenioſis profecto argumentis contendit, coronidisque loco ſententiam ſuam argumentatione directa corroborare conatur, nixa hac poſitione: *duo puncta mathematica proxime coexiſtentia cogitari poſſunt;* quam Geometræ quin facile conceſſuri ſint, ipſe quidem non dubitat, nos, pace Doctiſſimi Viri, aliquantum dubitamus.

Commentatiunculæ denique *quinta* & *ſexta* nova duo ſiſtunt inſtrumenta geometrica. Alterum quidem, quod duabus regulis, ad angulos rectos junctis, atque norma conſtat, inveniendæ mediæ & tertiæ proportionali, nec non reperiundo arcus dati radio, aliisque, exinde pendentibus, Problematibus reſolvendis, commodum eſt, hincque etiam in ſolvendis arithmeticis quibusdam quæſtionibus uſu ſuo non deſtituitur; alterum, quod triangulo, baſi mobili inſtructo, perpendiculo itidem mobili, duabusque catenulis mobilibus, abſolvitur, atque in dividendis quacunque proportione data lineis, conſequenter in invenienda tertia, vel quarta, proportionali inſervire poteſt, pariterque ac prius illud etiam in Arithmetica uſum quidem aliquem ſpondet, paululum tamen operoſiorem, quam qui vulgaribus praxibus præferendus eſſe videatur.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCLIII.

Pars II.

PUB. VIRGILII MARONIS GEORGICORUM LIBRI quatuor. The Georgicks of Virgil, with an English Translation, and Notes; &c.

id eſt,

VIRGILII GEORGICA, CUM INTERPRETATIONE Anglica, & Notis, per JOANNEM MARTYN, Regiæ Societatis Scientiarum Socium, & in Academia Cantabrigienſi Profeſſorem Botanices.

Londini, ſumtibus Editoris, 1741, 4 maj.

Alph. 4 plag. 12; acc. Figuræ 13, in æs inciſæ, & variis coloribus ornatæ.

Richardo Mead, Archiatro Regio, eam ob cauſam ſacrum hoc Opus eſſe voluit Editor, quod ejus Bibliotheca inſignem ipſi in hoc opere perficiendo uſum præſtitit. Non enim res tantum interpretari animus fuit; ſed textum etiam reddere voluit emendatiorem. Quid generatim a ſe præſtitum ſit, ipſe in Præfatione docet, poſtquam laudes agriculturæ prædicavit, & præcipuas *Georgicorum Virgilianorum* veneres, in unum quaſi acervum congeſtas, Lectorum oculis ſubjecit. Ut textum redderet integrum, impreſſis Codicibus præcipuis, MStis ſeptem, uſus fuit, quos in Bibliothe-

cis regia, Cantabrigienſi, Bodlejana, Oxonienſi, Arundeliana, & *R. Meadii*, Londinenſibus, reperire, & in uſus ſuos convertere, potuit. Ceterum *Heinſii* editionem ſecutus eſt ita, ut, niſi graviſſimis rationibus motus, vix unquam ab illa diſcederet. Sed magis adhuc annotationum copioſa doctrina de *Virgilio* meritus eſt. Hic etiam Criticum agit, & textum ſui Poetæ vindicat, aliorum criſes ſedulo expendens. Ut genuinum Autoris ſenſum inveniret, non raro omnia illa loca *Virgilii* attulit & expendit, ubi eadem vox, vel dicendi ratio, fuit adhibita. Præcipuum tamen laborem præceptis *Virgilianis* impendit; nec dubitamus affirmare, a *Martyno* hic plus præſtitum eſſe, quam ab ullo alio Commentatore. Phyſicum Phyſicus illuſtrat, omnibus ad hanc rem ſubſidiis præclare inſtructus, & tum antiquorum, tum recentiorum, auxilio ita uſus, ut nemo ante ipſum alius. Aſtronomi ſui temporis in Anglia facile principis, *Halleji*, operam in aſtronomicis *Georgicorum* lineis interpretandis adhibuit, & alios quoque in auxilium vocavit, ubi, ſic ad illuſtrationem *Virgilii*, vel ornatum, poſſe quidquam afferri, ſenſit. E Commentatoribus *Servium*, *Grimoaldum*, *La Cerdam*, *Ruæum*, *Catrovum*, *Fulvium Urſinum*, *Pierium*, in uſus ſuos convertit, ſæpe ipſiſſima eorum verba apponit Anglice, non raro ſimul eos corrigit, rerum copia & cognitione facile ſuperior. In mythologicis, interdum etiam in hiſtoricis, fere nimius eſt, dum omnia vult exhaurire, quæ de hoc, vel illo, numine, heroe, &c. Autores attulerunt. Aliorum verſiones cum ſua confert, & non raro ſub cenſuram vocat. Suam ipſius verſionem proſa dedit oratione. Anglice conſcripſit Commentarios, quod in civium præcipue ſuorum uſum hunc laborem ſuſceperat. Nec tamen extranei fructu ejus omni deſtituentur, cum noſtra ætate Anglorum lingua doctis æque ac indoctis plurimis cognita ſit, & Anglorum ſcripta plurimorum manibus terantur. Nunc annotationes perluſtrabimus, potiſſima ex illis delibaturi.

Lib. I. *Libri I verſu 4* Noſter legit, MStorum autoritate fultus; *ſit pecori, apibus* &c. ſine vocabulo *atque* inter *pecori* & *apibus*. Experientiam non apibus adſcribit, quarum quippe prudentia

dentia non usu comparata, verum ingenita, sit: sed hominibus. Pace V. C. monere liceat, *Virgilium* se ipsum explicare *Georg. IV, 156 seq.* Tum & genius linguae contrarium suadet. Per *clarissima mundi lumina, vers. 5*, intelligit solem & lunam, ut *La Cerda:* non, ut alii multi, *Bacchum & Cererem*, ipsa re fultus, & simili *Varronis* invocatione. Vocem *prima, vers. 12*, in sensu adverbii sumit, optime, ut arbitramur, & sic interpretatur: terra, quae primum, vel prima vice, frementem equum produxit. *Non ullo, vers. 22*, bene legit, pro *nonnullo*, quod plerique malunt. *Versu 25 urbes* ponit, quanquam omnes fere editiones legant *urbis*, paucae *urbeis*. *Thule, vers. 30*, Nostro est *Schetland:* hanc enim Romani, dum Orcadas insulas capiebant, ante oculos habuerunt. *Tardos menses, vers. 32*, autore *Hallejo*, aestivales dictos esse, pronuntiat ideo, quod Leo, Virga, Libra, & Scorpius, vere lentiorem habeant adscensionem, quam octo signa reliqua. De *Castoreo, vers. 58, 59*, novissima etiam, una cum antiquis opinionibus, allegat inventa, & *virosa*, prout res poscebat, per *efficacia* exponit. *Tonsas, vers. 71*, per *depastas* etiam exponi posse autumat, ut *tondere* ab ipso *Virgilio*, initio hujus *Libri*, bis usurpatur. De *farre, vers. 73*, multis agit, ut evincat, idem esse, quod *zea*, & Anglorum Germanorumque *spelt*. Sed minime nova haec sunt. Eadem fere dixit *Taubmannus*, quem Cl. *Martyn* nunquam videtur inspexisse. Per *laetum legumen, vers. 74*, *fabas* intelligit, *Plinio* autore: *quassare* autem de concussione siliquarum per homines post messem, ut fabae excutiantur, exponit: non de quassatione per ventum, ut reliqui fere omnes. Neutrum nobis placet. Intelligendus sonitus, vel crepitus, ille, quem maturae & siccae siliquae collisae, dum una cum tota planta metuntur, vel evelluntur, edere solent. Eodem sensu accipiatur, *vers. 76, sylva sonans*. Quae ad *vers. 78* de *papavere* disputat, legi merentur. *Tenues pluviae, vers. 92*, quid sint, aut quomodo *adurant*, a multis multifariam disputatur. Nonne melligo fuerit, vel robigo, quae dicitur? Neminem tamen, qui hanc foverit sententiam, adhuc reperire potuimus. Per *carduum, vers. 152, carduum sol-*

 stitia-

ſtitialem Raji (*Saint Barnaby's thiſtle*) intelligit. *Lappam*, *verſ.* 153 & *aparinen Theophraſti*, *Dioſcoridis*, & *Plinii*, unam eandemque plantam eſſe putat, Anglis *cleavers* dictam. Confert Noſter hos *verſus* 152 & 153 cum verbis *Moſis Gen. III*, קוץ ודרדר. *Duplex* aratri *dorſum*, *verſ.* 172, nova interpretatione per duo crura exponit, quibus dentale jungitur buri & temoni. Favet huic interpretationi deſcriptio *Heſiodea*: mirum tamen aliquo modo videri poſſit, *crura* dorſi nomine venire. Ut hæc omnia magis adhuc illuſtrarentur, Italicum, quale nunc in uſu eſt, aratrum æri Noſter incidendum curavit pingendumque: parum enim ab aratro *Virgilii* differre exiſtimatur, niſi quod cultro gaudet, ſtiva autem eſt deſtitutum. *Verſ.* 173, 174, legere mavult: *altaque fagus ſtiva*, *qua*, quam, ut adhuc fere omnes, — *ſtivaque*, *qua*. Per *currus* intelligi poſſunt aratra rotis prædita, vel legatur *curſus*. *Nux*, *verſ.* 187, Noſtro non eſt amygdalum, ut interpretibus fere omnibus, ſed nux juglans; & vox *plurima* fertilitatem indicare dicitur atque copiam. *Nequicquam*, *verſ.* 192, eſt *fruſtra*, contra *Servium*, & pleroſque alios, qui per *non* exponunt. *Pontus*, *verſ.* 207, eſt Pontus *Euxinus*; *fauces Abydi* vero indicant Helleſpontum. *Verſ.* 208 legatur *dies*, autore *Gellio*; non *die*, ut alii plerique omnes legere ſolent. Sic *verſ.* 213 *incumbere raſtris*, non *aratris*. Per *averſum aſtrum*, *verſ.* 218, taurus intelligitur. Bene. Sed jam *Taubmannus* hoc obſervavit. Vocem *decedat*, *verſ.* 222, Noſter per *emergit*, vel *oritur*, vertit, &, cum aliis, de ortu coronæ heliaco exponit: fatetur tamen, contra uſitatam *Virgilio* vocis *decedere* ſignificationem ſic peccari. Vocabulum *mundi*, *verſ.* 231, refert ad *orbem*, non, ut alii, ad *aſtra*, vel *ſolem*. Per *acervos verſ.* 263. intelligit ſaccos frumento plenos: nec enim concipere poteſt, quomodo *numeri* potuerint acervis imprimi, proprie ſic dictis. *Septima poſt decimam*, *verſ.* 284, de quarum vocum ſignificatione nondum inter Commentatores convenit, eſt decima ſeptima, non ſeptima, nec decima quarta. *Mergus*, *verſ.* 361, Anglis dicitur *cormorant*; *fulica* vero, *verſ.* 263, *ſea - coot*. (Ille alio nomine

mine corvus aquaticus appellatur, hic cepphus.) *Vallibus imis*, *verſ. 374*, ita Noſter interpretatur, ac ſi vocula *in* eſſet omiſſa. Nempe, non *adſcendendo e vallibus* pluviam ſignificare grues, docte pronuntiat: ſed *deſcendendo*, & *in vallibus conſidendo*. Sic etiam *Aratus* & *Ariſtoteles*; Commentatorum autem, & interpretum, vix ullus. *Verſ. 393* legit *eximbres*, non *ex imbri*, ut plerique omnes. Vocem *fato*, *verſ. 416*, interpretatur *per fatum*, cum *Grimoaldo*. *Armorum ſonitum, toto Germania cælo* quem *audiit*, de aurora boreali intelligit, ubi nonnunquam ſonitus etiam & crepitus in aere auditur. *Paribus telis*, *verſ. 489*, id eſt, bello civili. *Philippos, Emathiam*, & *montem Hæmum*, *verſ. 490 ſeq.* non in una eademque provincia ſitos fuiſſe, certum eſt. Noſter, ut hanc ſolvat difficultatem, primo quidem varias aliorum ſententias in medium profert, tum vero ita pronuntiat, Theſſaliam, Epirum, Macedoniam, ad montem usque Hæmum, a *Virgilio* tanquam unam ſpectatas fuiſſe provinciam, quale quid ab aliis etiam Romanis Autoribus factum eſt, *Lucano*, *Floro*, *Cæſare*. *Virgilius* hic loquitur de duobus bellis civilibus, altero ad Pharſalum, ad Philippos altero. In fine *Libri primi* figuram Noſter addit aratri, nunc in campis Mantuanis & Venetis uſitati, una cum deſcriptione omnium ejus partium. Diligenter hoc aratrum cum deſcriptione *Virgilii* confertur.

Eſculus, *Lib. II verſ. 16*, eſt *quercus latifolia mas brevi pediculo*, *C. B.* (*bay-oak*). *Verſibus 30 ſeq.* non de inſitione agi, ſed de ſegmentis, e trunco ſumtis, ex mente *Virgilii* oſtenditur. Idem etiam *La Cerda* docuit. Mirum alicui videri poſſit, multis etiam viſum eſt, *Virgilium verſ. 69 ſeq.* docere, inſitionem ratione fructuum etiam diverſi generis locum habere. Noſter, ut *Virgilium* defendat, *Columellæ* Caput de inſitione integrum, Anglice verſum, apponit: addit tamen, quod *Millerus*, celebris nunc hortulanus, contra dixit. Huic etiam experientia favet. *Platani* folium pictum exhibetur, & ex oppoſito Peloponneſus, ut hujus cum folio *platani* ſimilitudo lectorum oculis pateat. *Fagos*, *verſ. 71*, caſtaneis olim fuiſſe inſitas, Noſtro ſatis congruum videtur, cum caſta- Lib. II.

 neæ,

neæ, teſte *Plinio*, in viliſſimis fructibus collocatæ, glandes autem fageæ nominatæ fuerint dulciſſimæ. Eandem cum Cel. *Martyno*, qui tamen, præter *Plinium*, allegat neminem, jam olim *Ramus* ſententiam fovit. *Ornum, verſ. 72, ſorbum aucupariam* eſſe putat, quæ Anglis *Quicken-tree*, alias *mountain-ash*, vocatur. *Lotus* Lotophagorum, ſeu *Homeri*, & *Virgilii, verſ. 84*, eſt *zizyphus* (*jujube tree*), non, ut plerique alii volunt, Anglorum *Nettle-tree*. *Verſu 86* legit *orchites*, non *orchades*. *Orchitis* videtur eſſe *olivola* recentiorum Italorum, & *olivaſter Matthioli*. *Radii* ſunt *raggiaria Cæſalpini*. *Mareotides vites* ad lacum Mareotida, ubi Ægyptum alluit, creviſſe, Noſter conjicit. De reliquis, qui hic allegantur, fructibus vix certi quidquam ſtatui unquam poterit. *Acanthus, verſ. 119*, ſecundum *Theophraſti* deſcriptionem eadem, quæ acacia arbor, videtur, & ſiliquas producit: *bacca* autem a *Virgilio* lachrymæ gummi forſitan appellantur. *Citri* ramum æri Noſter incidi curavit, occaſione *verſuum 126 - 135*; deinde *oleæ* quoque & *elæagni* figuras, florum etiam & fructuum, adjecit, ut *verſus 187 ſeq.* melius intelligerentur. De *caſia, verſ. 213*, copioſe exponit. Intelligit per eam *cneoron Theophraſti*, *thymelæam Plinii* & *Dioſcoridis*, *thymelæam lini folio C. B.* (*ſpurge flax*, vel *mountain-widow-waile, Gerardi*,). *Verſ. 260 magnis*, quam *magnos*, legere mavult: nec tamen adhuc in textum admiſit. *Ubere, verſ. 275*, idem eſt, ac *fertilitate*, ut hic ſit ordo verborum: *in denſo* ordine *Bacchus non eſt ſegnior ubere*, hoc eſt, fertilitate. Sed jam *Taubmannus* hoc vidit. *Prima autumni frigora, verſ. 321*, finem autumni ſignificant, ut res ipſa ſuadet, ac *Columella* nos docet. *Premere, verſ. 346*, Noſter cum Dn. *B - -* de propaginibus intelligit, rationibus fultus non contemnendis. Conf. *Virg. Georg. II, 63*. *Uri, verſ. 374*, non illi eſſe poſſunt, quos *Cæſar Lib. VI* deſcribit: hi enim in Italia ignorabantur; nec bubali *Plinii*, qui erant boves Africani. Noſter igitur eadem putat fuiſſe animalia, quæ ab Italis nunc *bufali* appellantur: aliud enim eorum nomen apud antiquos haud reperitur. *Verſ. 382* legit *ingeniis*, non *ingentes*, *Pierium* ſecutus. *Relicta*

vitis,

vitis, verſ. 406, eſt vitis nudata fructibus & foliis, ut *Ruaus* docet. *Cedrum, verſ. 443*, eſſe, arbitratur, *juniperum majorem bacca rufeſcente C. B;* quæ *Oxycedrus* a *Parkinſono* vocatur, & a *Gerardo Oxycedrus Phœnicea.* Vocabulum *letho, verſ. 456*, non voci *domuit* jungitur, ſed participio *furentes verſ. 455.* Sic ſenſus congruit cum narratione *Ovidii*, & cum re ipſa.

Per *Epidaurum, Lib. III verſ. 44*, Noſter Peloponneſiacam, cum *Ruao*, intelligit Epidaurum, non Epiroticam. *Tithonum, verſ. 48*, *Priami* fratrem, filium *Laomedontis*, *Virgilius* nominat: non autem vel *Anchiſen*, vel *Aſſaracum*, vel alium, quorum etiam origo a *Jove* erat repetenda, quoniam *Tithonus* Dardaniæ gentis erat celeberrimus. *Verſus 63, 64*, de maſculis, ſeu tauris, ſunt intelligendi, non de vaccis, contra *Servium*. Vox *reponere, verſ. 76*, alternam pedum motionem videtur indicare. *Erictonius, verſ. 113*, *Dardani* filius, pater *Trois*, fuiſſe dicitur, contra *Newtonum*, & alios. *Verſus 123 ſeq* Noſter non de equino genere ſolum interpretatur, ſed de bubus etiam & vaccis vult intelligi. *Voluptas, verſ 130*, non de coitu exponitur, ſed de illo admiſſarii deſiderio, quod nunc demum ſe exerit in equa, & ab illa cognoſci incipit. Quam recte, Lector videat. Nec nova hæc eſt interpretatio. *Verſus 133-178* de vaccino præcipue pecore intelliguntur, ob allatas a *Varrone*, *Columella*, & *Palladio*, temporis rationes. *Cetera, verſ. 162*, illa Noſter exiſtimat eſſe pecora, quæ vel ad ſobolem deſtinata ſunt, vel ad ſacra. Hæc enim magna cura non egent, donec ad illam, quæ requiritur, ætatem pervenerunt. *Eſſeda, verſ. 204*, Belgis fuiſſe uſitata, nullibi reperire potuit. Hinc *bellica* legere mavult, quam *Belgica*. Invenit etiam in altero *Meadii* MSto Codice *bellica*. *Caricem, verſ. 231*, putat, eſſe *juncum acutum panicula ſparſa C. B.* (*common hard ruſh*). Ad *verſus 277-280* de *ventorum* apud antiquos nominibus, & *hippomane*, longa oratione agit. Octo ventorum præcipuorum nomina, ex mente *Plinii*, æri curavit incidenda in forma roſæ, quam dicunt, nauticæ. *Podagra* ovium, *verſ. 299*, idem fortaſſe morbus eſt ac ille, Lib. III.

quem

quem *Columella claves* vocat. Placet interpretatio verborum *verſ. 319: Quo minor eſt illis cura mortalis egeſtas*, ut nempe cura de hominibus dicatur, non capris adſcribatur. Hæ nempe paſcuntur, æstatis tempore, in ſalebroſiſſimis locis, & ſua ſponte domum redeunt, nec in his omnibus cura paſtoris egent. Juſtum igitur eſt, ut in hieme pabulum illis largius ſuppeditemus. Hæc *Virgilii* eſſe mens videtur. Medicum ubi *Virgilius* agit, copiam id Noſtro ſuppeditat, ex R. S. Commentariis (*Transactions*) quædam allegandi, ut pulveris antilyſſi compoſitionem & uſum, ad *verſ. 496*, tum & hiſtoriam ſtragis pecoris vaccini, in Anglia per contagionem A. 1714 effectæ, ad *verſ. 536*.

Lib. IV. *Numina læva*, *Lib. IV verſ. 7*, putat dici adverſa, quanquam adhuc dubius aliquo modo hæreat, ob contradicentium argumenta, hic etiam allegata. De *melisphyllo*, *verſ. 63*, diligentius diſputat, quam ullus interpretum alius. Sic etiam de *Cerinthe*, quam *Cerinthen flavo flore aſperiorem C. B.* eſſe pronuntiat, pictam oculis lectorum exhibet. *Thymum*, *verſ. 112*, monſtrat, eſſe *thymum capitatum C. B.* & *thymum Dioſcoridis*. Ad *verſ. 118* de hortis Græcorum & Romanorum generatim & breviter diſſerit. *Apium*, *verſ. 121*, idem eſt, ac Anglorum *ſmallage*, vel *celeri*; *narciſſus* autem, *verſ. 122*, vel erit *narciſſus albus circulo purpureo C. B.*; vel *narciſſus albus circulo croceo minor C. B.*; in quem poſteriorem *Narciſſus* juvenis videtur mutatus, de quo *Ovidius*. Quare *acantho*, *verſ. 123*, *flexum vimen* adſcribatur, vix definire Noſter ſuſtinet, tandemque ad notum illum *Vitruvii* locum confugit, ubi de acantho illa exponitur, quæ peculiari quodam & accidentali flexu Corinthiacas columnas inveniendi occaſionem dederat. De *liliis*, & *verbenis*, *verſ. 131*, pari ubertate diſſerit. Ubi Poeta de magnarum arborum transplantatione canit, *verſ. 144 - 146*, Noſter de eadem re præcipientem inducit *Evelynum*. *Ferrugineum hyacinthum*, *verſ. 183*, magno rerum & verborum apparatu, fuiſſe, oſtendit, *lilium floribus reflexis*, (*martagon*, vel *imperial martagon*,) ejusdemque floris imaginem apponit. *Verſus 203-205* loco ſuo eſſe motos, & poſt *verſ. 196* ſtare debere, Noſtro

ſtro perſuaſit *Dan. Molyneux*, R. S. S., ſed ſine magna neceſſitate. *Medus Hydaſpes, verſ. 211,* forſan erit *Choaſpes: piſcis* autem *aquoſus, verſ. 234,* erit *delphinus. Amellus,* quem pulcre pingit *Virgilius verſ. 271 ſeq.*, videtur eſſe *Aſter Atticus*, cujus etiam Noſter imaginem, æri inciſam, & coloribus variegatam, ultimo loco appoſuit. *Verſus 287 - 292* non uno eodemque ab interpretibus modo explicantur. Plerique, primo Ægyptum, deinde Perſiam, innui, ſibi perſuaſerunt. Cel. *Martyn*, toto hoc ſermone Ægyptum inferiorem, quæ *Delta* dicitur, deſcribi, docet, latus nempe occidentale *verſ. 287 - 289;* deinde orientale, vel os Peluſiacum Nili, qnod Perſiam tangit eo ſenſu, quo *Cyrus* Perſarum imperium eo usque extenderat. *Æthiopes*, apud quos oriri Nilum ſcimus, *Indos* antiquis fuiſſe appellatos, & ſic *verſum 293* optime intelligi poſſe, hæc omnia nunc quidem ſatis nota ſunt. *Verſu 484 cantu* Noſter legit, non *vento*. Calcem libri quædam *Ed. Kingii* ornant notæ, poſt impreſſum jam opus cum Cel. *Martyno* communicatæ. Unam ſaltem allegabimus. Verba *Lib. I verſ. 402, ſeq. Kingius* ita interpretatur: *Noctua ſolis occaſum de culmine ſummo nequicquam* (vane, incaſſum,) *ſervat*, (exſpectat, ſperat, optat,) *quoniam nox, beneficio lunæ, diem ſplendore facile æquabit.* Cel. *Martynus* vocem *nequicquam* per *non* expoſuerat. Indicem etiam rerum notatu digniſſimarum adjectum conſpicimus.

RECHERCHES ET DISSERTATIONS SUR HERODOTE, par Mr. le Preſident BOUHIER, &c.

id eſt,

JOANNIS BUHERII, IN SENATU BURGUNDICO Præſidis infulati, Disquiſitiones ac Diſſertationes Herodoteæ. Adjicitur de ejus vita & ſcriptis Commentarius FRANCISCI ODINI, Societ. Jeſu Presbyteri.

Divione, apud Petrum de Saint, Regium & Senatus Burgundici typographum, 1746, 4 maj.
Alph. 1 plag. 9½, præter Prœmium, & Commentarium de vita.

Opus hoc est posthumum Viri perillustris, *Joannis Buherii*, in Senatu Divionensi Præsidis infulati, cujus raram eruditionem, virtutes eximias, magnaque merita, jam dudum veneratus est orbis eruditus, atque inter præcipua sua decora numeravit. In Opere hoc Illustris noster Autor id sibi datum esse negotii credidit, ut in rationes Chronologiæ *Herodoti*, quanta fieri posset, accuratione & industria inquireret. Observavit, dum Chronologorum præstantissimorum volumina manu assidua versavit, eos plerumque systema aliquod generale sibi in antecessum formare, & ad illud postea loca Historicorum veterum quæcunque referre atque accommodare, cum tamen Historici illi utplurimum rationes temporum longe aliter digesserint, quod non potest non confusionem multiplicem parere, & sæpe in difficultates inextricabiles conjicere. Malum hoc non felicius vitari posse credidit, quam si uniuscujusque Historici sigillatim ratio chronologica fideliter & accurate exploraretur, deinde vero systema unius cum systematibus aliorum conferretur, ut sic tandem clare intelligeretur, cujusnam systema reliquis merito præferendum esset. Hoc modo disputationes eruditorum de celebrioribus Epochis facile componi potuisse Autori nostro videntur. Tale quid ipse hic in Chronologia *Herodoti* examinanda & figenda tentare voluit, non sine felici & exoptato prorsus successu. Disputandum ipsi hic sæpius fuit adversus Chronologos excellentissimos, quorum ingentia merita ipse libenter agnoscit & prædicat, sed quorum etiam errores nonnunquam convelli oportuit. Sed id facere solet ea animi moderatione ac lenitate, ea etiam sæpe in dissentientes benevolentiæ testificatione, ut hæc disputandi ratio & Autorem ipsum amabilem reddat, & in universum etiam hocce literarum & studiorum genus, odio & suspicione, qua nonnunquam valde

de laborant, penitus liberet. Totum Opus *Capita XXII*, vel totidem Diſſertationes in *Herodotum*, complectitur, omnes atque ſingulas bonæ frugis pleniſſimas, quarum contenta præcipua Lectorum oculis nunc exponemus.

Cap. I agit de ipſius *Herodoti* vita & ſcriptis. Natus autem eſt ille Hiſtoricus Halicarnaſſi, anno Periodi *Julianæ*, qua Autor in diſponendis rationibus temporum ſemper utitur, 4230. Primo, tyrannidem *Lygdamidis* fugiens, Samum ſe recepit, unde tamen poſt aliquot annos Halicarnaſſum reverſus, tyrannum urbe expulit. Patria autem ſua iterum relicta, Thurios profectus eſt, cum Athenienſes coloniam eo miſiſſent. Sed & Thuriis Athenas conceſſit, ibique diem ſuum obiit, ubi etiam diu poſt ſepulcrum ejus oſtendebatur. Præcipuam laudem *Herodotus* ex Hiſtoria, dialecto Ionica, ſtilo perquam polito, conſcripta, & in *Libros IX* diſtributa, conſecutus eſt. Plerique, moti autoritate *Plinii*, adhuc crediderunt, *Herodotum* Hiſtoriam hanc contexuiſſe eo ipſo anno, quo Thurios profectus eſt, qui eſt annus Per. Jul. 4270. Verum iſthanc ſententiam urgent plurimæ, neque leves, difficultates. Longe probabilius videtur præſtantiſſimo noſtro Autori, quod & rationibus egregiis confirmat, *Herodotum* ad ſcribendam hiſtoriam manus primo admoviſſe in ſeceſſu Samio, poſtea vero Thuriis opus ſuum cœptum pertexuiſſe, illique limam & manum ultimam impoſuiſſe. Certe narrantur in illa hiſtoria, quæ non niſi poſt annum 4270, & diu ſatis, contigerunt. Præter Hiſtoriam hanc celebrem, quæ exſtat, *Herodotus* etiam promiſerat *Hiſtoriam Imperii Aſſyriorum*, quam vero ab Autore abſolutam non fuiſſe, eruditorum multi conjiciunt. At aliter viſum eſt Illuſtri *Buberio*, quod & *Ariſtoteles* Hiſtoriam Aſſyriacam *Herodoti*, ſibi viſam, commemoret, & ex ea videantur eſſe decerpta, quæ veteres ex *Herodoto* afferunt, & in ejus Hiſtoria edita tamen non leguntur. Ætatem porro tulit *Vita Homeri*, quam nonnulli eruditorum *Herodoto* abjudicant, ſed, *Buberio* judice, fruſtra. Videtur autem *Herodotus* Vitam hanc conſcripſiſſe admodum juvenis, &

hoc veluti specimine edito virium suarum periculum facere voluisse.

Caput II est de Imperio Assyriorum secundum *Herodotum*, cujus historia præfertur historiæ *Ctesiæ*. Fidem *Herodoti* in rebus Assyriorum ex eo inprimis impugnant docti quidam Chronologi, quod, si ipsum audiamus, imperium Assyriorum annos tantum 520 duraverit, quod tamen alii per Secula circiter undecim stetisse asseverant. Sed quis non confestim videat, calculos *Herodoti* longe majorem veri speciem præ se ferre? Si enim aliorum rationes sequimur, fundatio regni Assyriorum incidet in an. Per. Jul. 2355, adeoque tempus diluvii *Noachici* antevertet, quod *Petavius* conjicit in an. 2385. Præterea tempore *Abrahami*, cujus nativitas incidit in an. 2678, imperium Assyrium fuisset jam florentissimum & amplissimum, cum tamen in historia *Abrahami* & *Abrahamidarum* sacra nulla regni hujus mentio occurrat, nullaque potentiæ ejus vestigia deprehendantur. Expeditio quoque Israelitarum in Canaanem, hujusque regni occupatio, testatur abunde, nullum eo tempore exstitisse imperium Assyriorum. Sed & opportune *Buberius* monet, *Herodotum* non ambitu annorum 520 circumscribere totum tempus durationis imperii Assyriorum: ait enim, imperium illud stetisse jam annos 520, cum Medi ab Assyriis deficerent. Ex quo colligi potest, *Herodotum* imperio Assyriorum tribuere octo circiter Secula, in quo etiam veteres alii fere cum ipso consentiunt. Pro *Ctesia* id inprimis afferri solet, quod, sicut ipse scriptum reliquit, membranas regias, quibus res memoria dignæ consignari solebant, consuluerit, & in aula Regum Persiæ annos 16, vel 17, exegerit. Verum, hoc esse commentum *Ctesiæ* putidum, omnique veri specie destitutum, ex ipsius Historiæ ejus fragmentis, quæ supersunt, docte & acute ostendit *Buberius*. Idem tamen viam aliquam, conciliandi inter se duos hosce Historicos, suppeditat, si nempe dicatur imperium Assyriorum satis diu inter Tigridem & Euphratem substitisse, & demum circa annum 3800 latius per totam Asiam propagatum fuisse.

Cap.

Cap. III agit de Chronologia regni Babylonii *Herodotea*. Babylonii cum Regibus suis Assyriis paruernnt, usque ad interitum *Sardanapali*. Post exstinctum hunc Regem, *Belesis Diodori*, qui in historia *Juditha Nabuchodonosor* audit, teste *Diodoro*, regno Babylonis cum suprema potestate potitus est. De hoc Rege, & successoribus ejus primis, nihil commemorat *Herodotus*: primus enim, cujus mentionem facit, ipsi audit *Labynetus I*, qui est *Nabuchodonosor Magnus*. Hujus uxorem, ait, fuisse *Nitocrin*, quæ, sicut *Buberio* videtur, regnum administravit, quoad morbus ille singularis *Nabuchodonosoris*, quem Scriptura commemorat, duravit. Rex hicce non modo imperio Assyriorum finem attulit; sed regno etiam Judæ, destructa urbe Hierosolyma, quod ultimum contigisse anno Per. Jul. 4115, rationibus minime spernendis hic adstruitur. Historia autem illorum Regum, qui *Nabuchodonosorem* insecuti sunt, est, si quæquam alia, fatentibus omnibus, multis difficultatibus impedita, & Chronologis crucem fixit. Autor noster censet, *Evilmerodachum*, quem Canon *Ptolemæi* successorem dat *Nabuchodonosori*, nihil differre a *Belsbatzare Danielis*, *Neriglissarem Ptolemæi*, qui *Evilmerodachum* excepit, hunc esse, quem *Daniel* vocat *Darium Medum*, cujus filius *Laborosoarchodus* patri suo non nisi novem menses supervixit, & denique *Nabonnedum*, qui in laterculo *Ptolemæi* ultimum locum occupat, non alium esse, quam *Merodachum Jeremiæ*, qui *Herodoto Labynetus II* dicitur. Quæ omnia Autor noster doctissimus argumentis exquisitis adversus aliorum Chronologorum rationes evincere conatur.

Cap. IV de Chronologia Regum Medorum *Herodotea* differit. Si *Ctesiam* sequimur, quod plurimi Chronologi faciunt, Media semper Assyriis paruit, donec *Arbaces*, ope Babyloniorum, *Sardanapalum* Assyrium & regno & vita spoliasset, quo facto, ipse regnum Medorum ad se rapuit, & ad posteros suos transmisit, quorum ultimus *Astyages* exstitit. Expeditionem *Arbacis Petavius* in annum Per. Jul. 3838, *Vignolius* in 3814, conjiciunt. Verum Autor noster, qui existimat, argumentis invictis probatum a se esse, ultimum *Sardanapali* annum, &

Ninives everſionem incidere in an. 4111, omnia, quæ de *Arbace*, & longa ſerie ſucceſſorum ejus, narrantur, fabulis eſſe annumeranda, judicat. Quæ *Herodotus* tradit, melius cum veritate congruere videntur. Ait autem ille, Medos omnium primos Aſſyriorum jugum excuſſiſſe, eoque facto, Anarchiam quandam apud illos ortam eſſe. Illam feliciter ſuſtulit *Dejoces*, eique, ob eximias virtutes, Medi, tanquam legitimo ſuo Regi, libenter paruerunt. *Dejocem* ſecutus eſt *Phraortes*, filius, Princeps bellicis artibus clarus, qui & Aſſyrios adoriri auſus eſt, ſed ſucceſſu infelici, cum in ea expeditione perierit, poſtquam regnaſſet annos 22. Hunc excepit *Cyaxares*, filius, qui annos regnavit 44, & hunc filius ejus, *Aſtyages*, cui, poſtquam annos 35 regnaſſet, *Cyrus*, ipſius ex filia nepos, regnum abſtulit. Numeri hi annorum, qui ſingulis Regibus tribuuntur, difficultate ſua non carent, quæ tamen evaneſcet, ſi regno *Phraortis* loco annorum 22, uti habent Codices *Herodoti*, anni aſſignentur 28. Quibus ſic ſtabilitis, Autor noſter colligit, initium regni *Dejocis* referendum eſſe ad annum 3999, &, ſi concedas, anarchiam præcedentem duraſſe circiter ſesqui ſeculum, ſequetur, Medos defeciſſe ab Aſſyriis circa annum 3850. Hic annus parum remotus eſt ab eo tempore, quo, ſecundum *Cteſiam*, *Arbaces* Medis imperavit, qui, cum forte eſſet præcipuus defectionis dux & autor, a quibusdam nomine Regis ornari potuit. Quæ Autor præſtantiſſimus poſtea addit de celebri Eclipſi ſolis, quæ contigit, dum exercitus *Cyaxaris* Medi cum Lydorum exercitu prælio decerneret, ac alia inſuper, res Medorum ſpectantia, attenta conſideratione digna ſunt; ſed locum hic non inveniunt.

Caput V de Chronologia Regum Lydiæ *Herodotea* exponit. Chronologia Regum Lydiæ pendet ex anno, quo illud everſum fuit. Ex *Herodoto* id tantum intelligitur, *Cyrum* Lydiæ regnum deſtruxiſſe paulo ante, quam Babylonem caperet. Sed aliis rationibus oſtenderunt Chronologi peritiſſimi, eventum hunc referendum eſſe ad annum 4169 exeuntem, vel 4170 ineuntem. Ex *Herodoto* porro diſcimus, *Crœſum* regnando exegiſſe annos 14, quibus ſi addas complures alios, quibus regnum

gnum Lydiæ conjunctim cum patre administrasse videtur, omnes difficultates chronologicæ, quas *Crœsi* regnum nobis offert, solvi facile possunt. Regibus vero illis, qui ex stirpe *Gygis* oriundi ante *Crœsum* regnarunt, *Gyge* tamen ipso comprehenso, *Herodotus* annos tribuit 170: ex quo sequitur, annum regni *Gygis* primum incidere in annum 4000. Chronologiam horum, ex mente *Herodoti*, Autor illustris ita disponit:

Gyges regnare cœpit anno Per. Jul.	4000.
Ardys - - - -	4038.
Sadyattes - - - -	4087.
Alyattes - - - -	4099.
Crœsus conjunctim cum patre	4140.
Crœsus solus - - -	4156.
Cyrus Lydorum regnum destruit -	4170.

Ante *Gygem* Reges alii, ex familia *Heraclidarum*, Lydiæ imperarunt per annos, ut docet *Herodotus*, 505. Eorum primus fuit *Argon*, vel *Agron*, ex *Herculis* stirpe oriundus, ultimus vero *Candaules*, a *Gyge* & regno & vita privatus. Horum igitur chronologia sic ordinatur:

Agron regno potitus est anno	3494
Candaules, ultimus ex *Agronis* progenie, sublatus est - -	3999.

Plura de Lydorum regno, quondam in Asia florentissimo, disseruerunt duo celeberrimi Academiæ Inscriptionum Parisiensis Sodales, *Sevinus* & *Freretus*, quorum Dissertationes in Academiæ illius *Memoriis* editæ sunt.

Cap. VI de tempore expeditionum, a Cimmeriis & Scythis susceptarum in Asiam minorem, secundum *Herodotum*, nos docet. *Herodotus*, qui post *Homerum* primus Cimmeriorum meminit, gentem hanc locat in ora occidentali Paludis Mæoticæ, inter Tanain, & Bosporum, dictum hinc Cimmerium. Hos Scythæ, siti tum ultra Araxem fluvium, quem nunc Wolgam appel-

appellant, sedibus his suis pristinis a Massagetis ejecti, adorti erant, quo facto, illi, trajecto, ut videtur, Bosporo Cimmerio, qui hyeme sæpius glacie totus constringitur, irruptionem fecere in Asiam, &, oram Ponti Euxini legentes, Sinopen condidere. Non ita diu post Lydiam ingressi, Sardes cepere, ac regiones etiam vicinas, Phrygiam Ioniamque, vastavere, templum *Dianæ* Ephesiæ, septem stadiis ab urbe dissitum, combussere, pars denique illorum Ciliciam ingressi, illic interiere omnes, atque sic dominatio eorum in Asia finem habuit. *Herodotus*, ubi expeditionem hanc refert, temporis, in quod illa ingruerit, mentionem non facit, id quod eruditis crucem fixit. Sed aliis in locis ea tradit, ex quibus veram rei hujus gestæ ætatem constituere licet. Nam *Lib. I Cap. 15* & *103* observat, Cimmerios in Asiam irrupisse, regnante apud Lydos *Ardye*, cujus mors in annum 4087 incidit. Idem præterea *Libro* eodem *Cap. 103*, & *Lib. IV Cap. 12*, docet, Scythas, dum Cimmerios, sedibus suis avitis jam pulsos, etiam in Asiam persequuntur, in via aberrantes, pervenisse in Mediam, cum illic regnare cœpisset *Cyaxares*, & Medos tum imperio exuisse. Cum autem *Cyaxares* regno admotus fuerit A. 4080, vel 4081, expeditio illa & Scytharum & Cimmeriorum videtur quam commodissime in an. 4079 rejici posse. Scythæ, postquam imperio Asiæ, Medis erepto, per annos 28 potiti essent, a Medis vicissim victi, in patriam, olim Cimmeriorum, jam suam, redire coacti sunt.

Cap. VII de Chronologia Regum Ægypti *Herodotea* inscriptum est. Chronologia Regum Ægyptiorum vetusta nihil esse impeditum & intricatum magis, uno ore fatentur cordati omnes, qui rem hanc attigerunt. Patet hoc inprimis ex Dynastiis Regum Ægypti *Manethonis*, in quibus digerendis & explicandis & olim & nunc Viri doctissimi operam posuerunt laboriosam valde; sed, uti censet Autor noster, sine exoptato successu. Ægyptiis enim unice id curæ cordique erat, ut origines gentis suæ super omnem modum proferrent, eumque in finem historiam vetustiorem fabulis ineptis vehementer corrumpebant. Hinc enim est, quod, teste *Platone* in *Timæo*, Sacer-

Sacerdos Saiticus *Soloni* ex ſacris ſuis monumentis aſſeveraverit, urbem ſuam ante octo annorum millia conditam jam fuiſſe, quodque itidem poſtea *Herodoto* Sacerdotes perſuadere voluerint, a *Mene*, primo Ægypti Rege, usque ad *Sethon* annos elapſos eſſe 11340. Prudenter itaque *Herodotus*, prætermiſſa longa illa Regum fabuloſorum ſerie, hiſtoriam auſpicatus eſt a *Seſoſtri*, gentium pæne omnium annalibus celebrato. Et in univerſum meliores Chronologi id libenter agnoſcunt, *Herodotum* in hiſtoria Ægyptiorum ducem eſſe longe tutiſſimum, & cui cum paginis ſacris omnium optime conveniat. Secundum *Herodotum*, antiqua hæc fuit Ægyptiorum traditio, primum illic regnaſſe *Menem*. Regis iſtius initia *Marshamus* refert ad annum Per. Jul. 2371; *Vignolius* vero, ſi Autori hic auſcultamus, ad annum 2285, ex quo ſequeretur, doctiſſimum hunc & meritiſſimum Chronologum initia regni Ægyptiorum antiquiora facere diluvio. Verum, quod pace manium illuſtris noſtri Autoris dictum ſit, hic quidem, nimium feſtinando, in errorem ſe induci paſſus eſt. Illo ipſo loco, quem præ oculis habet, (*Chronologie de Mr. des Vignoles Tom. II pag. 767,*) *Vignolius* primordia regni *Menis* aſſignat ad annum Per. Jul. 2458, adeoque *Marshamo* longe ſerius locat. Sed addit, hunc annum eſſe ante natum Chriſtum 2285. Is eſt fons hujus erroris. Et eodem modo *Vignolius* aliis in locis ſemper loquitur. Celeberrimus *Turneminius* primordia *Menis* conjicit in annum 2558. Sed omnia hæc, judice *Buberio*, prorſus incerta ſunt, & lubrico nituntur fundamento. Satius videtur ipſi, cum *Herodoto* de epocha hac regni Ægyptiorum nihil determinare. *Meni*, poſt longam Regum aliorum ſeriem, ſucceſſit tandem *Mœris*, vel *Myris*, a cujus regno, usque ad illud tempus, quo *Herodotus* in Ægypto cum Sacerdotibus verſatus eſt, nondum effluxiſſe annos nongentos integros, ipſe teſtatur. Ex eo argumentum capit Autor, *Mœrin* obiiſſe circa an. 3361. Si igitur *Mœri* in regno confeſtim ſucceſſit *Seſoſtris*, quod *Herodotus* innuere videtur, factum id eſſe oportet verſus an. 3361. Hinc evinci poſſe contendit *Buberius*, expeditionem *Seſoſtris*, tot

antiquorum ſcriptis celebratam, ingruere in illud tempus, quo Iſraelitæ per annos ſeptem jugo Madianitarum preſſi erant, *Judic. VI, 1*, cujus ſervitutis Iſraeliticæ initia *Vignolius* anno 3359 illigat: eamque ſententiam adverſus aliorum opiniones rationibus ingenioſis docte communit ac tuetur *Buberius*. Alias de Regibus Ægypti inſecutis obſervationes ſane egregias, ne nimis longi ſimus, transſcribere nobis non licet. Sunt vero lectu & penſitatu omnino dignæ.

Caput VIII de Chronologia Regum eorum Phrygiæ, qui nomen *Midæ*, aut *Gordii*, geſſerunt, ex mente *Herodoti* & aliorum quorundam, exponit. In hoc *Capite* id inprimis agit illuſtris Autor, ut evincat, quatuor fuiſſe Phrygiæ Reges, qui *Midæ* nomen geſſerint. Primus eorum, patre *Gordio*, matre vero *Cybele*, in Macedonia ſatus, præceptorem habuit *Orpheum*, ex quo liquet, eum vixiſſe tempore Argonautarum. Ex Macedonia in Phrygiam delatus, parti cuidam illius regionis imperavit, ibique urbes inclytas condidit, *Gordieum*, *Midæum*, Ancyram, & forte etiam Cybeliam. Secundus, nomine hoc inſignis, Phrygum Rex, *Gordii* pariter filius, teſte *Herodoto*, æqualis fuit *Homeri* Poetæ, cujus in eum epitaphium etiamnum exſtat. Tertius, cui pater etiam fuit nomine *Gordius*, in Phrygia regnavit, autore *Herodoto*, paulo ante, quam *Gyges* regnum Lydiæ ad ſe traxiſſet, adeoque ante annum 4000. Secundum *Euſebium* regnavit circa annum 3977. Ultimus denique *Midas* Phrygibus imperabat, quo tempore Cimmerii Aſiam minorem adorti erant, circa annum 4080. *Midas* hicce, aut irruptionibus Cimmeriorum animo fractus, aut triſtibus ſomniis territus, ſanguine taurino epoto, mortem ſibi conſcivit.

Caput IX de hiſtoria Pelasgorum & Hellenum, antiquorum Græciæ incolarum, inſcriptum eſt. *Herodotus* ſæpe mentionem facit Pelasgorum & Hellenum, quos conſtat eſſe fundatores celebrium in Græcia urbium, uti nec minus in aliis quoque regionibus. Quare operæ pretium eſt, hiſtoriam eorum, ex veterum ſcriptis ſtudioſe conquiſitam, curate tradere. Pelasgi,

lasgi, quicquid contendat *Palmerius*, non videntur post diluvium *Noachicum* omnium primi Græiam incoluisse. Certum est, ante ipsorum adventum, Arcadiam & Argos in Peloponneso incolas habuisse. Sed hæc tamen Pelasgis laus merito debetur, quod, cum in Græciam appulissent, incolas illius, pulsa pristina feritate morumque barbarie, ad vitam cultiorem & decentiorem traduxerint. Et, ubi postea numero creverunt, colonias in omnes fere Græciæ partes deduxerunt. Quo respectu dici potest, eos diversas res publicas, ex quibus olim Græcia composita fuit, fundasse. Ceterum, eos advenas fuisse in Græcia, vel ex eo patescit, quod in eam intulerint linguam peregrinam, quam *Herodotus* barbaram vocat, qua de causa etiam alii Græci ipsos barbaris accensent. Et verisimile omnino est, eos linguam Phœniciam in Græciam advexisse, quod *Salmasius* & *Reinesius* Seculo jam superiori, & Seculo hoc eruditi alii, asseruerunt, quodque Autor noster novis rationibus confirmare sategit. Primæ Pelasgorum sedes, teste *Dionysio Halicarnasseo*, fuerunt in Peloponneso. A veri specie minime abludit, Pelasgorum gentem, ex Phœnicia in Græciam delatam, consedisse primum in locis vicinis Argo, quæ ab omnibus inter vetustiores Græciæ urbes agnoscitur, & quæ etiam *Argos Pelasgicum* dici solet. Ubi tamen Lector monendus nobis est, *Homerum Argos Pelasgicum* in Thessalia collocare, idque distinguere ab Argo Peloponnesi, quod & post ipsum faciunt alii. Fatetur id postea ipse illustris *Buberius*. Quamvis autem ipsi concedamus non inviti, Argos Peloponnesiacum, habitatum quippe a Pelasgis, vocari recte potuisse *Pelasgicum Argos;* certum tamen est, nomen hoc a veteribus tribui Argo non Peloponnesiaco, sed Thessalico. In eo veterum plerique consentiunt, Pelasgos ex Peloponneso in alias Græciæ regiones se paulatim diffudisse. Quæ cum ita sint, mirum profecto est, quomodo *Salmasius* in libro de lingua Hellenistica tam operose adstruere potuerit, Pelasgos non ex Peloponneso, sed ex Thessalia, sese in alias Græciæ partes effudisse: quam sententiam, a tanto viro multis rationibus adstructam, *Buberius* ex imis fundamentis convel-

lere, & penitus destruere, annititur. Ex Peloponneso igitur, in qua Arg s, Arcadiam, & oram maritimam orientalem, possederunt, Pelasgi per totam Græciam se diffuderunt. Qui in Thessalia consederunt, primo quidem solo Pelasgorum nomine contenti, postea, ut ab aliis gentis suæ coloniis se ipsos distinguerent, *Græcorum* (Γραικῶν), vel *Grajorum*, nomen adsciverunt. Cumque Romani gentes Græciæ nomine hoc *Grajorum* & *Græcorum* semper designare consueverint; id non leviter eorum sententiam juvat, qui, Romanos ab antiquis Thessaliæ incolis Pelasgis descendisse, opinantur. Qui vero ex Pelasgis Bœotiam inhabitarunt, pariter, amisso paulatim avito Pelasgorum nomine, *Græci* dicti sunt. Incoluerunt Pelasgi hi etiam Atticam, dicti tum primo *Cranai*, a soli, quod habitarunt, asperitate, mox vero a *Cecrope* Rege *Cecropidæ*. Cum hisce vero priscis Pelasgis, a quibus genus duxerunt Athenienses, non confundere oportet, quod solenne est quibusdam, Pelasgos recentiores, qui post captam Trojam in Atticam admissi, sed & aliquanto post ex eadem excedere jussi sunt. Post diluvium *Deucalionis*, hic quidem, qui loca Parnasso monti proxima coluerat, collectis quibusdam, diluvii immanitatem elapsis, illam Thessaliæ partem, quæ *Phtiotis* dicitur, ejectis Pelasgis, invasit. Exemplum ejus secuti filii, & horum posteri, Pelasgos paulatim tota Græcia expulerunt, nomen quoque exstinxerunt, & nominibus, quæ ipsi regionibus imposuerant, sua substituerunt, Hellenum, Æolum, Dorum, Achæorum, Ionum, ubi etiam linguæ Pelasgorum priscæ successit illa, quæ *Hellenum*, vel *Hellenica*, id est, *Græca*, dici consuevit, quæ, etsi principio cum Pelasgica eadem fuerit, successu tamen temporis tot, tamque insignes, mutationes subiit, ut a primitiva illa Pelasgica immane quantum distulisse censeri debeat. Pelasgi igitur, sedibus avitis ubique ejecti, novasque quærere coacti, pars quidem in Hellespontum confugit, pars in Samothraciam, Cretam, Eubœam, Samum, Lesbum, aliasque maris illius insulas, concessit: pars in Asia minori sedes illas tenuit, quas deinceps occuparunt Iones, pars regiones alias, ad Orientem Græciæ sitas, inhabitavit.

Alii

Alii denique Italiam petierunt, & partim ad ostia Padi, partim in illa ora, quæ postea nomen Hetruriæ accepit, consederunt, ac sigillatim Crotoue. Postremum hoc ex loco *Herodoti*, recte lecto & explicato, facile evincit. Qui oras has Italiæ meridionales habitabant, dicebantur etiam, præsertim vero a Græcis, Tyrheni, de quibus quæri solet, fuerintne etiam Pelasgi. Affirmat hoc *Buberius*, docetque, qua ratione veterum de origine Tyrhenorum narrationes bene inter se conciliari queant. Existimat enim, primo Pelasgos quosdam, ex Thessalia migrare coactos, profectos esse in Lydiam, & ex Lydia coloniam misisse in Italiam. Hi primitus Tyrhenorum nomen gesserunt. Cum vero, procedente tempore, alii Pelasgi, tota Græcia expulsi, in Italiam quoque confugissent, antiquioribus Pelasgis, quibus nomen Tyrhenorum jam erat, se adjunxerunt, idemque nomen adsciverunt. Et illo quidem tempore, quo Græcia ejecti Pelasgi, insulas invaserunt, inque potestatem suam redegerunt, ac in Italiam quoque trajecerunt, videntur illam mari potentiam consecuti esse, de qua veteres sæpius testantur.

Caput X de antiquis Pelasgorum & Græcorum literis nos docet. In hoc *Capite* illustris Autor quædam, quæ in Dissertatione *de priscis Græcorum literis*, ad calcem Palæographiæ *Montfauconianæ* edita, adstruxerat, novis argumentis in tuto collocare allaborat. In Dissertatione illa, eruditis oppido nota, asseruerat, literas Græcorum primitus nihil discrepasse a Phœniciis, easque in Græciam ante *Cadmi* ætatem advectas fuisse, & tum quidem numero non plures fuisse, quam sedecim, nimirum Α, Β, Γ, Δ, Ε, Η, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, *Cadmum* vero postea adjecisse tres hasce Ζ, Θ, & Ξ, ac insuper tres alias, sed quarum non est nisi numericus usus, *Vau* nempe, *Sanpi*, & *Coppa*, quibus deinde Grammatici quidam etiamnum addiderint Υ, Χ, Ψ, Ω. Equidem post id temporis Vir quondam illustris, *Ezech. Spanhemius*, in libro *de Usu & præstantia Numism. Tom I pag. 81* sententiam eorum, qui *Cadmum* literas Phœnicum in Græciam primum intulisse volunt, suam quoque fecit; sed satis apparet,

 ipsi

ipsi rationes *Buberii* nostri, quibus contrarium probavit, cognitas non fuisse. *Joannes* vero *Clericus*, Vir Clarissimus, Autori nostro concessit quidem, Graecos ante *Cadmi* aetatem usum jam habuisse literarum Phoeniciarum, in eo vero ab eo diversum sentit, quod sibi persuadet, Graecos a Phoenicibus illico accepisse literas omnes, exceptis *Tzade* & *Schin*. Credidit itaque, Alphabetum antiquissimum Pelasgorum & Arcadum literas complexum fuisse viginti & unam, aut ad minimum viginti, cum in eo *Buberius* non nisi sedecim agnoscat. Sed, illam *Clerici* sententiam repugnare unanimi totius antiquitatis testimonio, *Buberio* persuasum est. Et certe *Clericus* inter primas Pelasgorum literas numerat Z & Θ, quae illis utique erant ignotae, ex earum numero vero excludit Γ & Δ; quibus tamen nec Graeci, nec Romani, carere unquam potuerunt. Literis porro priscorum Arcadum *Clericus* addit *Sanpi*, *Coppa*, & *Schin*, quibus Athenienses veteres, origine Pelasgi, usi omnino non sunt. Sed haec, ut melius intelligantur, cum Dissertatione *de primis Graecorum & Latinorum literis* conferenda sunt. Quodsi itaque literae hae, aut notae numerales, inveniantur in Alphabeto Etrusco, oportet eas e Graecia in Etruriam allatas esse a Pelasgis, post *Cadmi* aetatem, etsi tamen ante horum adventum usus literarum, aut per *Evandrum*, aut forte etiam per coloniam aliquam vetustiorem, communicari potuerit, quod ex historia Pelasgorum, *Cap. IX* tradita, perquam verisimile fieri, monetur. Mox adversus *Ubertum Benvoglienti* quaedam, in Dissertatione eadem de literis Romanorum antiquis *P* & *R* asserta, erudite & acute tuetur illustris Autor. *Caput* hoc claudit Inscriptio Graeca admodum vetusta & elegans, Constantinopoli in Galliam allata, in qua mentio occurrit *Placiae*, urbis in Mysia olim non procul a Cyzico sitae, & *Matris Deum Placianae*. Alia memorare instituti ratio non permittit.

Cap. XI de aetate *Bacchi*, & expeditionis Argonautarum, *Herculis* itidem, & excidii Trojae, ac denique *Homeri*, ex mente *Herodoti*, differit. Hic potissimum examinatur aetas Trojae captae, a qua fere incipit historia Graecorum & Chronologia

gia certa, & ex cujus constitutione pendent quoque reliqua, de quibus in isthoc *Capite* disputatur. De hac vero Trojæ captæ ætate diversa admodum sentiunt Chronologi, quorum tamen meliores & recentiores eventum hunc referunt ad annum Per. Jul. 3530, vel 3531. Quid *Herodotus* ea de re censuerit, minime dubium est. Etenim in vita *Homeri*, sub finem, clare significat, a Troja capta, usque ad expeditionem *Xerxis* in Græciam, elapsos esse annos 772. Cum vero expeditio *Xerxis* incidat in an. 4234; sequitur omnino, *Herodotum* eversionem Trojæ illigasse anno 3462. Ubi tamen non possumus non monere, secundum calculos, in vita *Homeri* curate subductos, apparere, ipsum ab eversione Trojana ad expeditionem *Xerxis* annos numerasse non 772, ut Autor affirmat, verum 790. Unde clare sequitur, *Homerum* expeditionem Trojanam rejicere in annum 3444. Secundum quod monitum omnes reliqui calculi, jam nunc secuturi, corrigendi erunt. Et profecto Autor ipse in calculis, qui mox sequentur, id manifesto supponit. Neque obstat, ita Autor pergit, quod *Herodotus* in majori Historia *Lib. II Cap. 53* scripserit, *Homerum* & *Hesiodum* vixisse annos ante quadringentos, & non amplius; nam, locum illum ex Vita *Homeri* emendandum, & pro annis *quadringentis* reponendum esse *septingentos*, calculi alii, quibus scriptor ille utitur, evidenter probant. A calculis *Herodoti* parum omnino differt Chronologia Chronici marmorei *Arundelliani*, quod ab eruditis omnibus in pretio habetur. Annus enim, qui in illo Chronico assignatur eversioni Trojæ, respondet anno Per. Jul. 3477, quæ putandi ratio ab *Herodotea*, secundum Autorem nostrum, non nisi 15 annis differt, quod, si illa ultima tempora, tot tenebris involuta, cogites, leve omnio existimandum est, cum idem Chronicon a calculis recentiorum nostrorum Chronologorum totis annis 53 discrepet. Ex ætate excidii Trojani, ab *Herodoto* constituti, facile intelligitur, quid senserit de ætate expeditionis Argonautarum. Nam disertis verbis ait *Lib. I Cap. 3*, hanc duabus generationibus antevertisse bellum Trojanum, quod etiam res ipsa per se satis loquitur. Non immerito ergo dici

ci poteſt, expeditionem illam, ex mente *Herodoti*, referri oportere ad annum 3400, ſecus quam alii quidam Chronologi rationes inierunt. Et, quoniam *Herodotus* affirmat, quod etiam abunde conſtat, *Herculem* Argonautis in expeditione illa aliquandiu interfuiſſe, Autor noſter nativitatem illius herois rejicit in annum 3370, quod etiam aliis rationibus, ex *Herodoto* petitis, evincit, eaque occaſione locum quendam iſtius Scriptoris, aliumque *Stephani Byzantii*, perquam docte & ingenioſe emaculat. De *Baccho*, qui eandem cum *Hercule* ſtirpis originem habuit, & quem Græcia mendax Diis ſuis addidit, *Herodotus* affirmat, ab illius ætate ad ſuum usque tempus effluxiſſe annos circiter mille & ſexcentos, **κατὰ ἑξακόσια ἔτεα καὶ χίλια**, quod rei veritati, iisque, quæ dixerat *Herodotus*, aperte adverſatur. Viderunt jam alii, locum hunc egere emendatione. Sed præferenda aliis ſine dubio iſta, quam *Lydiatus* ad Marmora Oxonienſia, probante Autore noſtro, offert, legens **κατὰ ἑξήκοντα ἔτεα καὶ χίλια**, id eſt, *annos circiter mille & ſexaginta*. Tandem *Buberius* ea, quæ adverſus ætatem expeditionis Argonautarum, a ſe conſtitutam, objici poſſent, ſedulo excutit, eoque ſententiam ſuam ſtabilit, & ultimo chronologicam hanc rerum omnium, quæ perſecutus erat, Tabulam adjicit:

Bacchus vixit anno circiter - - - -	3170.
Hercules natus anno circiter - - - -	3370.
Theſeus natus anno circiter - - - -	3375.
Caſtor & *Pollux* nati anno circiter - -	3382.
Expeditio Argonautarum ſuſcepta anno -	3400.
Helena nata anno - - - - - - - -	3415.
Eadem a *Theſeo* rapta anno - - - - -	3425.
Eadem *Menelao* nubit anno circiter - -	3430.
Eandem *Paris* rapit - - - - - - -	3442.
Græci conſpirant contra Trojam - - -	3444.
Pan, filius *Penelopes*, naſcitur anno circiter	3455.
Troja capta anno - - - - - - - -	3462.
Homerus naſcitur anno - - - - - -	3612.
Xerxes Græciam invadit anno - - -	4234.

Caput

Caput XII Chronologiæ veterum Regum Cyrenæorum dicatum eſt. Hiſtoriam regni Cyrenæi jam molitus erat illuſtris Academiæ Inſcriptionum Pariſienſis ſodalis, *Hardion;* verum ille ultra fundationem hujus regni, & hiſtoriam *Batti I,* non proceſſit. Defectus ille hic ſuppletur, ex *Herodoto* præcipue, qui *Lib. IV* ſeriem Regum Cyrenæorum tradit, deque eorum geſtis quædam memoriæ prodidit; ſed & ex Scriptoribus aliis, qui Regum horum, & actorum ab iis, mentionem injiciunt. Scriptores hi ſedulo, & exquiſito cum judicio, excutiuntur, ſæpiuſcule etiam acute & feliciter emendantur, quæ omnia hic exponere jucundum ſane, ſed nimis longum, foret. Neque vero tantum Regum iſtorum acta accurata diligentia hic referuntur; verum etiam, quod Autori inprimis curæ fuiſſe videtur, temporum, quibus vixerunt, ratio conſtituitur, quod ex brevi hac tabella Autoris omnium optime intelligi poterit:

Battus I regnavit anno - - - -	4083.
Arceſilaus I - - anno - - - -	4123.
Battus II - - - -	4139.
Arceſilaus II - - -	4160.
Battus III - - - -	4170.
Arceſilaus III - - -	4185.
Battus IV - - - -	4196.
Arceſilaus IV - - -	4250.
occiditur anno - -	4282.

Cap. XIII de ætate agitur, qua *Leobotas* Lacedæmone regnavit, & *Lycurgus* leges tulit, ſecundum *Herodotum.* Refert *Herodotus Lib. I Cap. 65*, Lacedæmonios affirmaſſe, *Lycurgum* eo tempore leges civitati ſuæ tuliſſe, quo erat tutor *Leobotæ*, ſui ex fratre nepotis. *Meurſius* jam dudum obſervavit, hiſce *Herodoti* verbis errorem ſubeſſe manifeſtum, cum, ut alia prætereamus, certum ſit, *Lycurgum* leges ſuas non niſi anno trigeſimo *Archelai*, qui erat a morte *Leobotæ* centeſimus tertius, in publicum edidiſſe. Ex eo liquido apparet, textum *Herodoti* in mendo cubare, quamvis *Pauſanias* verba illa ſuo tempore eodem modo legerit, quo hodieque in Codicibus no-

 ſtris

ſtris leguntur. Illuſtris *Buberius* apud *Herodotum Leobotæ* ſubſtitui vellet *Charillum*, qui erat *Lycurgi* fratruelis, & ſic difficultas omnis faceſſeret. Potuit tamen evenire, ut *Herodotus* ipſe hunc errorem commiſerit. Quod ad *Leobotæ*, vel *Labotæ*, ætatem attinet, regnare ille cœpit anno Per. Jul. 3690, mortuus autem eſt an. 3727. Quodſi igitur, ſecundum *Meurſii* calculos, *Lycurgus* leges ſuas publicavit anno a morte *Labotæ* 103, ſequitur, factum id fuiſſe an. 3830. Et hunc in modum *Petavius* rationes ſuas diſpoſuit. Ne autem *Suidas* rationes has conturbet, affirmans, *Lycurgum* anno octavo poſt Trojæ excidium natum eſſe, docet Autor, apud eum pro *μετὰ ἔτη η'. poſt annos octo*, neceſſario legendum eſſe *μετὰ ἔτη σ' poſt annos ducentos*.

Caput XIV in veram ætatem mutationum, quas tempore *Piſiſtrati* Athenæ expertæ ſunt, inquirit. Diſſertatio illuſtris Autoris, quam *Caput* hocce exhibet, edita jam fuit in *Ephemeridibus Eruditorum Trevoltinis Anni 1709*. Verum, quia ad illuſtrandam Chronologiam *Herodoteam* ſpectat, hic merito etiam locum invenit. *Piſiſtratum* Athenis regnum ter ad ſe rapuiſſe, apud omnes in confeſſo eſt; ſed non inter ipſos convenit, quoto ſemper anno *Piſiſtratus* tyrannidem uſurpaverit, & quamdiu unaquæque trium ipſius uſurpationum duraverit. Poſtquam Autor omnes aliorum ſententias fideliter examinavit, & difficultates, quibus premuntur ſingulæ, ſollicite expendit, ex teſtimoniis certioribus veterum talem rei hujus ordinem chronologicum conſtituit, qui ab aliorum calculis non leviter declinat:

Piſiſtratus regnum invadit anno - -	4153.
Piſiſtratus pellitur anno - - -	4161.
Piſiſtratus iterum regnum invadit -	4166.
Piſiſtratus iterum pellitur anno - -	4170.
Piſiſtratus tertium regnat anno - -	4180.
moritur anno - - - - -	4186.
Filii ejus pelluntur anno - - -	4204.

Sed

Sed hæc apud ipſum Autorem, variis ingenioſisque obſervationibus, ac emendationibus etiam Scriptorum veterum, ornata, legere præſtat.

Caput XV pertinet ad Chronologiam Cypſelidarum, ultimæ Regum Corinthiorum Dynaſtiæ. Satis illuſtris eſt Dynaſtia Cypſelidarum, quæ fuit ultima Regum Corinthi. Fundavit eam *Cypſelus*, filius *Eetionis*, qui ſucceſſorem habuit *Periandrum* filium, & hunc excepit *Pſammetichus*, *Gordii* filius, Regum hujus Dynaſtiæ ultimus. Sed Chronologia horum Regum, etſi a viris doctiſſimis jam tentata, multis etiamnum difficultatibus obnoxia eſt. Eas omnes, ab Autore docte & raro cum judicio diſcuſſas, omnique ex parte verſatas, repetere hic non poſſumus. Omnibus vero ſollicite expenſis, totam *Cypſelidarum* Chronologiam ſic diſponi debere, auguratur:

Cypſelus regno Corinthi potitur anno	- -	4059.
Periander anno circiter	- - -	4089.
Pſammetichus ſuccedit anno circiter	- -	4159.
Finis Dynaſtiæ incidit in annum	- - -	4163.

Caput XVI de ætate, qua floruit *Solon*, diſſerit. Autori illuſtri hic propoſitum illud tantum eſt, ut lucem aliquam afferat illi hiſtoriæ, quam de colloquio *Solonis* cum *Crœſo Herodotus* memoriæ prodidit, quoniam illa eruditos non parum torſit. Autor itaque eſt Hiſtoricorum princeps *Lib. I Cap. 29, 30*, *Solonem*, poſtquam Athenienſibus leges tuliſſet, ad *Crœſum* ſe in Lydiam contuliſſe. Conſtat autem, ex omnium conſenſu, *Solonem* leges Athenienſibus tuliſſe Olymp. XLVI: ex quo non poteſt non ſequi, factum hoc fuiſſe ante annum Per. Jul. 4122, ut qui concurrat cum Olymp. XLVII anno 1. Et vero ſcimus, *Crœſum* patri ſuo *Alyatti* in regno non ſucceſſiſſe, niſi anno 4155, vel 4156, quod adſtructum videri poteſt *Cap. V*. Quæ quidem difficulter conciliari poſſe videntur. Nam, etiamſi regeras, iter hoc *Solonis* ad *Crœſum* fuiſſe ultimum eorum, quæ poſt latas civibus ſuis leges ſuſcepit, & quæ, teſte *Herodoto*, per annos decem continuata fuerunt, ſubſiſtendum tamen eſſet in anno 4130. Sed, *Crœſum* anno deſnum

vigeſimo tertio, aut quarto, poſt hunc annum, patri ſucceſſiſſe, modo intelleximus. Autor noſter præſtantiſſimus, apud quem autoritas *Herodoti* magnum pondus habet, aliorum ſolutionibus & reſponſionibus non contentus, ad aſſerendam *Herodoti*, etiam in hoc negotio, accurationem & bonam fidem, obſervari vult, 1) veriſimillimum eſſe, *Solonem* non illico, poſt leges civibus ſuis latas, ſed compluribus demum annis poſt, anno nempe circiter 1430, curriculum itinerum ſuorum fuiſſe auſpicatum. Sic igitur circa an. 1440 *Crœſum* convenire potuit. 2) Multas eſſe rationes, quæ lectori attento & cordato perſuadere debeant, quod etiam *Petavius* jam vidit, *Crœſum*, antequam patri ſuo demortuo ſuccederet, ſatis diu ante junctim cum eodem regnum adminiſtraſſe. Nihil nos credere vetat, adminiſtrationem hanc cœpiſſe jam anno 1440, quo *Crœſus* annos natus erat viginti, & quo recte dici poteſt, *Solonem* in Lydiam veniſſe ad *Crœſum*. Sententia hæc novum ex eo robur accipit, quod *Herodotus* de eodem *Crœſo* refert *Lib. I Cap.* 27, quod, cum, ſubactis Græcis in Aſia minori, inſulas quoque maris Ægei adoriri vellet, monitus a *Pittaco*, ſententiam mutaverit. Novimus autem ex *Diogene Laertio*, *Pittacum* diem ſuum obiiſſe anno 3 Olymp. LVII, id eſt, anno 4144. Itaque hoc jam anno, & probabiliter ante eundem, *Crœſus* regnaverat; unde apparet, rationem temporum hiſtoriæ illi de *Solone Herodoteæ* non repugnare.

Caput XVII eſt de annis Ægyptiorum variis, deque varia ipſorum forma. Hic ea tantum, quæ de annorum Ægyptiorum forma alio loco diſſeruerat illuſtris Autor, adverſus *Jacobum Martinium*, Familiæ Benedictinæ Sodalem, aſſeruntur, & ſolide vindicantur. Dixerat olim *Buberius*, in explicatione antiquorum nonnullorum marmorum, formam anni fixam *Julianam*, quam, poſt victos *Antonium* & *Cleopatram*, Alexandrini receperant, a reliquis Ægyptiis illico admiſſam non fuiſſe. Obſervaverant hoc & alii eruditi, *Dodwellus*, *Vignolius*, *Nicolaus Averanius*, & *Joannes Hagenius*, ab Autore nominati, ac ante hos jam dudum *Jacobus Golius* ad *Alferganum*, ne de aliis dicamus, qui noſtra ætate id vel agnoverunt,

vel

vel etiam adductis rationibus docuerunt. Dum vero Autor noster adversarium suum sequitur, alia passim observat & interspergit nova, singulari eruditione referta. Ex *Strabone* & *Diodoro Siculo* colligit, Thebaidos incolas in Ægypto, dudum ante *Augusti* ætatem, forma illa anni, quæ dicitur *Juliana*, usos fuisse, quod viri docti huc usque in dubium vocarunt, & quod etiam nos suo loco relinquimus. Ratio certe, quam ex *Plutarcho* adducit, quod Thebæi, rejecto cultu animalium & creaturarum mortalium, solum Deum æternum & immortalem sub nomine *Cneph* adoraverint, talo non ita firmo stat, quin examen accuratius mereatur. Anni ceteroquin illius Juliani fixi initia in Ægypto, cum *Joanne Hagenio* contendit, cadere in annum Urbis conditæ 724, non vero 729, quod rationibus perquam speciosis ac ingeniosis nuper *Vignolius* adstruxit, & ante hunc *Petavius*. Mox de varia annorum forma, quam successive Ægyptii receperunt, disserit, docetque, apud gentem hanc dies quoque nomine annorum aliquando venisse. Habuerunt quoque Ægyptii annos menstruos, quod veterum multi testantur; sed menses illos Ægyptiorum antiquissimos *Buberius* non existimat diebus constitisse triginta, quæ est recepta adhuc sententia, verum vult a neomenia ad neomeniam putatos fuisse. Anno menstruo apud Ægyptios successerunt anni *bimestres*, uti *Censorinus* loquitur *Cap. 19.* Verum, ibi pro *bimestrem* legendum esse *trimestrem*, erudite docetur. Dum vero hac occasione locum *Hori Apollinis Lib. II Cap. 89* paulo obscuriorem explicare conatur Vir illustris, nescimus, an satis recte adversus *Jacobum Martinium* & *Dionysium Petavium* negaverit, Ægyptios annum habuisse, ex quatuor annis compositum, quem viri illi eruditi annum mediocrem appellant. Certe, quando sibi persuadet, errorem hunc, ut ipsi videtur, ex uno illo *Hori Apollinis* loco, male intellecto, haustum esse, frustra utique est. Nam, ut alia nunc taceamus, *Censorinum* producere possumus, de anno illo Ægyptiorum, quem viri eruditi asserunt, sic loquentem *Cap. 19: Itaque quatuor annorum circuitum, in modum πενταετηρίδος* (de qua *Cap. 18*) *annum ma-*

magnum dicebant. Tandem Autor accedit ad annum solarem Ægyptiorum, ex quo illi occasio subnascitur, alium *Hori Apollinis* locum, *Lib. I Cap. 5*, adhuc ab eruditis minus recte intellectum, egregie explicandi.

Caput XVIII de situ Araxis, fluvii, deque Massagetarum, ac gentium finitimarum aliarum, situ, differit. *Herodotus, Lib. I Cap. 201, 202*, loquens de bello, quod *Cyrus* cum Massagetis gessit, ait, gentem hanc trans Araxem ad Orientem habitare, e regione Issedonum. Araxem porro, idem addit, a quibusdam Istro majorem, ab aliis minorem, perhiberi, oriri vero non secus atque Gyadem ex montibus Mantienis, vel Mattienis, esse etiam in eo insulas frequentes, ejusdem cum Lesbo magnitudinis, atque dividi in duos alveos, quorum alter in mare Caspium feratur, alter vero per ostia triginta & novem in paludes se effundat. Fluvius, sic ab *Herodoto* descriptus, tam dissimilis est illi fluvio Armeniæ, quem Geographi Araxem vocant, ut id crucem fixerit Criticis. Post allatas aliorum, tam veterum, quam recentiorum, de Araxe illo *Herodoti* sententias, Autor ostendere annititur, intelligi ab *Herodoto* fluvium, quem hodie Volgam nuncupant, idque rationibus idoneis pererudite firmat, quas apud ipsum legere oportet. Inter alia, quæ inviti prætermittere cogimur, observat illustris Autor, nomen Araxis fuisse olim generalius, & pluribus fluviis tribui, v. g. 1) fluvio Armeniæ, qui id nomen, tanquam sibi proprium, etiamnum servat; 2) hodierno Volgæ; 3) fluvio, qui Persepolin in Persia alluebat, hodie dicto *Bendemir* (ita nomen hoc est scribendum); 4) Oxo, qui ab Oriente in mare Caspium volvitur; 5) Saocoræ, Mesopotamiæ fluvio; 6) Thermodonti, fluvio Ponti. Non major apud veteres certitudo deprehenditur in assignandis Massagetarum finibus, quos *Herodotus* ait trans Araxem habitare; nam gentes, supra mare Caspium ad septentrionem positæ, ipsis parum cognitæ erant. *Herodotus* eos ad occidentem maris Caspii locat, in quo cum ipso faciunt *Solinus*, *Theophanes Byzantius*, *Ammianus Marcellinus*, *Xiphilinus*, *Procopius*, duoque *Tzetzæ*, quorum aliqui Massagetas eosdem habent cum Alanis.

Eodem

Eodem etiam propendet *Theophilus* Antiochenus (qui lapsu quodam μνημονικῷ hic appellatur Patriarcha Alexandrinus,); nam *Libro III ad Autolycum* (§. 26) de *Cyro* ait, quod sublatus fuerit ὑπὸ Μυριάδος ἐν Μεσαγγίᾳ, uti hæc leguntur in editione Parisiensi majori, qua usus esse *Buberius* videtur, pro quibus ipse ita scribit: ὑπὸ Τομύριδος ἐν Ἀβασγίᾳ. Abasgos vero Alanorum vicinos fuisse, neminem fugit. Monemus tantum, *Joannem Fellum*, in editione Oxoniensi minori, hæc ipsa sic corrigere: ὑπὸ Τομύριδος ἐν Μασσαγετίᾳ, quod & B. *Wolffius* in textum recepit, & vera omnino lectio esse videtur. Ad situm Massagetarum verum quod attinet, quia *Herodotus* affirmat, eos trans Araxem fluvium, hodiernum Volgam, habitare, probabile videtur *Buberio*, fluvium illum separasse terras Massagetarum & Issedonum, ita ut illi quidem oram fluvii hujus orientalem, quæ a mari Caspio in septentrionem extenditur, incoluerint, Issedones vero regionem oppositam ad occidentem habitaverint. Dum vero in his est Autor, loca etiam *Herodoti* quædam, Editoribus omnibus intacta, feliciter emendat.

Caput XIX fontes *Danubii*, & situm *Celtarum*, secundum *Herodotum*, describit. Scribit hic Historicorum princeps *Lib. II Cap.* 33, & *IV*, 49, Istrum oriri apud Celtas, urbemque Pyrenen, Celtas vero habitare extra columnas *Herculis*, & fines contingere Cynesiorum, quæ plane mirifica videntur. *Buberius* hæc *Herodoti* verba nova ratione cum veris Istri fontibus conciliare tentat. Et primo quidem rectissime *Joanni Clerico* adstipulatur, in loco *Herodoti* pro his verbis ἔξω Ἡρακλήων Στηλέων legere jubenti, ἔσω Ἡρακλ. Στηλ. ut sensus sit, *Celtas & Cynesios habitare intra columnas Herculis*. Deinde docet, Celtarum nomen latius patere, & non tantum Galliam complecti, verum & Germaniam & Illyricum, quin & Hispaniam, insulasque adeo Britannicas. Quando vero putat, hisce positis, dici posse, *Herodotum* veros Istri fontes cognitos habuisse, & designare voluisse, quod sane ingeniose & docte adstruit, nos potius veremur, ne Autor dignissimus hic quidem affectui suo in

He-

Herodotum nimium indulserit. Nam scriptor ille conceptis verbis asserit, *Celtas* hos, in quorum regione oritur Ister, *omnium, qui in Europa ad occasum habitant, ultimos esse, & esse finitimos Cynetis*, vel Cynesiis, *qui ultimam Europæ oram ad Occidentem incolant*. Et id sane de Cynetis, vel Cynesiis, dici vere potest, quippe qui in ultima Lusitania sedes ad mare habebant; sed illi profecto a veris Istri fontibus immane quantum distant. Dicendum igitur potius, quod & opportune *Buberius* monuit, multis post *Herodotum* Seculis fontes Istri utplurimum incognitos adhuc fuisse, ut proinde hac in re *Herodotus*, Scriptoresque vetusti alii, errare facile potuerint. Postremo loco illa flumina, quæ, teste *Herodoto Lib. IV Cap. 48, 49*, illabuntur in Istrum, examinantur. Omnibus his genuinus situs assignatur, & nomina, quæ hodieque gerunt, deteguntur.

Caput XX de morbo muliebri, quid apud *Herodotum* significet, disquirit. Narrat Scriptor iste *Lib. I Cap. 105*, Scythas, cum in Palæstinam excurrissent, & potiti essent Ascalone, templum illic *Veneris* cœlestis diripuisse, Deam vero, sacrilegium hoc ulturam, & ipsis, & posteris eorum, pœnæ loco immisisse morbum fœmineum, θηλέιαν νῦσον. Quid per morbum hunc fœmineum intelligatur, non eodem modo ab eruditis exponitur. Autor noster, postquam sententias aliquas eruditorum explorasset & repudiasset, in *Casauboni* explicatione tandem acquiescit, qui morbum hunc interpretatur patientiam muliebrem cinædorum. *Casaubonum* secuti etiam sunt viri docti alii, qui & ostenderunt, hanc loquendi rationem veteribus satis familiarem fuisse, idque exemplis idoneis probarunt, quibus hic nova alia adjiciuntur. *Longinus* in libro *de Sublimitate Cap. 28* dictionem hanc *Herodoti* laudat, eamque inimitabilem esse pronuntiat, quod judicium hic adversus *Petri Baylii* cavillationes optime defenditur.

Caput XXI de *Sardanapalo*, Rege Assyriorum ultimo, & imperii illorum fine, exponit. In Dissertatione hac, quæ olim lucem jam viderat, sed hic accessionibus quibusdam aucta recusa est, discutit *Buberius*: 1) quotnam fuerint Reges, nomine *Sardanapali*

napali insignes. Veteres conceptis verbis testantur, fuisse duos *Sardanapalos*, Assyriæ Reges, fortem & bellicosum alterum, alterum mollem & effœminatum: de qua re igitur dubitari non potest. Sed addendus his quoque tertius, *Nabopolasar*, pater *Nabuchodonosoris*, quem Babylonios etiam dixisse *Sardanapalum*, scimus ex testimonio *Alexandri Polyhistoris*. 2) Quæ sit originatio & significatio nominis *Sardanapalus*. Autor illorum sententiæ calculum suum adjicit, qui *Sardapali* nomen idem esse volunt cum nomine *Assarhaddonis*, auctum voce *Baal*, vel *Pal*. Significare autem *Sardanpal* docet *Belum Principem & dominum*. Ejusdem compositionis vestigia luculenta in multis aliis Regum Assyriorum & Babyloniorum nominibus deprehenduntur. 3) Quam varia & multiplicia nomina gesserit sæpe apud Assyrios Rex unus idemque, & quantum obscuritatis hoc ipsum intulerit historiæ rerum ab ipsis gestarum. 4) Qua ætate vixerit *Sardanapalus*. Ne de aliorum opinionibus hic dicamus, *Buberii* hæc est sententia, primum *Sardanapalum*, quem historia nobis repræsentat tanquam fortem & bellicosum Principem, fuisse illum ipsum, quem Scriptura *Asarhaddonem* appellat, Regem, si quisquam alius, virtute laudeque bellica clarum, & cujus nomen, quod observatum jam est, a nomine *Sardanapali* parum, aut nihil, differt. Nec etiam ratio temporum adversatur. In hoc tamen Autor, qua est modestia, profitetur, se meliora & certiora docentem libenter auditurum atque secuturum esse. 5) Quis fuerit *Sardanapalus* ejus nominis secundus. Etsi historia *Sardanapali* multiplici obscuritate laboret, dubitari tamen non potest, quin ille vere exstiterit. *Bubertus* noster in eorum sententiam it pedibus, qui, eum, censent, fuisse filium *Asarhaddonis* natu minorem, quem Canon *Ptolemæi Chiniladanum* appellat. Alia quoque nomina eidem passim tribuuntur. Satis nota ceteroquin sunt, quæ ex *Ctesia Diodorus* refert de Regis hujus moribus effœminatis, de rebellione adversus eum *Arbacis* Medi, & *Belesis* Babylonii, & secuta hanc morte *Sardanapali* luctuosa, de Nini occupatione, & imperii Assyriorum destructione. Quæ autem de exitu *Sardanapali* a

Diodoro traduntur, talia ſunt, ut ſine examine admitti nequeant, præſertim cum quædam a veteribus longe aliter relata legamus. 6) 7) 8) 9) Quid cenſendum ſit de Epitaphio, quod *Sardanapalo* tum prope Ninum civitatem, tum prope Anchialum, Ciliciæ urbem, poſitum eſſe legitur; quæ omnia, elegantiſſimis obſervationibus ornata, nos non ſine voluptate legimus, &, ut Lector noſter idem faciat, ipſi ſuademus. 10) Quamnam ſortem Ninus urbs poſt mortem *Sardanapali* experta fuerit. *Diodorus* ex *Cteſia* narrat, *Arbacem* Medum, & *Beleſin* Babylonium, poſt mortem *Sardanapali*, Ninum urbem occupaſſe, eoque finem attuliſſe regno Aſſyriorum. De hac Nini occupatione *Buberius* loqui putat Autorem libri *Tobiæ Cap. ult. verſu ult.* ſed qui tantum in verſione Græca, non in vulgata Latina, libri illius invenitur. In editione igitur Græca relatum legimus, aliquanto ante *Tobiæ* junioris mortem, *Nabuchodonoſorem* & *Aſſuerum* urbem illam, Ninum, cepiſſe; unde Autor noſter concludit, *Beleſin Cteſiæ* eſſe *Nabuchodonoſorem*, & *Arbacen Cteſiæ* eundem cum *Aſſuero* libri *Tobiæ*. Hunc vero *Aſſuerum* a *Cyaxare* Græcorum non differre arbitratur, quod etiam Chronologis præſtantiſſimis jam dudum placuit. Ex eo etiam libri *Tobiæ* loco, *Buberius* contendit, confirmari poſſe, quod ſupra *Cap. IV* adſtruxerat, Niniven ab *Arbace* & *Beleſi* ſub jugum miſſam fuiſſe anno Per. Jul. 4111, quod nos ſuo loco relinquimus. Teſtatur ceteroquin *Herodotus*, poſt Ninum occupatam, *Cyaxarem* Medum totum Aſſyriorum imperium ſibi ſubjeciſſe, iis tantum exceptis, quæ Regi Babylonio conceſſit. Ex ejusdem ſcriptoris *Lib. I Cap. 185* non inepte colligi poſſe videtur, Ninum urbem, ditioni Regis Babyloniorum adjectam, his demum poſtliminio a Medis ablatam fuiſſe. 11) Qua ætate Ninus iterum capta & deſtructa fuerit per *Aſtyagem*, & quinam fuerint ſucceſſores *Nabuchodonoſoris*. Primam quæſtionem, de capta iterum per *Aſtyagem* & deſtructa penitus Nino, Autor vix leviter, & *ὡς ἐν παρόδῳ*, attingit, totus vero in eo verſatur, ut oſtendat, quosnam ſucceſſores habuerit *Nabuchodonoſor*. Ex *Herodoto* obſervat, *Nitocrin*, reginam Babylonis,

cum

cum cerneret ingentia regni Medorum incrementa, & Ninum ab iis destructam, eo curas suas convertisse, ut Babylonem redderet munitissimam, & ab omni inimicorum impetu tutam. Addit *Herodotus*, reginam hanc matrem fuisse *Labyneti*, filii Regis Babyloniorum cognominis, filiumque hunc postea a *Cyro* regno Babylonis exutum fuisse. Ex eo, putat Autor, certo colligi posse, Ninum captam iterum fuisse per *Astyagem*, *Cyaxaris* filium, ac in regno Medorum successorem, quod & *Hieronymus* monuit *Præfat. in Jonam;* in qua sententia, quod obiter monemus, magnus quoque *Usserius* non minus, quam elegantissimus *Humphridus Prideaux*, fuisse deprehenditur. Sed videndum etiam, quænam sit illa *Herodoti Nitocris*, quis *Labynetus*, ejus maritus, quis denique *Labynetus* alter, filius ejus. De postremo hoc dubitari non potest, quin sit is ipse, quem Berosus *Nabonnedum*, *Nabonnidochum* Megasthenes, *Nabonaudelum* Josephus, & *Nabonadium* Ptolemæus in Canone, nuncupant. Et id quoque ab omnibus fere ultro conceditur, *Labynetum*, patrem, non alium esse, quam *Nabuchodonosorem*. Quæ nominum patris & filii similitudo effecit, ut *Harduinus* non absurde suspicaretur, *Labynetum* nomen fuisse Regibus Babylonis omnibus commune. *Nabuchodonosor* itaque maritus fuit *Nitocris*, quæ, durante morbo illo plane singulari mariti sui, cujus Scriptura meminit, videtur regni administrationem in se suscepisse, & opera illa admiranda perfecisse, quæ *Herodotus* memorat. Quod vero attinet ad filium reginæ hujus, *Labynetum II*, si *Herodotum* audimus, fuit is utique Regum omnium Babylonis ultimus. Sed hic quidem *Herodotus* non videtur conciliari posse cum *Daniele*, scriptore sacro, & rerum, quas scripto consignavit, teste oculato. Scribit enim is, *Balthasare*, filio *Nabuchodonosoris*, interfecto, *Cap. V vers. 1, 2, 30*, successisse *Darium*, *Assueri* filium, e Medorum genere, *Cap. V, 31, IX, 1.* *Berosus* porro & *Megasthenes*, historici celebres, memoriæ prodiderunt, *Evilmerodachum* successisse *Nabuchodonosori*, quem, postquam annos duos regnasset, affinis *Neriglissar* e medio sustulerit. Addunt iidem, *Neriglissarem*, cujus regnum

quatuor annos duraverit, fucceflorem habuiffe *Laborofoarchodum*, qui, cum non nifi menfes novem fceptro potitus effet, infidiis periit *Nabonnedi* Medi, qui ipfe regnum ad fe traxerit, eodem tamen viciffim exutus a *Cyro*. Narratio hæc non leviter difcedit ab hiftoria *Herodoti*, neque etiam conciliari bene poteft cum vaticinio hoc *Jeremiæ Cap. XXVII v. 7: Et fervient* Nabuchodonofori *omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus.* Ex quo conftare poteft, *Balthafarem Danielis* filium fuiffe *Evilmerodachi*, non vero *Neriglifaris*, ut volebant hiftorici illi, qui & eo a *Daniele* difcrepant, quod, cum hic regnum *Balthafaris* in tertium annum producat, ipfi, eum menfes tantum novem *regnaffe*, dictitent. Nihil intentatum reliquerunt Chronologi doctiffimi & præftantiffimi, ut difficultates has folverent, & fcriptores, quorum fecimus nunc mentionem, inter fe conciliarent. Inter diverfas admodum, quas eruditi conciliatores afferunt, fententias, Autor nofter illam *Conringii* reliquis præfert. Is autem cenfet, *Balthafarem Danielis* effe *Evilmerodachum*, *Nabuchodonoforis* filium. Nam & hoc de *Balthafare* affirmat *Daniel*. *Evilmerodachum* male adminiftraffe regnum, & a fubjectis neci datum fuiffe, perhibet *Berofus*. Idem de *Balthafare Daniel* narrat. Hujus regnum in tertium annum producitur a *Daniele*. *Evilmerodachum* duos annos regnaffe, fcribit *Berofus*, quæ fere nulla eft difcrepantia. Sufpicatur porro *Conringius* idem, *Neriglifarem Berofi* & *Megafthenis Danieli* dici *Darium Medum*, filium *Affueri*, vel *Cyaxaris*, ad quam fententiam ftabiliendam non pauca concurrunt. Addit *Berofus*, hujus filium *Laborofoarchodum* non nifi novem menfes regnaffe, trucidatum quippe a factione conjuratorum. Ejus Scriptura mentionem non injicit; fed tantum fucceffori ejus, quem Autor nofter exiftimat effe *Merodachum Jeremiæ Cap. L v. 2*, illum ipfum, quem *Berofus Nabonnedum*, *Herodotus* vero *Labynetum*, dicunt. Cum autem *Jeremias* prædixerit *Cap. XXVII, 7*, filium & nepotem *Nabuchodonoforis* regnaturum effe, dubitari nequit, quin *Labynetus* ille filius *Evilmerodachi*, *Nabuchodonoforis* vero nepos, fuerit. Et, quando

do certum est, Hebræos, aliosque Orientales, nomine filiorum comprehendere quoque nepotes, ratio reddi potest, quamobrem *Herodotus Labynetum* dixerit filium *Nitocris*, cum re ipsa fuerit ejus & *Nabuchodonosoris* nepos. Ultimo denique loco 12) illustris *Buberius* discutit vaticinia de eversione Ninives, quæ omnia Autore suo prorsus digna sunt.

Caput XXII continet Epistolas illustris nostri *Buberii*, & *Joannis Clerici*, mutuas de literis Phœniciis, editas jam antea in Ephemeridibus literariis Italicis, quarum *Cap. X* mentio facta erat.

Subjunctus est hisce Dissertationibus *Francisci Odini*, e Societate Jesu, Commentarius de vita & scriptis *Joannis Buberii*, ex quo discimus, *Buberiam* gentem togatos honores, jam inde ab anno 1512, in suprema Burgundiæ Curia non interrupto ordine administrasse, & ex illustri illa gente nostrum *Buberium* A. 1673 Divione in lucem editum fuisse. Pater ipsi fuit *Benignus Buberius*, in Senatu Divionensi Præses infulatus, qui ipsum domi sollicite educavit, & in Gymnasio urbis patriæ literis operam dare voluit. Illic cursum studiorum A. 1688 absolvit, eique coronidem imposuit, Disputatione solenni de omnibus Philosophiæ partibus, ac Mathematicarum disciplinarum præcipuis, magna cum laude publice defensa. Postea in domo paterna, jussuque patris, studio privato, literas jam cultas Romanas & Græcas diligentius expolivit, ac insuper scientiæ linguæ Hebraicæ, atque linguarum vulgarium, Italicæ præsertim ac Hispanicæ, sibi comparandæ operam strenuam navavit. Post biennium hunc in modum laudabiliter transactum, Academias quoque illustres Galliæ adiit, utque disciplinas, quæ Jus omne explicant, sibi familiares redderet, Antecessoribus Parisiensibus, deinde Aurelianensibus, quorum tunc erat præcipua autoritas, operam dedit, &, sic omni ex parte rite præparatus, in urbem patriam redux, munus Senatoris in Senatu Burgundico ineunte anno 1693 suscepit. Ab eo tempore in adyta intima totius Jurisprudentiæ se immersit studio immenso, quod codices permulti, manu ejus exarati, quos post se reliquit, satis super-

que teſtantur. Neque tamen ſegnius literas elegantiores, & antiquitatis omnis ſtudia, tractavit, quod ex tot illius in hoc eruditionis genere ſcriptis, quorum index Commentario huic annectitur, intelligere quivis poteſt. A. 1702 uxorem domum duxit. Biennio vero poſt, A. 1704, nova Præſidis in Senatu Divionenſi dignitate ſe auctum vidit. A. 1717, amiſſa illa, quam ante annos quindecim duxerat, uxore, & prole infimul maſcula, quam illa geſtaverat, mox alteram vitæ conſortem torique ſociam, ex gente *Buberia* prognatam, ſibi adjunxit. A. 1722 hoc meritis *Buberii* dedit favor regius, ut Bibliotheca ejus copioſiſſima augeretur libris, quoscunque officina regia Luparæa excuderet, cujus beneficii fructum ne mors quidem abſtulit. A. 1727, cum Pariſiis nomine Senatus Divionenſis negotia publica gereret, & Academia XL Virorum Gallica unum ex membris ſuis amiſiſſet, in ejus locum placuit *Buberium* ſufficere, qui & provinciam hanc ſibi imponi paſſus eſt. A. 1728, cum podagræ, qua jam antea laboraverat, crebros nimis & præter ſolitum acerbos acceſſus perſenſiſſet, magiſtratu tandem ſe abdicavit, jure tantum uſus, veteranis dato, honorariæ in Tribunali majori, & judiciariæ aſſenſionis. Eodem tempore ſub auſpiciis Illuſtriſſimi Franciæ Cancellarii actum eſt de explicandis, ac diſtinctius declarandis, legum ac Juris quibusdam capitibus, quorum fluctuaret in ſcholis intellectus, & uſus in Curiis. Eum in finem conſulebantur prius ſummæ Provinciarum Curiæ, & explorabantur peritorum expertorumque judicia. Inter diſceptatores hujus rei in Curia Divionenſi nominatus ante alios fuit *Buberius*, ut eorum unus, qui præſtantia doctrinæ atque ingenii Galliam illuminarent omnem, non tantum Burgundiam. Poſt id temporis Academiam quandam domeſticam inſtituit, admiſſo ſemel quavis hebdomade aliquot amicorum eruditorum cœtu, qui de rebus ad literarum ſtudia ſpectantibus per aliquot horas diſſererent, ipſe vero ad edenda, aut recognoſcenda, opera ſua commodis horis manum admovit; quas inter occupationes vitæ reliquum tempus exegit, donec tandem laboribus his arthritidem invitaret ac excitaret, quæ ipſum

ipsum A. 1746 d. 17 Martii e vivis eripuit. Ad calcem Commentarii hujus additus est index accuratus Librorum, Commentationum, & Dissertationum, quas illustris *Buberius* publici juris fecit, quarum omnium sunt quinquaginta numero. In scriniis ejus adhuc latent, quas prelo paraverat, *Notæ in Horatium*, & *Vita Claudii Salmasii*. Omnia claudit *Buberii* ipsius commentatiuncula de sua Bibliotheca.

DISSERTAZIONE DEL DOTT. GASPARO ADEODATO ZAMPONI, &c.

id est,

DISSERTATIO CASPARI ADEODATI ZAMPONI, Med. Doct. de Ortu vermium vulgarium corporis humani, ad Illustrem Virum, JANUM PLANCUM, Arimini Medicum primarium.

Veneti, 2, 12.
Plag. $2\frac{1}{4}$.

Dissertatio hæc, a *Casparo Zampono*, Med. Doct. ad *Janum Plancum*, Arimini Medicum primarium, scripta, ipsique dicata, observationem continet non contemnendam, quæ hujusmodi est: vermes nempe vulgares corporis humani, lumbricos scilicet, non esse oviparos, ut sunt generatim insecta omnia, sed viviparos, ut sunt viperæ, & ut sunt plerumque animalia, quæ perfecta vocant. Cum enim Clariss. *Zamponus* medicinam faceret in puero octo, vel novem, annorum, qui febri acuta laborabat, is nona die morbi inter ani excrementa vermem magnum, & longum vivumque dejecit, qui, cum Cl. *Zamponus* curasset, ut in tabula collocaretur, ut bene eum observare posset, quoniam vivax multum apparebat, & contorsiones varias edebat, inter contorsiones illas observavit, in extremitate liquorem viscosum dejicere cœpisse, quo finito, per eundem locum dejicere cœpit vermiculos vivos, tenues, usque ad viginti octo, qui paulo post ad unum interierunt, quoniam fortasse iis aer aper-

apertus & frigidiuſculus nocuus erat, cum eorum natura ſit obſcuro in loco & calido naſci, & vivere, in ventre ſcilicet inteſtinisque corporis humani. Cl. *Zamponus*, antequam obſervationem hanc *Planco* refert, opiniones varias Philoſophorum circa generationem vermium lumbricorum corporis humani exponit, &, obſervatione relata, concludit, vermes hoſce viviparos eſſe. Diſſertatio hæc in *Tomo XLVII Opuſculorum Angeli Calogeræ*, quæ Venetiis eduntur, exſtat; Autor vero exemplaria plura ſeorſim edi curavit, ut amicis, & Medicinæ Hiſtoriæque naturalis ſtudioſis, diſtribueret. In fine Diſſertationis Tractatum alium editurum ſe eſſe pollicetur, in quo docebit methodum veram eos morbos curandi, qui a vermibus proficiſci creduntur.

IN LODE DELL' ARTE COMICA, &c.

id eſt,

DE ARTIS COMICÆ LAUDE DISSERTATIO JOANNIS BIANCHI, Med. Doct. Nobilis, & Medici primarii Arimini.

Venetiis, apud Jo. Baptiſtam Pasqualium, 1752, 8. Plag. 3.

Iterum nobis Orator venit *Joannes Bianchi*, ſeu, ut ipſe mavult Latine, *Janus Plancus*, Arimini Medicus primarius, qui anno ſuperiore Orationem luculentam in exequiis *Alexandri Joſephi Clappinii*, Flaminis, & Canonicorum Lateranenſium Magiſtri ſupremi, eodem tempore habuerat. Lugubris enim illa fuerat, ut occaſio tunc ferebat, licet Bacchanaliorum tempore habita. At hæc læta, & tempori locoque, ubi recitata fuit, conveniens. Inquirit inprimis Doctiſſimus Autor in artis comicæ originem, & eam apud Græcos una cum Comœdia & Tragœdia natam reperit, atque, Comœdiarum Tragœdiarumque Autores, ſeu Poetas, ſuorum Dramatum interdum actores exſtitiſſe, obſervat; quare, nobiliſſimam hanc artem apud Græcos fuiſſe, contendit, & præſertim apud Athenienſes,

ſes, qui, teſte *Plutarcho*, plus ſumtus in Dramatum recitatione, quam in omnibus bellis externis, fecerunt. Apud Romanos vero ars comica originem traxit ab hiſtrionibus; quare apud ipſos hiſtrionica ars fuit etiam dicta. Hiſtriones enim erant primo ſaltatores, ludionesve, ab Etruria circa quartum Seculum ab Urbe condita arceſſiti, ut peſtifer quidam morbus, qui Romæ ſæviebat, expelleretur, populusque Romanus talibus ſuperſtitioſis ludis expiaretur. Hiſtrionum ludis ſaltationibusque *Livius Andronicus* Poeta fabulam ſuam comicam paulo poſt adjunxit, quibus interdum & adjunctæ fuerunt, veluti pro intermedio, fabulæ aliæ ruſticæ, Atellanæ dictæ ab Atella, Oſcorum urbe, unde petitæ. Verum, poſtquam Romani Græcas literas addidicerunt, non amplius apud eos in pretio rudes *Andronici* fabellæ, ruſticæque Atellanæ, fuerunt, ſed fabulæ tragicæ & comicæ Græcorum, in Latinam linguam converſæ, vel detortæ, recitatæ fuerunt. Inter Tragicos Latinos, qui fabulas Græcorum converterunt, maxime *Accius* celebratur, & inter Comicos *Plautus* & *Terentius* maxime celebrati ſunt; Autoresque, qui eas fabulas populo monſtrabant, Tragœdi & Comœdi fuerunt appellati, vel priſco nomine confuſi, hiſtriones, quanquam ab arte illa humili veterum hiſtrionum multum diſtarent. Inter Tragœdos nobiliſſimus fuit *Æſopus*, & inter Comœdos *Q. Roſcius*, amicus uterque & fautor *Ciceronis*, præſertim ſecundus, qui præceptor illi fuit in arte pronuntiandi, quique autor ei exſtitit, ut Orator primum prodiret, cauſamque pæne deſperatam *P. Quinctii*, neceſſarii ſui, contra *Hortenſium* defenderet, ex qua *Cicero* victor evaſit; qui poſtea ipſummet *Q. Roſcium* Comœdum in controverſia pæne hiſtrionica defendit, in qua puer, qui a *Roſcio* in arte hiſtrionica erudiebatur, a *Q. Claudio*, Tarquinienſi, fuerat occiſus, & occiſor, a *Roſcio* in judicium vocatus, pœna damni illati fuit damnatus: quam pœnam ſolvit, ſed pro ſummæ diviſione controverſia orta eſt inter *Fannium*, pueri herum, & *Q. Roſcium*. *Cicero* in ea Oratione, quam habuit pro *Q. Roſcio*, multa affert in ejus laudem, ut aliquan-

do dicat de eo: *Qui ita dignissimus est scena propter artificium, ut dignissimus sit curia propter abstinentiam. Æsopus*, & *Roscii*, histriones ditissimi fuerunt, & amicus uterque, ut vidimus, *Ciceronis*, & aliorum principum virorum, qui eo tempore in Republica Romana florebant. Ars ista comica, seu, ut vocabant per abusum, histrionica, in magno honore fuit etiam sequentibus temporibus, ut *Nero* ipse Imperator inter scenicos actor prodire non erubuerit. Nostris quoque temporibus Tragœdi & Comœdi illustres fuerunt, ut *Lælius Riccobonus*, & *Faustina*, ejus uxor, aliique, quos memorat *Plancus*, at inprimis actrix celebris, *Oldfieldia*, Britannica, quæ, solenni funere elata, magno cum honore Londini in Westmonasterii templo sepulta fuit, justaque ipsi eadem ibidem solverunt Britanni, ac paulo ante immortali Philosopho, *Isaaco Newtono*, solverant. Leges, quibus infamia notantur actores scenici, latas contendit *Plancus* in Gladiatores, & Mimos, Pantomimosque, qui vel crudelitate, vel gesticulationibus obscœnis, theatra fœdarunt, non vero in Tragœdos Comœdosque, qui in Tragœdiarum & Comœdiarum recitatione mores corrigunt, & ad virtutem auditores excitant, ut talium Dramatum ratio fert. Hæc & alia in hac brevi Oratione docte ornateque exponit Cel. *Plancus* in artis comicæ, seu histrionicæ, commendationem,

LETTERE VARIE, E DOCUMENTI AUTENTICI, &c.

id est,

EPISTOLÆ VARIÆ, ET MONUMENTA PUBLICA, circa opera, & circa verum nomen, cognomen, & patriam, Guidonis Cagnaccii, Pictoris, opus JOANNIS BAPTISTÆ COSTÆ, Ariminensis.

Vene-

Venetiis, 1752, 12.
Plag. $2\frac{1}{2}$.

Collectio hæc variarum Epistolarum, aliorumque monumentorum publicorum, quibus docemur inprimis, *Guidonem Cagnaccium*, Pictorem insignem, qui discipulus fuit *Guidonis Rhenii*, & qui Pictor aulicus obiit apud *Leopoldum* Imperatorem, postquam apud eum per 20 annos mansisset, non esse ex Castro Durantis, vulgo nunc Urbania, ut in *Felsina Pittrice*, in *Abecedario pittorico*, aliisque in libris, scriptum fuerat, sed ex Archangeliano, oppido illustri diœceseos Ariminensis, quod ab urbe Arimino 6, vel 7, millia passuum tantum distat. Autorem habet *Jo. Baptistam Costam*, Pictorem eruditum, qui una antiquitatis & Historiæ naturalis studio oblectatur. Ad hoc opusculum condendum maxime fuit excitatus ab Equite *Francisco Nicolao Gaburrio*, Florentino, ejus amico, qui picturæ studio, historiæque pictoriæ, delectabatur, ut *Cagnaccium*, Pictorem insignem, patriæ suæ, ut par erat, restitueret. Exstat in hac collectione *Costæ* Epistola ad Equitem *Gaburrium*, & responsio *Gaburrii* ad *Costam*. Exstant item Epistolæ variæ *Jo. Petri Zanotti*, Pictoris Bononiensis, Poetæ eximii, & Oratoris diserti, amici ejusdem *Costæ*, quibus itidem ad manifestandam veram *Cagnaccii* originem, verumque nomen, exstimulatur. Postremo ad edendum præsens opusculum maxime fuit excitatus a *Jano Planco*, Nobili Ariminensi, & Medico primario illius urbis, cujus elegans doctaque huic collectioni præmittitur Epistola, in qua ostendit, communem esse Ariminensium cum Archangeliani civibus causam, ut *Cagnaccius* patriæ suæ restituatur, quæ communis dici possit, tum quia Archangelianum sit in diœcesi Ariminensi, tum quia per multos annos *Cagnaccius* moratus sit Arimini, ubi multas tabulas pinxit, ex qua urbe etiam ad aulam *Leopoldi* Augusti fuerat arcessitus, quanquam ipse, ut indulgeret genio cuidam suo curioso, non ita statim ad aulam illam venisset. *Plancus* ostendit in Epistola sua, *Cagnaccium* majorem Pictorem fuisse natura, & usu, quam bonarum artium studio, in

quo versari deberent Pictores eximii, ut versati fuerunt veteres Græci, & Itali illi, qui decimo quinto Seculo in Italia Picturam, Sculpturam, Architecturam, ceterasque bonas artes, instaurarunt. Merito tamen *Cagnaccius* commendandus est propter egregiam naturam, quam nactus est, qua omnes artes profiteri & excolere possumus, quæ præsertim in imitatione naturæ fundatæ sunt, ut sunt maxime Pictura, & Poesis. Clariss. *Costa* tandem evidenter ostendit, *Guidonem Cagnaccium* natum esse Archangeliani *Matthæo Cagnaccio*, qui, licet Durantinus esset origine, tamen civitati Archangelianæ fuerat donatus, qui apparitor publicus in eo oppido erat, quanquam *Guido*, ejus filius, Pictor scilicet noster egregius, interdum *Cagnaccii* nomen, præsertim Venetiis, in qua urbe aliquantum moratus est cum puella, virili habitu vestita, ex qua mulierum, quas pingebat, exemplaria depromebat, respueret, & nomen ibi *Guidonis Baldi Canlassii* assumeret, ut nomen illud *Cagnaccii* mitigaret, quod apud Italos sordere videtur, quia quidpiam cane pejus significat. Factum hoc *Cagnaccii* alterius erroris fuit occasio, ut duo nempe crederentur pictores, *Cagnaccius* unus, *Canlassius* alter; sed una eademque persona sunt *Cagnaccius*, & *Canlassius*, ut Clariss. *Costa* ostendit in hac Collectione, quæ relata est inter *Opuscula Calogeriana* in *Tomo XLVII*, ex quo plura exemplaria seorsim fuerunt edita, ut iis, qui historia pictorica delectantur, Autor noster Clarissimus satisfaceret.

EPISTOLÆ FAMILIARES, AD AMICOS ET NOTOS scriptæ a P. FRANC. LANG, Societatis Jesu.

Ingolstadii & Augustæ Vindelicorum, sumtibus Jo. Franc. Xav. Crætzii & Thomæ Summeri, bibliopol. 1747, 8.
Alph. 1 plag. 13.

Occur-

Occurrunt hic Epiſtolarum *Centuriæ duæ*, quamvis haud
omnino puræ, pro conditione tamen ſcribentis ele-
gantius, ingenioſius, ſententioſius, conſignatæ. De no-
minibus eorum, quibus Epiſtolæ miſſæ ſunt, non dubita-
mus, ficta miſceri. Certe ſatis alicubi vehementer & a-
criter agere cum amicis videretur Autor, niſi, ſub fictis per-
ſonis vitia perſtringi, putandum eſſet. Scribitur au-
tem, *Centuria priore*, *Reinbardo Reviſſano* de difficulta- Epiſt. 1.
te operis, & cauſis, has Epiſtolas non edendi; *Huberto* 2.
Hortulano de modo legibusque bene gerendi publica ne-
gotia; *Ambroſio Melinoto* de filio rite literis informan- 3.
do; *Julio Tamerinæ*, quomodo vivendum inter multos; 4.
Symphoriano Buſſereto, recens electo Præſuli, gratulatio; 5.
Dominico Lampſonio de rumoribus contemnendis, deque 6.
morbo ſuo; *Æmiliano Veramondo*, ſe ſacro ſodalitio cui- 7.
dam addicenti; *Paulo Riverne*, convictorum nobilium cu- 8.
ratori, de bono regimine laudatisque moribus eorum; *Pau-* 9.
lo Waltenhoſio de lento progreſſu conſiderationum ſuarum,
ſub prelo verſantium; *Paſſiano Tarſetæ* de ejus periculo 10.
ex lapſu, & aliis ejus negotiis; *Arbogaſto Harphio*, re- 11.
prehenſio neglectus elegantiorum literarum; *Bohemun-* 12.
do Comiti *Sanctacrucio* de ſpiritus exercitationum ſacra-
rum uſu; *Roſino Hamirato* de morte ſororis, & ejus 13.
fratre, religioſa ſtudia complexo; *Henrieto Solano* de no- 14.
va dignitate fratri poſt mortem anteceſſoris ominanda;
Joſepho Caſtulo, ad Academiam abeunti, parænefis; *Joanni* 15. 16.
Boiſſoto, petitio ſubſidii pro paupere familia; *Ubaldo*, Co- 17.
miti Tuſculano, quietem meditanti; *Matthiæ Raſoni*, de 18.
puerorum inurbanitate querenti; *Franc. Genſerico*, juve- 19.
ni vago, de moribus emendandis; *Wolfg. Miriſio*, de 20.
neglecta reſponſione querimonia; *Cano Virniæ* de *Ginta-* 21.
reno, amico, qui mortuus dicebatur, deque morte *Polemii*,
aquis hauſti; *Sigiſm. Lecantæ* de ſacra peregrinatione, cum 22.
eodem obita; *Franc. Tenermanno*, gratiarum actio, & ſua- 23.
ſio ſatis jejuna de Pontificiis ſacris amplectendis, quod

Epiſt. 24. nova noſtra eſſent, & ambigua; *Adr. Cellario* de ſtatus
25. electione; *Andreæ Maronio* de icone Conſiderationum æri
26. incidenda, & aliis; *Andreæ Alcimo* de characteribus pro typis
27. a fuſore curandis; *Franc. Rotilomio*, Milenſi toparchæ, ad pa-
28. ctum *Marianum* in ſodalitio admitti poſtulanti; *Chriſtophoro*
Caro de ſtimulis addendis ad egregia. Quoniam autem nimia
eſſet, ac pæne minuta, ſolicitudo, ſi quidem in ſingulis ar-
gumentis ac nominibus percenſendis moraremur, reliqua po-
33. tius ex multis ſeligenda curabimus. Ita vero *Langius* noſter
Jo. Tarandæ, Muſicæ præfecto, gratias agit pro labore, cor-
35. rigendis Conſiderationibus muſicis impenſo; *Mauritii* S. R. I.
Principis, & antiſtitis *Lambertini*, judicium honorificum de
36. ſcriptis, a ſe juris publici factis, veneratur; *Rudolpho Vogtio*,
ſacerdoti Gadenſi, doctrinæ virtutisque ſtudia commendat, ad
45. muneris ipſius partes neceſſaria; ſcribit porro *Ambroſio Me-*
linoto, non expedire, extra ſcholas publicas filium privatim
47. erudiri; *Julio Thameſino* de morte *Equimarii*, egregii viri, &
49. de Muſica ſcenica; *Jodoco Weidenboſio* de laudibus libri, ab
50. ejus fratre publicati; *Thomæ Marino*, cathedralis eccleſiæ Ca-
nonico, de Conſiderationibus ſuis publicatis, & illarum editio-
51. nis occaſione; *Marquardo Naſturtio*, judicium peritorum eſſe
53. requirendum in literis proficere volenti; *Jo. Babylæ*, ad S.
56. Crucem ſacerdoti, de laudibus ejus facundiæ; *Simoni Ruſſio* de
62. literarum manſuetiorum difficultate pariter & præſtantia; *So-*
63. *lano* de turbis civilibus, in urbe concitatis; *Chriſtophoro Im-*
molæ, ſtudioſo literarum ſacrarum, ut ſe digne præparet ad
67. functiones, muneri ſuo convenientes; *Carolo Feranzæ*, dam-
74. num ab ignibus paſſo, conſolationem; *Flavio Pollioni* de lite-
84. rarum humaniorum uſu & præſtantia; *Aurelio* Comiti de
93. *Salinas* de librorum prohibitorum lectione; *Henr. Brandio*
99. de metibus bellicis, deque famoſo prædone; *Iſidoro Schmir-*
ckio, aulicæ Bibliothecæ præſidi, de genealogia Ducum Bava-
100. riæ; tandemque *Feliciano Reſono*, Jur. Utr. Candidato, ratio-
nem deliberandi præſcribit. Ad *poſteriorem Centuriam* quod
1. attinet, monet *Rogerium Abdomirium*, ut ſolitariam vitam
agere

agere desiderantibus de sustentatione provideat; ***Balth. Ma-*** Epist. 4.
ronium de poeticis præceptis; *Sylvestrum Cultrinum Morca-* 7.
num, oppidi grammatæum, nepotem, a studiis aversum, invi-
tum ad illa non esse compellendum; *Trebatium Ferolet-* 9.
tam de primis literarum mansuetiorum principiis; *Petrum* 11.
Hastenum de constantia, bonis propositis adjungenda; *Sa-* 12.
binum Fuscum de seria sui cura, ne inter hujus vitæ peri-
cula seducatur; ***Treb. Ferolettam*** de necessitate, observa- 15.
tiones ex Autoribus faciendi; *Phil. Mandoram* de præsen- 19.
tium temporum iniquitate; *Franc. Raphelengium*, amicam 24.
admonitionem sæpius offendere, præceptaque rhetorica pau-
cis exponi non posse; *Mauritium Rosanum*, ad Hungarica 26.
castra legatum, de statu Christiani exercitus ad Albam re-
galem; *Wernerum Nusium* de scenica Poesi; *Trebat. Fero-* 32.
lettam de modis, observationes ex Autorum lectione con- 35.
ficiendi; *Isidorum Schmirckium* de conducto præceptore 36.
domestico, causa Sinensi, & aliis; *Rufinum Safronum*, quid 37.
in elegantioribus studiis primo maximeque conandum;
Rosemium Oronum, ædilium præfectum, præter alia, cau- 44.
tius agendum esse cum proceribus; *Maximil. Vranum* 47.
de raris ejusdem scriptionibus, deque motu perpetuo; *Anr.* 48.
Thorassum, de Symbolographia quid sentiat; *Jo. Ingelium*, 51.
in ludis scenicis artem esse primum observandam, in ex-
tremis cetera poni; *Andream Dantiscum* de pravis con- 55.
sortiis vitandis; *Jos. Castulum*, juvenem Academicum, aber- 58.
rantem, de reditu ad meliora; *Ferolettam* iterum de mo- 60.
dis excerpendi; *Nusium*, Poesin scenicam, & modum stru- 70.
endi theatra, paucis doceri non posse; *Arsenium Reca-* 74.
redum, nobilem juvenem, de peregrinatione ad exteras na-
tiones dissuadenda; *Rog. Campianum*, nobilium ephebo- 78.
rum præfectum, ut illos ad usum literarum excitet conti-
nuo; *Conr. Usentem*, Capituli Lingensis Decanum, ut pe- 88.
riculosum unius viri cum altero sexu commercium im-
pediat; *Ge. Stivonem*, Elisianæ familiæ curatorem, de vin- 90.
dicta Christiana; *Lud. Tribaldum* de Tragœdia *Erkem-* 95.
baldi,

Epist. 96. *baldi*, quondam exhibita; tandemque *Petrum Altenbotum*, solidis principiis animum esse firmandum. Ut stili pariter exstent documenta, vel inde duos locos excerpamus.
Pag. 13. *Epist. 3 Cent. I* dicitur inter alia de filio cujusdam: *Ad inferiores extra Gymnasii limina mittendum censui, ubi æmulatio plurimum stimulat animos ad profectum. Umbratiles Pædagogi plerumque rem suam curant, ut nempe vivant commode, non semper suorum soliciti, quod deberent. Hinc aggredi solent calide, mox in frigus recidunt, tandemque jacent penitus, laboris tædio, & sua im-*
138. *patientia, fracti. Quale hinc commodum alumnis?* Item *Epist. 45: Qui suadeam, umbratile studium præhaberi publico? Attende tironis indolem. Si felici pollet, ad altiora solus non excitabitur, impulsu æmulationis defectus. Si rudi, se ipsum non erubescet, nec gloriæ cupidus, nec ignaviâ pertæsus. Si desit, cui pugnet, languidus sordebit domi, ipse miles & imperator sibi, primus & ultimus. Fortis machina est laudis desiderium inter honestos. Committendus igitur filius tuus cum æmulis est, ut acrius accendatur ad pugnam, & inde ad victoriam. — Quin & mendæ ceterorum prosunt ad profectum, uti viperæ ad pharmacum. Vitare vitiosa discit, qui alios errare con-*
139. *spicit. Ingens lucrum, aliena e ruditate sapere. — Addo, quod jucundum, partiri laborem inter plures. Unus dum sua peragit, respirat alter, ut alacriter in arenam redeat. Sic ludus publicus exercet suos, at citra tædium. Schola solitaria his emolumentis deficit. Difficile onus censent periti, continuo serram trahere, nec respirare a motu. Promtius laborat, laborem qui mutat.* Declamatorium quidem nonnihil observantes, *Annæum* potius legere, quam *Tullium*, nobis videmur. Vincit tamen ille stilus elegantia sua, quæ ei non omnino nulla est, plurimorum illius Ordinis sodalium aut sordes, aut affectationem.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLIII.

NOVUS THESAURUS JURIS CIVILIS ET CANONICI, continens varia & rarissima optimorum interpretum, inprimis Hispanorum & Gallorum, opera, tam edita antehac, quam inedita, in quibus utrumque Jus emendatur, explicatur, atque ex humanioribus literis, antiquitatibus, & veteris ævi monumentis, illustratur. Ex collectione & Museo GERARDI MEERMANNI, JCti, & Reipublicæ Roterodamensis Syndici.

Tomus III.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1752, fol.
Alph. 7.

Quam spem jam e conspectu hujus *Thesauri* conceperamus, fore, ut ei per editionem Fragmentorum veterum Græcorum JCtorum e MSto a Clariss. *Ruhnkenio* multum dignitatis & ornamenti accedat: ea spes postea multo magis aucta est atque confirmata, cum ad nos relatum esset de editione *Librorum IV*, adhuc ineditorum, e *Basilicis*, eidem *Thesauro* inserendorum, quod eo majoris æstimandum est, quo diutius eruditi horum librorum editionis desiderio flagrarunt. Quis enim nescit, Græcos Juris Romani, inprimis *Justinianei*, interpretes præcipuos esse

fontes, ex quibus Jurisprudentia optime explicari illustrarique possit? Et unde majorem utilitatem doctrinamque *Cujacius*, aliique docti interpretes, hauserunt, quam ex iisdem his Græcis interpretibus? Atque propterea *Meermanno*, V. C. incredibiles agendæ sunt gratiæ, quod reipublicæ literariæ hoc insigne beneficium tribuerit. Ipse vero *Thesaurus* quantum eo ornamenti & splendoris accipit! Nam, cum hæc fragmenta contineat, sane inter ipsos Jurisprudentiæ fontes numerare eum necesse est; quanquam eorum gratia, qui recte fontibus uti possunt, optandum foret, ut separatim excudantur. Hoc in *Tomo* initium fit editionis Græcorum fragmentorum promissæ. Sed ordine procedemus, & de singulis, in hoc *Tomo* comprehensis, scriptis more nostro ac consuetudine disseremus. Ceterum monendum est, hunc *Tomum* omnibus partibus esse superioribus *duobus* similem, tum quoad impressionem, & chartam, tum & quoad Præfationem, in qua *Meermannus* more suo de scriptis, huic *Tomo* insertis, & Autoribus illorum, agit.

Scripta, quæ hic *Tomus* continet, sunt hæc: 1) *Thalelai, Theodori, Stephani, Cyrilli*, aliorumque JCtorum Græcorum, Commentarii in Tit. D. & C. de Postulando, sive de Advocatis, Gr. & Latine, ex editione & cum notis *Dav. Rhunkenii*; 2) *Nic. Antonii* de Exilio, sive de exilii pœna nova & antiqua, exulumque conditione & juribus, Libri III; 3) *Gul. Ranchini* Tractatus de successione ab intestato; 4) *ejusdem* Edictum perpetuum *Salvii Juliani* restitutum; 5) *Jo. Matthæi Magni* Rationum & differentiarum Juris Civilis Libri duo: prior de actionibus arbitrariis, alter de eo, quod interest; 6) *Gul. Dyemeni* Tractatus de formulis copulatis & disjunctis, ad *Salvii Juliani* nobilissimum locum ex libro ejus singulari de ambiguitatibus; 7) *Joan. le Gendre* Episcopale judicium, adversus calumnias *Jac. Gothofredi* acerrime defensum, nec non ab omni falsi suspicione vindicatum; 8) *Polycarpi Sengeberi* Disceptatio de mutuo adversus *Claudii Salmasii* novum dogma; 9) *Josephi ab Exea & Descartin* Recitatio solennis ad l. un. C. de Palatiis & domibus dominicis Lib. XI;

10)

10) *Eduardi Henrysonis* Comment. ad Tit. X Lib. II Inst. de Testamentis ordinandis; 11) *Ejusdem* pro *Eguin. Barone* adversus *Anton. Goveanum* de Jurisdictione *Libri II;* 12) *Guil. Prousteau* Recitationes ad l. 23 D. de Reg. Jur.; 13) *Eduardi Calderæ* de erroribus Pragmaticorum *Libri IV*, totidemque variarum lectionum; 14) *Paganini Gaudentii* de Justinianei seculi moribus nonnullis *Partes duæ.* Accedit de lege, quæ fœminas a successione repellit, Exercitatio. De singulis jam disseremus.

Recte initium facit *Commentarius Gr. Thalelai, Theodori, Stephani, Cyrilli, aliorumque Græcorum JCtorum, ad Tit. D. de Postulando,* cujus editionem curæ Cl. *Ruhnkenii* debemus. Qui, cum hoc fragmentum in Bibliotheca Lugdunensi Bat. sub finem MSti Synopseos Basilicæ, quod cum editione quadam comparare vellet, invenisset, autoritate *Thalelai, Stephani, Theodori,* & *Cyrilli,* præclaris in Jurisprudentia nominibus, commotus est, ut illud describeret & ederet. Codex, ex quo sumtus est hic Commentarius, *Is. Vossii* fuit, recentior quidem, sed tamen nitidissime scriptus, cujus librarius sine dubio Græcus natione fuit, quod Latina, quæ ei inserta sunt, verba tam vitiose sæpe scripta sunt, ut eorum sensum ne conjectura quidem interdum assequi liceat. Exemplum vero illud antiquum, ex quo Codex hic descriptus est, temporis atque vetustatis mordacitatem subiisse videtur. Testantur hoc crebræ lacunæ: atque adeo ipse librarius, ἐλλιπὲς ἦν, inquit, τὸ τέλος ὑπὸ τῆς ἀρχαιότητος, sub finem, quanquam ibi tantum parvum Scholion deest. MStum ipsum deficit in *leg. ult. Bas. Lib. VIII pag. 436,* his verbis: Γίνεται σύνδικος καὶ διὰ καινοτομίαν - - -. Totius vero operis œconomia hæc est. Primum contextus ita comparatus est, ut, exceptis paucis quibusdam variis lectionibus, nihil differat ab eo, qui in magno illo Basilicorum opere reperitur. *Lib. VIII Tit. I pag. 394 seq.* & *Tit. II pag. 410 seq.* subjecta sunt textui, præter *Thalelai, Stephani, Theodori, Cyrilli,* & *Gobidæ,* interpretationes & animadversiones, Anonymi cujusdam partim longiora, partim breviora, Scholia, quorum in numero quoque ejus sunt, Pag. 1.

 qui

qui a ſtudio quærendi ἀντινομίας dictus eſt ἐναντιοφανής, ſive ἐναντίος: nec minus quædam ἐκ τοῦ κατὰ πόδας. Interpretationum, quæ ſine nomine Autoris, forte culpa librariorum omiſſo, poſitæ ſunt, quaſdam *Rubnkenius* V. C. tribuit *Thalelæo*, *Stephano*, & aliis JCtis. Quædam horum Scholiorum ſunt etiam in *Baſilicis*, ſed tamen hic multo pleniora, neque facile titulus eſt in *Baſilicis*, ubi tantus numerus Scholiorum & interpretationum ſit congeſtus. Unde Cl. *Rubnkenius* aliquando, hunc librum ſingularem fuiſſe, putaverat, quem in gratiam Advocatorum ex omnibus interpretationibus Græcus interpres, & JCtus, congeſſerit, textu *Baſilicorum*, tanquam fundamento, poſito. Sed, re melius conſiderata, hos duos Titulos cum Scholiis & interpretationibus ex multo pleniore exemplo *Baſilicorum*, quam hodie exſtat, fuiſſe deſumtos, putat. Atque, re vera olim exſtitiſſe exempla *Baſilicorum* uberiora Scholiis, & adhuc exſtare, teſtatur Codex ille *Coislinianus*, quem *Monteſalconius* in *Bibl. Coislin. pag. 216* commemorat & recenſet. *Antonius Auguſtinus* quoque longe pleniora *Baſilica* habuiſſe videtur, quam ſunt *Fabrotti*, ex quibus in Tractatu *de Nom. Pand. pag. 342* & *347* duo loca commemorat, quæ in *Fabrotteis* non exſtant, ſed in noſtro *pag.* 4 inveniuntur. Deinde etiam *Quintaduegnas de Juriſd. & imper. pag 257* in hoc *Theſauro* commemorat Scholia quædam, adhuc inedita, ad *Tit. Digeſt. de Procurat. & Defenſor.* ex MSto, quæ, in editione *Fabrotti* fruſtra quæſita, hic invenies. De Autoribus harum interpretationum hæc eſt *Rubnkenii* ſententia: *Thalelæum*, *Stephanum*, & *Theodorum*, eoſdem fuiſſe, quorum opera *Juſtinianus* uſus ſit in conficiendo Corpore Juris, quod & nuper in noviſſima *Theophili* editione firmis argumentis confirmatum eſt. De *Cyrillo* & *Gobida* adhuc incertum eſt, præterquam quod poſt tempora *Juſtiniani* vixiſſe videntur. Inter omnes hos interpretes primum locum obtinet *Thalelæus*, unde Scholiaſtes *Baſilicorum Tom. V pag. 737* τὸν τῆς νομικῆς ὀφθαλμὸν jure appellat. Etenim, præter eximiam ejus in Jure ſcientiam, acutiſſimumque ingenium, reperies in eo facillimam Juris ſcientiæ tradendæ

dæ

dæ methodum, incredibilem diligentiam in quærendis iis locis, e quibus hausit *Justinianus*, quos, optabile esset, omnes interpretes ejus temporis consuluisse. Sic *pag.* 41 commemorat *l. 1 C. de Error. Advoc.* multo pleniorem, quam hodie exstat; *pag.* 40 locum *Pauli* ex *Tit. Dig. de Postulando* allegat, qui hodie non reperitur. Quod vero ad curam attinet, a Cl. *Rubnkenio* in hac editione comparanda adhibitam, id laudis ei necessario tribuendum est, quod multa loca corrupta partim e fontibus, partim e conjecturis, egregie feliciterque emendavit. Latina versio textui Græco tam accurate respondet, ut magis fidelis, quam ornata, esse videatur, quanquam & hoc ei non deest. Ceterum in multis & difficilibus locis, & obscuris, emendandis & illustrandis insignem ei operam præstiterunt communicatæ animadversiones Celeb. & Græce inprimis docti *Gerh. Scheltingæ*, cujus benevolentiam & in illis locis, & in Præfatione, laudat. Nunc quidem prior horum Fragmentorum pars prodit. Reliquam partem, de Procur. scilicet & Defensor. propter multos Cl. Editoris labores & occupationes in sequentem *Tomum* differre coactus est. De scriptura vero, operarumque diligentia, hujus partis hoc inprimus prædicandum est, eam omni laude & elegantia multum superare reliquas hujus *Thesauri* partes, quod sine dubio curæ atque diligentiæ ipsius Editoris tribuendum, qui ejus corrigendæ munus ipse in se suscepit, cum reliquæ imperitis relinquerentur. Ceterum, quamvis, quoniam hoc fragmentum primum prodit, necessarium forte cuipiam videatur, loca quædam inde commemorare, ut eo magis præstantia ejus & utilitas appareat: tamen, ne imperitis Græcæ linguæ nauseam moveamus, hac opera supersedebimus, cum præsertim nullo modo dubitemus, quin periti harum rerum æstimatores bene sciant, quantum utilitatis Græcorum interpretum cognitio afferat ad Jus Civile melius intelligendum, ipsumque Commentarium lecturi sint. Id tantum affirmamus, magnam horum interpretum esse utilitatem, magnamque opportunitatem. Animadversiones, quas Doctiss. *Rubnkenius*, ut recte fit in talibus libris, non tam crebras adjecit, ita sunt comparatæ, quemadmodum ab eo, qui de literis Græcis jam praeclare esset

meritus, ſperari poterant; emendationes ex fontibus ductæ, & certæ, conjecturæ felices, interpretationes non contortæ, ſed textui convenientes. Et quid amplius in brevibus animadverſionibus quærendum eſſe exiſtimes? Oſtentatio ambitioſa eruditionis, nullo modo ad librum pertinentis, longe aliena eſſe debet ab his animadverſionibus, & a vere doctorum hominum laboribus.

Sed age tamen, commemoremus quasdam animadverſiones & emendationes Doctiſſ. *Rubnkenii*. *Pag*.4 pro *περιτομὰς ἤτοι τὰς θήκας*, quod invenit in MSto, legit *προτομὰς*, quo verbo imagines denotantur, quodque, ut in nota doctiſſime docet, recentioribus temporibus dicitur de Imperatorum effigie, quo ſenſu & hic ſumi debet. Per *θήκας* autem intelligit quasdam cellas & ædiculas, in quibus hæ imagines aſſervabantur. *Pag*. 6 oſtendit in nota, Græcos interpretes *Ulpiani* verba in *l. 1 §. 6 D. h. t.*, quæ vehementer torſerunt interpretes, recte convertiſſe, *qui paſſi ſunt, ſe in ſcena honorari, καὶ ἠνέσχοντο τὶ λαβεῖν ἐν τῷ κυνεγίῳ καὶ τιμηθῆναι*. Nam *honorari* eo in loco nihil aliud eſt, quam præmium accipere, quod in nota pluribus adhuc exemplis confirmat. *Pag*. 27 pro *χ]ιμάτων οἰκείων* e *leg. 6 Cod. de Bon. quæ lib.* ubi *laboribus ſuis* invenitur, recte emendat *καμάτων οἰκείων*. Ex quibus jam ſatis apparet, quanta ingenii vi & eruditionis abundantia hæc Fragmentorum editio ab eo parata atque ornata ſit.

Jam ſequuntur *Nicolai Antonii de Exilio Libri tres*, celeberrimi notique eruditis viri per *Bibliothecam Hiſpanam*. Cum vero hic vir præcipua in literis humanioribus floruerit doctrinæ laude, quis non vel exinde ſtatim colligere poteſt, qualis eſſe debuerit Juris interpres? Accedit huc præceptoris autoritas, *Franciſci Romos del Manzano*, e cujus ſchola & diſciplina prodiit, quem ſi quis cognovit, ſtatim & de diſcipulo magnifice ſentiat, neceſſe eſt. Eruditionis laude famaque conſpicuus, magnis in republica honoribus fuit ornatus. Hos *de Exilio* Libros, cum vix 23 ætatis annum attigiſſet, ſcribere cœpit, quos cum oſtendiſſet præceptori, *Franciſco Ramos*, hic

eos

eos monſtravit *Joſ. Fern. Reteſio*, qui eo tempore de eadem materia ſcribere in animo haberet. *Antonius* eos poſtea majori ſtudio & cura elaboratos A. 1658 edidit. Receſſit interdum a ſententia commilitonis ſui, *Reteſii*, qui, hac diſſenſione commotus, proximo anno novam Commentarii ad *Tit. D. de Interd. & Releg.* editionem fecit, in quo honorificentiſſime *Antonii* ſententiam aut approbaret, aut juſtis & validis argumentis refutaret. De horum duumvirorum ſtudio & labore in hac re hoc eſt *Majanſii* judicium: *Si utriusque ſcriptoris opera inter ſe conferantur, Nic. Antonii Libri de Exilio externa eruditione praeſtant Reteſii Commentario legali. Illius doctrina amœnior, & magis exquiſita: hujus minus exquiſita, & paratu difficilior. Illius dictio duriuſcula & obſcuriuſcula, hujus ſuavior & dilucidior. Nicol. Antonius ſcripſit eruditis; Jo. Reteſius omnibus, uterque ſumma diligentia & maximo judicio.* *Antonius* ante obitum labori ſuo 423 additamenta in exemplo ſuo adjunxerat, quod poſtea in Bibliothecam regiam fuit delatum. Hinc *Majanſius* eorum copiam *Meermanno* fecit, qui ea quoque in hoc *Theſauro* ſuis locis inſeruit. Sed jam de totius operis ratione quaedam dicemus. *Liber primus* continet *XVI Capita*, quorum *primum* enumerat eos ſcriptores, qui recentioribus & antiquis temporibus ante *Antonium* de exilio ſcripſerunt. *Cap. II* traditur orthographia, etymologia, & definitio, *exilii*. Ducitur a *ſolum*, ut *extorris* a *terra*, definiturque per commutationem loci cum ignominia. *Cap. III* oſtendit, exilium non recte numerari inter pœnas ſerviles a quibusdam JCtis. *Cap. IV* demonſtratur, exilium eſſe antiquiſſimam pœnam, quam homines ipſa natura duce elegerint. Unde *Cap. V* commemorantur antiquiſſima exilii exempla apud Romanos. Antiquitus enim Romanis uſitatum fuit, ut alicujus criminis accuſati, voluntario exilio ante ſententiam pœnam effugerent. Unde *Cicero* dicit: *Exilium non eſt ſupplicium, ſed perfugium, & portus ſupplicii.* *Cap. VI* nomen & uſus exilii voluntarii per exempla confirmatur. *Cap. VII* agit de aquae & ignis interdictione. *Cap. VIII* quaeritur, a quonam tempore is jus civitatis

vitatis amittat, quem populus hostibus tradiderit. De quo inter antiquos JCtos non convenit; quod patet exemplo *Hostilii Mancini*, quem cum propter invidiam Numantini foederis pater patratus ex SCto Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaquam *Mancinus* domum rediisset, neque in Senatum introire dubitasset, *P. Rutilius* Trib. pleb. de Senatu jussit educi, quod eum jus civitatis habere negaret, quem pater patratus ex SCto jussu populi tradidisset. *Cic. de Orat. I, 40.* Eaque quaestio docte & acute definitur, ut ipsius adeo *Balduini* diligentiam in *Jurispr. Muciana*, ubi de eadem re agitur, superare videatur. *Cap. IX* agit de poena proscriptionis *Sullanae* & Triumvirorum. *Cap. X* continet triplicem divisionem *Marciani* in *l. 5 D. de Interd.* de exilio ratione loci, ostenditque, *latam fugam* esse prohibitionem veniendi in certum locum, quod deinde pressius explicatur. *Cap. XII* loquitur de potestate magistratuum urbanorum in exilium mittendi; *Cap. XIII* de eadem potestate magistratuum provincialium; *Cap. XIV* de prohibitione omnium locorum, excepto unico, quod alterum genus exilii est; *Cap. XV* de tertia specie, nempe de relegatione in insulam; *Cap. XVI* de insulis, in quas relegabantur, ut Balearibus, Sardinia, Corsica, Gyaro, Seripho, Britannia, &c. *Liber II* habet *triginta quinque Capita. Primo Capite* agitur de divisione exilii in *deportationem* & *relegationem. Cap. II* ostendit differentiam inter utramque; primo scilicet, hanc nunc perpetuam, nunc temporariam, fuisse, illam semper perpetuam. *Tertium* loquitur de exilio tutorum, quod vel ad certum, vel in perpetuum, tempus duraret, & ejusdem effectibus; *Cap. IV* de Ostracismo, Graecorum relegatione decennali; *Cap. V* de origine deportationis, per eamque amissione juris civitatis; *Cap. VI* de deportatorum jure testandi, de quo vehementer pugnatur inter Interpretes. *Cap. VII* ostenditur, deportatum frui quidem jure gentium, sed non jure civitatis. *Cap. VIII* dicit de matrimonio deportatorum; *Cap. IX* de donatione inter conjuges exilii causa, & an per exilium confirmetur donatio, mortis causa facta.

cta. *Cap*. *X* docet, deportatum non prohibitum esse rebus facti, sed rebus juris, & discernitur, an electio sit res facti, quod in *Capite sequenti* ulterius explicatur, demonstraturque, deportatum posse eligere, quia sit res facti. *Cap*. *XII* ostendit, cum deportatione non conjunctam esse amissionem libertatis, ut quidam doctores voluerunt. *Cap*. *XIII* docet, per relegationem non amitti jus civitatis. *Cap*. *XIV* loquitur de infamia, quæritque, an conjuncta sit cum relegatione, & quomodo in condemnatione possit effugi. *Cap*. *XV* ostenditur alterum discrimen inter deportationem & relegationem, scilicet deportationem semper sequi confiscationem bonorum, relegationem non item. *Cap*. *XVI* ostendit, deportatum jus suum persequi debere per actiones utiles. *Cap*. *XVII* de bonis dicitur, quæ deportatis non eripiebantur, aut quæ per testamentum militare acquisita. *Cap*. *XVIII* quæritur, an fideicommissum, servo deportati relictum, vim suam habeat; *Cap*. *XIX*, an fideicommissum possit relinqui deportato, ad *leg*. 7 *D*. *de Leg*. *II*. *Cap*. *XX* ostenditur, deportatum non posse relinquere fideicommissum. *Cap*. *XXI* locus *Cic*. *Verr*. *I* de *Sullana* proscriptione, & de jure proscriptorum, acquirendi per testamenta, explicatur. *Cap*. *XXII* de divisione bonorum condemnati & deportati ante *Justinianum* agitur. *Cap*. *XXIII* continet jura *Justinianea* & Hispanica de bonis proscriptorum. *Cap*. *XXIV* loquitur de viatico exulum, docetque, per relegationem non amitti bona. *Cap*. *XXV* docet, fiscum satisfacere debitoribus condemnati. *Cap*. *XXVI* adhuc aliæ differentiæ traduntur inter deportatos & relegatos ratione loci & judicis, ubi simul quædam notantur de jure gladii præsidum provincialium, quod deinde *Cap*. *seq*. pressius explicatur, doceturque, omnibus temporibus Romani imperii Præsides Romanos omnes habuisse jus gladii. *Cap*. *XXVIII* ea quæstio solvitur, an Proconsules & Præfecti Prætorio habuerint jus deportandi. *Cap*. *XXIX* docetur, cur Imperatores aliis non facile jus deportandi dederint. *Cap*. *XXX* continet ultimam differentiam inter deportationem & relegationem, quod scilicet illa est capitalis, hæc non; & *Cap*. *XXXI* ea quæ-

ſtio diſcernitur, an relegatio ſit pœna corporalis. *Cap. XXXII* de relegatione dicitur ſecundum Jus Canonicum; *Cap. XXXIII* de pœna eorum, qui non obtemperant pœnæ exilii. *Cap. XXXIV* docet, an, qui ſine permiſſu ex exilio redierit, in templa tuto confugere poſſit, quod & in *ſequenti Capite* explicatur, refutanturque argumenta adverſariorum.

Pag. 155. *Tertius Liber* diviſus eſt in *IX Capita.* In *primo Capite* agitur de reſtitutione a temporali exilio; *Cap. II* de reſtitutione a perpetuo exilio, & de poteſtate reſtituendi; *Cap. III* quæritur, an judex interdum poſſit ſine permiſſu & autoritate Imperatoris reſtituere; *Cap. IV* agitur de reſtitutione & indulgentia, ſcilicet de indulgentia generali & ſpeciali; *Cap. V* docet, quænam jura per reſtitutionem recuperentur; *Cap. VI* agit de bonis, quæ per reſtitutionem redduntur; *Cap. VII* de uſu bonorum; *Cap. VIII* de juribus, quæ olim deportatis competebant, aut ſperanda erant; *Cap. IX* de banno hodierno, & de diſcrimine proſcriptorum, eorumque juribus. Ceterum, quæ jam a nobis commemorata ſunt, omnia ſingulari prorſus eruditione doctrinæque abundantia ex omnibus ſcriptoribus ſunt explicata, teſtanturque de eximia in omni literarum genere cognitione. Cujus rei, niſi propter anguſtias paginæ properandum nobis eſſet ad reliquas hujus *Theſauri* partes, ſpecimina quædam proponeremus.

191. *Tertium* locum obtinet *Guilielmi Ranchini Tractatus de Succeſſione ab inteſtato*, qui Lugduni Batav. A. 1594 in officina *Hugonis a Porta* editus eſt primo. Cujus Cel. Viri quamvis multa jam exſtent in rempublicam literariam egregia merita, tamen hic liber præcipuum locum obtinet, quippe, cum ex antiquo Jure Romano, Reſponſisque veterum JCtorum, Conſtitutionibus Imperatorum, præſertim vero ex *Nov. CXVIII*, & Jure Gallico, materiam de ſucceſſione ab inteſtato egregie explicet, longe omnibus anteponendus eſt, qui de eadem re ſcripſerunt, inprimisque dignus erat, qui, cum ejus exempla deſiderarentur, denuo prelo ſubjiceretur. Notandum eſt, *Jo. Wyneum* quendam hunc libellum ſuo nomine Francofurti A. 1603 edere auſum eſſe; unde ſatis apparet, quam incognitus

fue-

fuerit JCtis Germanis hic Tractatus. Persequitur *Ranchinus* omnes gradus successionis ab intestato; unde non necessarium existimamus, uberiorem ejus descriptionem Lectoribus dari. Id tantum monemus, Autorem conatum esse restitutionem *SCti Orphitiani & Tertulliani.*

Sequitur ejusdem *Ranchini Edictum perpetuum Salvii Juliani restitutum*, quod Parisiis ex officina *Plantin.* apud *Hadr. Perries* A. 1597, 8, prodiit. Dudum jam *Eguinarius Baro* in *Manualibus Juris* verba hujus Edicti ex legibus restituere & colligere tentaverat; sed sæpe ad Edictum perpetuum pertinere putavit ea, quæ responsis & interpretationibus prudentum debebantur. Secutus hunc est *Stephanus Perræus*, qui Edicta Prætorum ex libris Pandectarum deinceps excerpta edidit Parisiis apud *Gulielmum Nigrum* A. 1564, 4, non feliciori tamen successu. Nam ea tantum fragmenta collegit, quæ in Digestis reperiuntur, sed tanta negligentia, ut plura præterierit; neque meretur inter compilatores Edicti perpetui numerari. Utrumque longe superavit *Ranchinus*, sed tamen multa reliquit adhuc eruditorum diligenti disquisitioni. Neque ordinem Edicti perpetui servavit, sed fragmenta tantum secundum ordinem Titulorum in Pandectis proposuit, quem secuti sunt plures, in quibus & *Abr. Wielingius* in editione Fragmentorum Edicti perpetui Franequ. 1733, 4. *Ranchinus* quoque promiserat, ordinem Edicti perpetui, animadversionesque super eo, se editurum, sed ea spes eventu caruit. Ceterum hoc *Ranchini* Edictum reperitur in *Schminckii* Collectione. Pag. 235.

Jo. Matth. Magni (Gall. *le Grand*) *Rationum ac differentiarum Juris Civilis Libri duo*, qui sequentem locum obtinent, non eodem tempore prodierunt. *Liber primus de actionibus arbitrariis* prodiit primo separatim A. 1602 Andegavi 8, apud *Jo. Hernaltum*; postea rursus A. 1600 simul cum libro *de eo, quod interest*, Parisiis apud *Petr. Bertaltum*, 8, editus est. Vitam ejus describit *Meermannus* in Præfatione. Dicitur in titulo *Carnutensis*, neque tamen *Jo. Lironius* in *Bibliotheca Carnutensi* hujus *Magni* mentionem facit, cum tamen aliorum Virorum eruditorum Carnutensium vitas describat diligentissime. Ma- 266.

 gistro

giſtro uſus eſt ſummo *Cujacio*, quem ipſe *Lib. I Cap. 19* & *20*, & *Lib. II Cap. 19, praeceptorem ſuum* appellat, quanquam non veretur, interdum a ſententia *Cujacii*, præceptoris ſui, idoneis argumentis commotus, recedere. Profeſſorem fuiſſe eum Juris, patet ex Dedicatione; quanquam incertum eſt, utrum Aureliæ, an vero Andegavi. Eum certe poſtea fuiſſe Profeſſorem Aureliæ, autor eſt *Franciſcus Davydargentius* in Præfatione *Notarum Juris ſelectarum*. Horum librorum ſcribendorum occaſionem ei præbuerunt duo ſcripta de eadem re *Gabr. de Gaſt*, quorum alterum *de actionibus arbitrariis* Aureliæ apud *Elig. Gibier*. A. 1576, 4, alterum ad *Tit. Cod. de Sentent. pro eo, quod intereſt*, apud eundem, A. 1578, 4, editum eſt. Neque negandum eſt, *Magni* de hac re operam inter præſtantiſſima & præcipua Juris Romani ſcripta referri debere. Neque ullum invenies Juris Interpretem, qui de difficili hoc loco actionum arbitrariarum tam erudite & acute egerit. Locus autem de eo, quod intereſt, etſi jam a multis inter pretibus tractatus eſt, tamen hic *Magni* labor *Anton. Contii* & *Donelli* de hac re ſcriptis, niſi præponendus, at certe æquiparandus, eſt. *Primum Caput Lib. I* tradit diviſionem fundamentumque diviſionis actionum ſtricti juris & bonæ fidei. *Cap. II* oſtendit, cur dolus malus, cauſam dans contractui, bonæ fidei totum contractum ipſo jure irritum faciat. Ubi Autor adhuc antiquam illam, ſed a *Noodtio* in Tractatu de Formula emendandi doli mali recte rejectam, ſententiam defendit. *Cap. III* agitur de actionibus in bonum & æquum conceptis, & de diſcrimine ab actionibus bonæ fidei. *Cap. IV* explicantur Quæſtiones duæ, de actionibus ſtricti juris: ſcilicet, de pactis in continenti adjectis, & de uſuris ex litis conteſtatione præſtandis. *Cap. V* venit ad actiones arbitrarias, oſtenditque, quomodo differant ab aliis generibus actionum. Ipſas actiones arbitrarias ſic deſcribit. Actiones arbitrariæ ſunt, quarum formulæ ex Edicto Prætoris additur arbitrium judicis, quo judici permittitur, ut ex arbitrio ſuo jubeat actori ſatisfieri ita, ut, ſi reus ante ſententiam dictam arbitrio judicis pareat, condemnationem effugiat. Atque hæc ſenten-

ten-

tentia multis & idoneis argumentis confirmatur. *Cap. VI* ostenditur, rei vindicationem non esse actionem arbitrariam, tum quia ipsius natura & formula, tum quia & alia Juris Civilis praecepta, id non permittant. *Cap. VII* explicatur differentia arbitrii judicis in his actionibus, & litis aestimationis, quae post sententiam demum arbitrio judicis fit, & ex hac observatione leges enodantur, ex quibus doctores omnes actiones reales arbitrarias putant. *Cap. VIII* loquitur de actione confessoria & negatoria, docetque, cur non sint actiones arbitrariae. *Cap. IX* continet discrimen litis aestimationis ex jurejurando actoris post sententiam, & hujus arbitrii judicis, a quo actiones arbitrariae nomen habent. *Cap. X* ostendit discrimen inter has actiones arbitrarias & eas, quae Jure Romano appellantur arbitria. *Cap. XI* rejicitur sententia quorundam JCtorum de his arbitriis, ostenditurque, cur ea stare non possit. *Cap. XII* explicat, in quonam differat condemnatio, quae fit in litis aestimatione, a sententia judicis. *Cap. XIII* docet, quaenam actiones ad arbitrarias sint referendae, ubi simul explicatur §. *Praeterea Instit. de Actionibus*. *Cap. XIV* agit de actione quod certo loco, ostendit fundamentum Edicti praetorii, docet, quando locus sit huic actioni, & quid efficiat differentia loci & temporis. *Cap. XV* agit de caussis actionis arbitrariae, & cur haec prae aliis praecipue sic nominetur. *Cap. XVI* tradit de effectu actionis arbitrariae in alternativis locorum, rerum, & personarum; *Cap. XVII* de officio judicis in actione arbitraria, & quaenam res in condemnatione possint comprehendi. *Cap. XVIII* definitur, an ratione temporis arbitraria actio locum habeat, ubi simul discrimen ratione loci & temporis ad *l. Quodsi Ephesi pr. D. eod. Tit.* ostenditur, atque explicatur. *Cap. XIX* agitur de obligatione fidejussoris in actione arbitraria, eamque non majorem fieri, debitore principali non solvente, ostenditur, quod secus est in actionibus bonae fidei. Simul explicatur difficilis ille locus *l. Centum Capuae D. de eo, quod certo loco*, & comparatur cum *leg. Quaero. Tit. eodem*. *Cap. XX* ostenditur differentia earum rerum, quae oriuntur ex obligatione, & earum, quae officio judicis conti-

nentur, ubi ſimul *l. ult. D. eod.* explicatur. *Liber II, de eo, quod intereſt*, continet *Capita XIV*. *Primo* oſtenditur, quid ſit ſententia, decretum, interlocutio, res judicata, & quomodo dici poſſit, ſententiam ſemper eſſe certam. Deinde *ſequente Capite* explicatur, quid ſit, *quod intereſt*, & an non tam lucrum, quam damnum, contineat. *Cap. III* agit de clauſula illa, *quanti ea res eſt*, quomodoque *ab eo, quod intereſt*, differat. *Cap. IV* docet, quomodo pœna, uſura, & quod intereſt, ſint diverſa. *Cap. V* varias ſpecies ejus, quod intereſt, proponuntur, quædam diviſiones veterum rejiciuntur, & quæſtio definitur, an ex vindicta ad id agi poſſit. *Caput VI* agit de eo, quod communiter, & quod ſingulariter intereſt, & quæritur, an quoad jus ſpectetur ſingulariter, quod intereſt; *Cap. VII* de eo, quod intereſt circa rem. *Cap. VIII* traditur differentia formularum *ex re, circa rem, & extra rem*. *Cap. IX* oſtenditur, quomodo id, quod intereſt, ſit æſtimandum, & an id quoque in iis ſpeciebus fieri poſſit, ubi duplum excedit, & denique quinam dicantur caſus certi & incerti. *Cap. X* loquitur de fraudibus in contractibus, & de imperitia artificis, artem aliquam profitentis, & ratio commemoratur, quare in his ſpeciebus caſus obligationis locum habere non poſſit. *Cap. XI* continet differentiam obligationum dandi & faciendi, docet naturam obligationis, ex quibus peti poteſt id, quod intereſt, & quæritur, an is, qui factum promiſit, cogi poſſit ad factum illud neceſſario præſtandum, quod recte negatur. *Caput XII* loquitur, de tempore, a quo id, quod intereſt, computatur in negotiis ſtricti juris. *Cap. XIII* agit de natura & uſu condictionis triticariæ, & tempore computandi id, quod intereſt in obligationibus ſtricti juris; *Cap. XIV* de tempore computandi id, quod intereſt, in negotiis bonæ fidei, ubi ſimul occurritur dubitationibus quibusdam contra hanc ſententiam. Hic eſt conſpectus totius hujus libelli, ex quo ſatis apparet, quanto ingenio & eruditione conſcriptus ſit, quantumque teſtimonium ſit de ſcientia hujus *Magni* in Jure Civili.

Non minoris pretii eſt ſequens Tractatus: *Guilielmi Dyemeni Tractatus de Formulis quibusdam copulatis & disjunctis,*

ad

ad Salvii Juliani locum ex libro de ambiguitatibus, Lovan. apud *Jo. Masium*, 1606, 4. Natus *Dyemenus* Roterodami A. 1508, patre usus *Arnoldo*, matre *Hadriana Eyk van Hove*. Primo Lovanii literis humanioribus operam dedit, postea, ad alias quoque universitates literarias profectus, Aureliæ Doctor Juris factus est. Post reditum in patriam primum Mechliniis, deinde Ultrajecti, multis maximis honoribus perfunctus, A. 1583 mortuus est. Acutissimum ejus ingenium, insignisque scientia, satis apparet ex hoc libro, in quo *l. 13 D. de Reb. dub.* præsertim ex Dialectica explicare & illustrare, & ex collatione trium editionum, *Haloandri*, *Roberti Stephani*, & *Taurelli*, verba *Juliani* restituere, conatus est, ubi & simul multas alias leges, in quibus aut copulationes, aut disjunctiones, reperiuntur, explicat & emendat. Digna erat hæc materia, quæ a *Dyemeno*, acutissimo viro, explicaretur. Nihil difficilius obscuriusque est in tota Dialectica, quam hic locus, & in omnibus legibus Pandectarum nulla est, quæ tantam molestiam creaverit interpretibus, quam eadem illa *lex 13*. Atque *Dyemenus* omnium eorum, qui ad hanc legem commentati sunt, quorum fere infinitus est numerus, diligentiam, judicio *Meermanni*, superavit, quanquam adhuc quædam loca inveniuntur, in quibus ei assensum præbere non possumus. Libellus quidem brevis est, sed tamen tota *lex 13* explicatur tam ex Dialectica, & Jurisprudentia, quam ex literis humanioribus.

Jo. le Gendre Episcopale Judicium adversus calumnias Jac. Gothofredi acerrime defensum, nec non ab omni falsi suspicione plenissime vindicatum, quod nunc sequitur, Parisiis apud *Rulandum* A. 1690, 4, editum est. Acerrimus defensor est *le Gendre* Episcopalis Judicii. In hoc Tractatu tres leges, quas *Jac. Gothofredus* suppositas putaverat, & ad calcem *Lib. XVI Cod. Theodos.* ediderat sub titulo *de Episcopali Judicio*, ab hoc crimine liberare tentat, & earum autoritatem ex documentis ecclesiasticis multa cura & diligentia demonstrare conatur: qua re quo majorem gratiam iniret, scripsit hoc opus ad Episcopos Ecclesiæ Gallicæ. Persequitur ordine omnes tres Constitutiones, easque a *Gothofredi* Pag. 333.

fredi, ut ait, calumniis liberare studet. De autoritate primæ Constitutionis hæc sunt argumenta: 1) quia in hac Constitutione *Constantini* antiqua, & ab ipso *Paulo* Apostolo introducta, consuetudo sit confirmata; 2) quia hoc testetur consensus totius antiquitatis. Porro pro ejus autoritate argumenta ducit ab argumento Constitutionis, æquitate, & communi utilitate, ab aliis Constitutionibus Imperatorum, a perpetuo in Ecclesia vetere usu etiam post *Constantini* tempora, a stilo *Constantini*, qui in aliis ejus Constitutionibus reperitur, quem tamen *Gothofredus* alienum ab ætate *Constantini* putat, denique a Latinitate eorum temporum, præsertim *Constantini*, quippe in ea easdem locutiones & verba, quæ in aliis, adhibuerit. Fidem secundæ Constitutioni adrogat ex inscriptione, & subscriptione, & die, aliis Constitutionibus Imperatoris ejusdem de rebus ecclesiasticis, in quibus idem stilus *Honorii*, eadem argumenta & sententiæ, eædemque metaphoræ verborum, reperiantur, quibus nempe usus sit, si quidquam ad religionem pertinens constituerit; deinde, quod in illa idem constitutum reperiatur, quod in aliis Constitutionibus superiorum Imperatorum & Conciliorum inveniatur, de quarum integritate nec *Gothofredus* ipse dubitet. Autoritas tertiæ Constitutionis, judicio *le Gendre*, inde ducitur, quod ea tum in antiquis MStis, tum in editionibus vulgatis, reperiatur, quia nihil in ea constituatur, nisi quod in antecedentibus Constitutionibus rescriptum, porro arcessitur ex subscriptione & inscriptione, verborum duritie, stilo & latinitate eorundem Imperatorum, quæ omnia & in aliis eorum legibus reperias. In omnibus argumentis Autor supra modum est copiosus & curiosus, ita ut hæc res ei maxime curæ cordique fuisse videatur. Ac primo quidem argumenta ejus videntur aliquid valere, sed, omnibus perpensis, tamen non dubitamus, quin facile possint refutari atque rejici, nihilque sane sit detractum argumentis *Jac. Gothofredi*. Sed his non immorabimur; ipsius rei judicium apud alios sit eruditos; veniamus potius ad aliud certamen, super mira illa *Salmasii* opinione ortum: mutuum non esse alienationem.

Pro-

Edidit igitur *Polycarpus Sengeberus* Disceptationem de mutuo adversus Clariss. *Salmasii* novum dogma Paris. apud vid. *Mathurini du Puis* A. 1646, 8. Autor patriam habuit Brunovicum, sed, post in Galliam delatus, solidæ Jurisprudentiæ multum operæ dedit, & Doctor Juris factus, ut consequeretur Andegavi Professionem Juris, disputavit contra *Maquinum* quendam, in quo tamen cum inferior discessisset, Professione excidit, multum annitente quamvis *Menagio*, qui præceptori suo præcipue favebat. Sed tamen fama eruditionis *Sengeberi*, & benevolentia Senatus Andegavensis, & *Boslevii* V. C., salarium annuum DC librarum Gallicarum ei constitutum est, ut in universitate literaria Andegavensi maneret. Vid. *Menagiana Tom. I pag. 164.* Postea tandem nactus est Professionem Juris, unde & in titulo Professorem Andegavensem se vocat. Eruditio ejus singularis planissime ex hoc libro apparet. Scriptus est adversus *Salmasium*, qui vehementer JCtos propter novam quandam de mutuo sententiam in se concitaverat. Scilicet *Salmasio* in libro *de Usuris* A. 1638, & postea in Præfatione ad librum *de Modo usurarum*, novam illam sententiam expromserat, *in mutuo non esse alienationem*, quam sententiam deinde in libro singulari sub titulo *Alexii a Massalia* A. 1640 uberius executus est. Quæ sententia cum JCtis mira & ipsi rationi Jurisprudentiæ contraria videretur, multi exstiterunt, qui *Salmasium* refutare conarentur, inter quos *Car. Annib. Fabrottus*, *Jo. Jac. Wissenbachius*, *Petrus Cunæus*, & *Cypr. Regnerus*. *Salmasius* iis respondit in *Disquisitione de Mutuo*, quam edidit A. 1645, & in aliis, ei annexis, disquisitionibus. Præcipui inter adversarios *Salmasii* fuerunt *Wilhelmus Goesius*, & hic *Sengeberus*, qui eum validissimis argumentis refutarunt. *Goesius* edidit *Vindicias pro recepta de mutui alienatione sententia*, quæ prodierunt simul cum *Specimine ejusdem controversiæ* Lugduni Bat. ex officina *Hadriani Wyngaerden* A. 1646, 8. Huic respondit *Salmasius* A. 1648 in *Specimine confutationis animadversionum Desiderii Heraldi Cap. 1 & 2.* Huic rursus opposuit *Goesius* animadversiones in quædam *Cap. 1 & 2* Speciminis *Salmasiani*, quibus varii vi-

Pag. 369.

ri docti ab ejus calumniis vindicantur, quæ tamen post *Salmasii* demum mortem, & sine nomine Autoris, A. 1657 Hagæ Com. apud *Hadrian. Vlaq*, 8, prodierunt. Quod ad *Sengeberi* Disceptationem attinet, *Salmasius* tanta cupiditate eam legendi flagrabat, ut, cum A. 1646 Parisiis operas exerceret, singula folia sibi mitti curaret ex typographia. Hac occasione scripsit *Salmasius* ad *Menagium*, vehementer se pupugisse acutissima illa dicteria *Sengeberi*, quanquam nullis contumeliis se lacessierit, & propterea se quoque defensionem sui dare velle. Sed ea responsio non est secuta, sine dubio quia *Salmasius* argumenta illa *Sengeberi* tam firma invenerat, ut nihil iis responderi posset, ipse vero sententiam suam tam sæpe mutaverat, ut ipse suo se gladio jugulasse videretur. Hæc est series hujus historiæ, quam *Meermannus* in Præfatione enarrat. Ceterum *Sengeberus* omnia argumenta *Salmasii* tanta eruditione refutavit, ut nihil ad ea responderi posset, in toto vero libro tanta Græcarum Latinarumque literarum scientia ostenditur, totque loca scriptorum veterum emendantur & explicantur, ut hæc disceptatio inter præcipua Juris Civilis scripta referri mereatur. Scribendi genus etiam ornatum, elegans, & suave, est. Quo rectius autem de totius libri bonitate judicium fieri possit, cum in compendium redigi non possit facile, Lectores nostros ad ipsum librum legendum ablegandos censemus.

Pag. 397. Hanc Disceptationem excipit *Josephi ab Exea & Descartin. Recitatio solennis ad Leg. un. Cod. de Palat. & Dom. Domin.* Prodiit Saragossæ A. 1655, 4. Natus est Autor hujus Recitationis Saragossæ, ibique Professor Juris Canonici fuit. Scripsit, judicio *Majansii Lib. V Epist. 5*, erudite quidem & jucunde, sed dissolute, multaque laude a *Franc. Ramos del Manzano* ornatus est, ut ipse in Præfatione ait. Atque in eo id reprehendendum est, quod delectus rerum justus desideratur. Nam multa ibi inveniuntur, quæ ad rem non pertineant, neque ipsam materiam illustrent; quod fere in omnibus Hispanorum JCtis animadvertimus. Explicat verba *Leg. un.* copiosa eruditione, & de Palatiis Principum & Regum, quæcunque

uspiam

uſpiam invenire potuit, uberrime, ſed nullo lectorum deſiderio, differit.

Eduardus Henryſonius, cujus duo Tractatus jam ſequuntur, Scotiam habet patriam. Jurisprudentiæ ſtuduit Biturigibus, præceptore uſus *Eguin. Barone*, ſed paulo poſt A. 1554 ipſe Jurisprudentiam docuit, quanquam nunquam Profeſſor fuit; nam ejus mentio non fit in *Catalogo Profeſſorum Bituricenſium*. Primo Tractatu, qui eſt Commentarius in *Tit. X Lib. II Inſt. de Teſtam. ordin.*, & prodiit apud *Vaſcoſanum* Pariſiis A. 1556, 8, animadverſiones proponuntur ad locum de ordinatione teſtamentorum. Maxime perſequitur verba ipſius textus, eaque explicat, quamvis, nihil ſingulare ibi nos animadvertiſſe, fateamur: eumque *Vigl. Zuichemus*, qui ad eundem Titulum commentatus eſt, ſuperare videtur. Pag. 423.

Alter Tractatus ejusdem *Henryſonii* pro *Eguin. Barone* adverſus *Anton. Goveanum* de Jurisdictione *Lib. II* Pariſ. A. 1655 apud *Vincent. Sardonas*, 8, editus eſt. Defendit præceptorem ſuum *Eg. Baronem*. *Anton. Goveanus* ediderat Toloſæ A. 1545, 4, *Commentarium ad Leg. Imperium Dig. de Jurisdictione*, cui *Eg. Baro* A. 1548 *Librum primum Quæſtionum publice tractatarum ad Dig. J. C.* oppoſuerat. Huic *Goveanus Libris duobus de Jurisdictione* adverſus *Eg. Baronem* A. 1551, Toloſæ, 4, reſponderat. Sed, quia *Baro* ante, quam huic Tractatui reſponderet, deceſſerat vita, diſcipulus *Baronis*, *Henryſonius*, accerrime defendit præceptorem hoc Tractatu, propterea edito. Sed hunc libellum multis illis & gravibus conviciis in *Goveanum*, eruditione longe ſuperiorem, commaculavit, &, quanquam nonnullos *Goveani* errores aperuit, ceteroqui tamen ei in iſto certamine non par fuit, præſertim cum ſententia *Baronis*, quam defendere ſuſcepit, autoritate careat. Ceterum adhuc quædam in hoc *Henryſonii* opere inveniuntur, animadverſione digna, e. g. *pag. 468* interpretatio *l. 2 C. de Pedan. Jud.*, & *pag. 470*, item argumentum pro autoritate librorum *Varronis* de Lingua Latina, ubi ſimul locus ejusdem Autoris de *multa* emendatur. Sed, quod ad argumenta & ſententiam *Henryſonii* attinet de Jurisdictione,

eam Lectoribus nostris apponere veremur. Infinita illa de Jurisdictione scripta tam scribentibus, quam legentibus, rei ipsius fastidium afferunt. Nullus fere est JCtus, quin de Jurisdictione novam & absurdam fere protulerit opinionem. Atque præsertim multæ illæ divisiones, quæ clariorem facere debebant notionem Jurisdictionis, rem obscuram fecerunt. Propositum fuit viris doctis, tradere rem certa via ac ratione, partiendo, ac dividendo, ex ipsis divisionibus deinde leges fuerunt explicatæ contorte. Sæpe putarunt Interpretes, reperiri novam speciem Jurisdictionis, ubi nulla esset, sed potius alia res, de qua jurisdictio exerceretur. Neque tempora recte definita sunt, cum tamen Jurisdictio secundum varia tempora varie mutata fuerit. Multæque aliæ causæ sunt, quæ obscuritatem atque ambiguitatem in hoc antiquitatis loco attulerunt.

Guilielmi Prousteau Recitationes ad l. 23 D. de R. J. quæ secundum ista locum obtinent, Aureliæ A. 1684, 4, primo prodierunt. Autor natus est Turonibus A. 1626, patre mercatore. Literis humanioribus tam in patria, quam Parisiis in Collegio Jesuitarum, imbutus, Aureliam missus est ad discendam Jurisprudentiam, quippe quæ ibi a celeberrimis JCtis doceretur. Post ea se contulit in universitatem literariam Pictaviensem, unde redux factus, Aureliæ Doctor creatus est, Advocatisque adscriptus. Deinde peregrinatus est, & denique Aureliæ A. 1668 Professionem Juris accepit, quam usque ad mortem, quæ A. 1715 secuta est, summo cum studio & laude ornavit. Reliquit Bibliothecam exquisitam, quam, ab *Hadr. Valesio* collectam, *Prousteau* a vidua ejus emerat, multoque auctiorem reddiderat. Post mortem suam eam publicari jussit in Monasterio B. *Mariæ* de bono nuntio Ordinis Benedictini ex Congregatione D. *Mauri*, ubi & hodie frequentatur. Quanta ejus fuerit in Jurisprudentia doctrina, patet ex hoc Commentario ad *l. 23 D. de R. J.* ubi materiam de præstatione culpæ & doli insigni ingenio & doctrina illustrat, ut optimis de ea re interpretibus esse æquiparandus videatur. Id tantum

repre-

reprehendendum, quod non nimis raro in interpretum opinionibus refutandis nimis est longus.

Continet porro hic *Thesaurus Eduardi Calderæ de erroribus Pragmaticorum Libros IV, totidemque Variarum Lectionum.* Hoc opus primum A. 1610, fol. Madriti, sed parum accurate, prodiit, postea iterum, sive potius idem exemplum cum novo titulo, Antverpiæ A. 1621 vulgatum est. Autor patriam habet Portugalliam, sed Salamanticæ, præclaris JCtis ducibus, *Anton. Covarruvia, Em. Costa,* & *Ario Pinello,* legibus studuit. Laudat quoque præceptorem *Joach. Hopperum Lib. III Cap. 4,* qui primo Lovanii Professor Juris, postea in Hispaniam Consiliarius Regis, Custosque sigillorum, vocatus est. *Caldera* magna cum diligentia veteres JCtos legit, inprimis Synopsin *Basilicorum,* quæ opera, cum insigni copia librorum Græcorum *Didaci Mendozæ,* in Bibliothecam Scorialem fuerunt illata. Admodum rara fuerunt scripta *Calderæ,* frustraque sæpe quæsita. Primus Tractatus de erroribus Pragmaticorum prodiit demum post mortem Autoris, & continet interpretationes certas & exquisitas variorum Juris Civilis locorum adversus errores Pragmaticorum, quod eodem quoque tempore, aut etiam antea, suscepit in opere majori *Anton. Faber.* Tractatus secundus Variarum Lectionum vivo adhuc Autore prodiit Valisoleti, A. 1595, 4, quibus in libris sæpe cum magna utilitate consuluit Græcas interpretationes, sed nimis longus est in refutandis erroribus Glossatorum. Ut exemplum commemoremus ex libro *de erroribus Pragmaticorum,* ostendit Autor *Lib. II Cap. 2, 3, Authent. Sacramenta puber.* a Pragmaticis falso explicari, partim ex historia temporum *Friderici,* partim ex argumento totius Constitutionis. Primum ostendit, quam falsa sit ea opinio Pragmaticorum, existimantium, hanc Constitutionem esse legem universalem, quæ ad omnes gentes pertineat, cum Imperator *Fridericus,* qui tunc Germaniæ imperavit, & ne quidem totam Italiam, nedum totum Occidentem, in sua potestate habuit, aliis gentibus nullas leges constituere potuerit, nec aliis, quam suis, civibus dare legem hanc possit videri voluisse, Nam *Fridericus I* dicit ipse ini-

tio Constitutionis: *Fridericus, Dei Gratia Romanorum Imperator semper augustus, universis, imperio suo subjectis*, & in principio Constitutionis sic ait: *Hac edictali lege in perpetuum valitura sancimus, ut omnes imperio nostro subjecti veram & perpetuam pacem inter se observent*, ut ex *Tit. IV Feud. de Pace tenenda*, ubi tota hæc Constitutio reperitur, patet. Porro in eo erraverunt, quod hanc Constitutionem ad omnes contractus & negotia minorum produxerunt, cum tamen tantum de pace tenenda agat, & constituat, ut ii contractus a minoribus sacramento confirmati teneantur, qui ad pacem inter cives tenendam pertineant, & ad reconciliandos cives, in coorta illis temporibus bella civilia implicitos. Nam, cum eo tempore provinciæ Imperatoris propter subjectorum discordias & seditiones maximo in periculo essent, ut ex dicta Constitutione apparet, & cives per seditiones multis facinoribus & sceleribus se obstringerent, omni modo huic corruptelæ succurrere hac constitutione, contractus, qui ad pacem tenendam pertinerent, confirmare, & conventiones minorum, sacramento confirmatas, validas esse, voluit, quia pacem sancirent, nisi fraus, aut vis, aut timor, subesset. Hoc ab Autore *sequenti Capite* uberius demonstratur, plures errores aperiuntur, & præsertim quoad jusjurandum. Sic & ostendit *prioribus Capitibus Libri IV* quosdam errores Pragmaticorum ex male intellectis *l. 23 C. de sacrosanctis Ecclesiis, Nov. IX, CXI*, & *CXXXI*, & *Auth. C. Quas actiones Cod. de SS. Eccles.*

Ultimum locum obtinent in hoc *Tomo Paganini Gaudentii de Justinianei Seculi moribus nonnullis Partes duæ. Prima Pars* edita est Florentiæ A. 1637, 4, *altera* ibidem A. 1638, 4, cum Exercitatione, *de Lege, quæ fœminas a successione repellit.* Postea rursus Argentorati a *Jo. Ottone Tabore* editæ sunt. *Tertia vero Pars*, ab Autore in Præfatione promissa, nunquam prodiit. Fuit Pisæ Professor Politicæ & literarum humaniorum, sed simul etiam insignem doctrinam Jurisprudentiæ habuit, quod tam hic liber, quam Expositiones juridicæ, *Tomo III Thesauri Jur. Rom. Ottoniani* insertæ, testantur. Ceterum multis egregiis scriptis maximam laudem consecutus est,

est. Hic Tractatus de moribus seculi *Justinianei* notus quidem est, sed admodum rarus, utileque negotium suscepit *Meermannus*, V. C. cum eum rursus publicavit. Non necesse esse putamus, argumentum hujus libri hic persequi, cum jam supra dixerimus, eum satis notum esse. Annexa Exercitatio *de lege, quæ mulieres a successione excludit*, non magni momenti est. Ad id redit, ut ostendatur, hanc legem non esse iniquam, & propterea *Gaudentius* multa commemorat talium legum exempla multorum populorum, in quibus tamen nihil singulare occurrit.

In hac disputatione finitur *Tomus tertius* hujus *Thesauri*. Index cujusque libri, ut in superioribus *Tomis*, servatus fuit, & omnino hic *Tomus duobus* prioribus est similis.

VINDICIÆ ACTORUM MURENSIUM PRO ET contra R. D. P. MARQUARDUM HERRGOTT, Genealogiæ diplomaticæ Augustæ gentis Habsburgicæ Autorem; seu, Acta fundationis Murensis Monasterii, tanquam ejusdem Genealogiæ fundamenta, fidei suæ asserta, solidisque rationibus, & documentis, sobrie & juste vindicata, opera P. FRIDOLINI KOPP, Monachi Murensis.

Typis ejusdem Principalis monasterii, per Joannem Casparum Hiltensperger, 1750, 4 maj.
Alph. 2 plag. 5.

Inter fontes, ex quibus Serenissimæ Domus Habsburgicæ origines & genealogia derivantur, eminent Acta fundationis Murensis monasterii, quæ Anonymus aliquis, Seculo duodecimo vivens, confecisse traditur. Cum autem Vir Celeberrimus, *Marquardus Herrgottus*, in præstantissimo Opere, quod *Genealogiam diplomaticam Augustæ gentis Habsburgicæ* inscripsit, de fide istorum Actorum dubitet, ejusque compilatorem inter recentiores ablegandum esse contendat; Reverendus *Koppius*, eidem monasterio quondam adscriptus, nunc autem Abbatis mune-

munere, & Principali dignitate, effulgens, hoc minime feren-
dum ratus, Actorum Murensium fidem contra *Herrgotti* obje-
ctiones stabilire, omni modo laboravit. Etiamsi vero in discu-
tiendis *Herrgotti* argumentis præcipue versetur; simul tamen
ejus se defensorem agere, libri inscriptio nos docet, cum,
Actis Murensibus vindicatis, Genealogia quoque ejus diploma-
tica, qua parte Actis illis præcipue innititur, firmum accipiat
fundamentum. In *duas* autem *Partes* universus liber divisus
est, quarum *altera* rationes *Herrgotti*, contra ætatem & au-
thentiam, actorum Murensium propositas, ita discutit, ut, ex-
posita semper adversarii sententia, ejus confutatio statim inse-
quatur; *altera* vero, utilitatem & necessitatem istorum Acto-
rum tantam esse, ut Genealogia Habsburgica non modo possit,
sed debeat, iisdem superstrui, demonstrat. Recentiores adeo
scriptores, qui insigne istis Actis statuerunt pretium, *Guilli-
mannum* puta, *Christophorum Hartmannum*, *Eccardum*, *Pe-
zium*, aliosque, neutiquam tantopere credulos fuisse, uti for-
Pag. 5. tassis *Herrgottus* sibi persuasit, Rev. Autor judicat. Neque
antiquitatis horum Actorum nimia veneratione inducti viden-
tur illi ipsi homines, cum nemo, ante annum 1142 eadem
fuisse conscripta, docuerit. Majorem se fidem hisce Actis
tribuere, quam quidem antiquis instrumentis, *Guillimannus*
fatetur. Quod etsi *Herrgotto* admodum insolens & teme-
rarium videatur, Rev. Autor tamen *Guillimannum* de-
fendit, eum de talibus documentis, quæ, nisi præsidiis Acto-
rum Murensium fulciantur, vel nihil, vel parum, probant,
cujus generis plurima deprehenduntur, verba facere, conten-
dens. Etiamsi vero omni dubio careat, in genealogicis Di-
plomata & Chartas majorem facere fidem, quam scriptores,
licet coævos, & ab omni mendacio alienissimos; eam tamen
regulam non valere, si scriptor aliquid certo affirmet, quod
Diploma aut omnino tacet, aut leviuscule duntaxat tangit,
7. Rev. Autor judicat. *Blondellum* autoritatem horum Actorum
primum in dubium vocasse, *Herrgottus* monuit. Illum vero
a studio partium non fuisse immunem, ipsemet adversarius
11. concedit, insuperque non satis cepisse verba Murensis scripto-
ris

ris *Blondellum*, Rev. Autor monstrare annititur. Acta Murensia primum A. 1618, cura, ut videtur, *Peirescii*, excusa sunt. In cujus editionis inscriptione cum plurimos, eosque sat crassos, errores invenisse sibi videretur *Herrgottus*, ad ejus quidem dubia Rev. Autor erudite respondet, nihilque ea ad fidem Actorum deprimendam facere, monstrat. Seculo duodecimo compilatorem istorum Actorum floruisse, ex sententia Rev. Autoris rectissime judicavit *Peirescius*. Et, quamvis Adversario varias ob rationes id videatur falsissimum, Rev. Autor tamen, *Peirescium*, simulque Acta Murensia, defensurus, in asserenda hac earum ætate totus est. Codices enim chartaceos Seculo duodecimo jamjam in usu fuisse, *Mabillonium* secutus, docet. Ex ductu literarum, qui in Codicibus adhibetur, de eorundem ætate non satis tuto aliquid posse constitui, contendit, cum Seculi duodecimi ac decimi tertii scriptura multis in rebus conveniat. Quamvis autem, Codicis, de quo agitur, antiquitatem Seculum decimum tertium non superare, largiatur; ævum tamen scriptoris ex ævo scripturæ æstimandum neutiquam esse, inculcat. Argumenta etiam, ex contextu contra hujus scriptoris antiquitatem depromta, & insignem profecto veritatis speciem habentia, summo cum labore convellere laborat. Sub Abbate nimirum *Ronzelino*, qui circa annum 1128 monasterio Murensi præfuit, vere Anonymum nostrum floruisse, declarat, locum, quem dissentiens *Herrgottus* producit, falsa interpretatione ab eo fuisse corruptum, monstrans. E pluribus denique Actorum Murensium locis, ex quibus aliquem speciminis causa affert, manifesta ætatis suæ vestigia compilatorem reliquisse, &, ubi de *Ronzelino* Abbate agit, res, sub ipso gestas, curatius, eoque modo, describere, unde, ipsi contemporaneum, & jam tum religiosæ Congregationis Murensis membrum, fuisse, haud obscure colligamus, Rev. Autor demonstrat. Quamvis autem, *Henrici* cujusdam *de Habsburg*, cujus nominis duo circa medium *Seculi* decimi tertii in Diplomatibus occurrunt, Murensis meminerit; simul tamen tertium quendam, *Henricum de Habesbergo* in charta anni 1127, ab ipsomet *Herrgotto* edita, com-

Pag. 13. 20. 31. 33. 34. 37. 46. 57.

E parere,

Pag. 59. parere, Rev. Autor nos docet, nomina *Habesberg* & *Habs-*
burg ſæpius inter ſe permutari, variis exemplis declarans.
60. Partem poſteriorem horum Actorum, quæ ab anno 1142 circi-
ter producitur, ab alio fuiſſe conditam, adeoque duos univer-
70. ſum opus agnoſcere Autores, contra *Herrgottum* urget. Sche-
ma genealogicum gentis Habsburgicæ, Actis Murenſibus præ-
fixum, ab *Herrgotti* objectionibus liberare tentat, eidemque
genealogiam iſtius gentis prorſus inniti, admodum operoſe &
75 ſeq. fuſe demonſtrat. Genealogiam Habsburgicam, a *Dominico*
Tſchudio, Abbate Murenſi, A. 1651 evulgatam, atque ex Actis
Murenſibus maximam partem hauſtam, Rev. Autor contra
152. *Herrgotti* objectiones defendit. Quamvis enim ſex dunta-
xat documentis antiquis, quæ in ſcriniis Murenſibus depre-
henduntur, uſus fuerit *Tſchudius*, eaque ad firmandam per ali-
quot Secula Genealogiam Habsburgicam non ſufficiant; reli-
qua tamen, in Actis Murenſibus quippe jam comprehenſa,
neutiquam *Tſchudium* neglexiſſe, urget. Immo vero, omnem
apparatum diplomaticum, a S. Rev. *Herrgotto* collectum, ad
conſtituendam iſtam Genealogiam non ſufficere, niſi Acta
Murenſia, quorum fides, iſtius Genealogiæ, ſaltem a tempori-
bus *Guntramni Divitis* usque ad *Adelbertum III*, fundamen-
161. tum ſit, conſulantur, urget. Et inde quidem, rectiſſime
Tſchudium egiſſe, quod genealogiam ſuam ex Actis Murenſibus
compleverit, Autor judicat, cum ipſemet *Herrgottus* ad iſtum
fontem confugere ſæpius fuerit coactus, etiamſi fidem com-
pilatoris labefactare irrito conatu moliatur. Errores hiſtori-
cos, quos in hiſce Actis ſibi deprehendiſſe viſus eſt *Herrgot-*
tus, tales neutiquam eſſe, & compilatorem Murenſem ex ipſis
illis obſervationibus, quas Adverſarius in Opere ſuo attulit, ab
166. erroris nota poſſe abſolvi, monſtrat. Exinde autem, Acta
Murenſia tantæ autoritatis eſſe, ut propria virtute, tam in Ge-
nealogia, quam Chronologia, plenam ac indubitatam fidem
186. mereantur, adverſus *Herrgottum* conſtituit. Et in eo quidem
altera hujus libri *Pars* occupatur, quippe quæ, utilitatem ac
neceſſitatem horum Actorum tantam eſſe, ut ſine illis genea-
logia Auguſtæ gentis Habsburgicæ pertexi omnino nequeat,
omnes-

omnesque, illum tramitem deserentes, in errorum devia prolabi, demonstrat. *Guntramnum Divitem* augustæ stirpis satorem agnoscunt Acta Murensia, &, qui presse eadem sequitur, *Tschudius*. Cum vero altius indagare origines illas *Herrgottus* tentaret, & chartam *Alberti*, Comitis Habsburgici, de anno 1186 deprehenderet, is quidem post *Guillimannum* dicere non dubitavit, *Hunfridum* queadam *Guntramni Divitis* parentem fuisse. Rationes autem, quas ex dicto instrumento ad sententiam suam stabiliendam *Herrgottus* protulerat, neutiquam rem conficere, Rev. Autor contendit, easque omnibus modis enervare studet. *Guntramnum* insuper istum stemmatis Habsburgici radicem esse, non aliunde, nisi ex Actis Murensibus, Pag. 200.
ex Rev. Autoris sententia, constat, & documenta, quæ hanc in rem congessit *Herrgottus*, quamvis nomen & divitias *Guntramni* prodant, de stemmate tamen Habsburgico altum silentium tenent. *Kanzelinum Guntramni* filium fuisse, ipsomet *Herrgotto* judice, ex Actis Murensibus patet. Quamvis autem, Diplo- 205.
mata iisdem Actis suffragari, eorumque adeo fidem augere, is dictitet; Rev. Autor tamen, eadem neque suffragari, neque contradicere, posse, cum hac de re omnino sileant, solisque adeo Actis Murensibus eam deberi notitiam, nos docet. *Ra-* 209.
debotonem Kanzelini filium, adeoque *Rudolphi I* Imperatoris majorem in gradu septimo lineæ rectæ, exstitisse, ipsemet *Herrgottus* ex Actis Murensibus unice didicit. Ita etiam ul- 227.
terius genealogiam Habsburgicam is pertexens, *Ottonem*, *Albertum*, & *Wernherum*, *Radebotonis* filios fuisse, *Wernherum* vero alium rursus *Ottonem* generasse, Murensibus Actis facem præferentibus, constituit. Quamvis enim simul literas 247.
Cardinalium S. R. E. pro immunitate Murensis Cœnobii, A. 1099, ut videtur, scriptas, nec non Diploma *Henrici IV* Imperatoris, quo libertas dicti monasterii confirmatur, ad sententiam suam stabiliendam *Herrgottus* adhibeat; in his tamen *Wernharii Comitis de Habsburg* mentio injicitur quidem, ejus vero parentes silentur, ut adeo ea ipsa documenta Actorum Murensium ministerio demum explicanda sint. Bullam aliquam *Innocentii II*, qua, jura & possessiones 249.

 mona-

monasterii Murensis confirmantur, & genealogia Comitis
Wernharii indicatur, vehementer læsam atque mutilam, evulgavit *Herrgottus*, quamvis, ex illo ipso documento stemma
istius Comitis eodem modo cognosci posse, ac ex Murensi-
Pag. 254. bus Actis, Rev. Autor non diffiteatur. Filium *Wernharii*
Ottonem II fuisse, eundemque patri in advocatia Murensis Cœnobii successisse, ac illud munus postea in *Adalbertum* fratrem devolutum esse, ex Actis Murensibus unice intelligitur,
cum chartæ, eam in rem proferri solitæ, dubium valde reddant
lectorem. Falso igitur & perperam ab *Herrgotto* pronuntiari, magis pro re diplomatica standum esse, quam pro scriptori-
263. bus, etiamsi coævis, Rev. Autor judicat. Quamvis enim duas
chartas, in quibus *Otto gloriosissimus & illustris Comes de*
Habsburg nuncupatur, in medium proferat *Herrgottus*; exinde tamen de patre *Ottonis* neutiquam constare, sed illum ex
264. Murensibus Actis unice cognosci, in propatulo est. *Ottonem II*
patrem *Wernharii III* fuisse, ex instrumento anni 1145 idem
Herrgottus declarat. Illud vero ipsum instrumentum partem
269. Actorum Murensium esse, Rev. Autor contendit. Reliqua
documenta, ab *Herrgotto* hanc in rem collecta, etiamsi *Wernherum de Habisburg* commemorent, gradum tamen genealogicum, de quo inprimis quæritur, non indicant, ipseque Acto-
274. rum Murensium adversarius, ex Actis illis gradum hunc genealogicum *majorem claritatem acquirere*, vel invitus fateri
275. cogitur. *Adelbertum III Wernheri III* fuisse filium, ex inscriptione cujusdam cornu, ex dente elephantis confecti, & ab
isto Comite in venationibus adhibiti, quod, cum olim inter
cimelia Murensia asservaretur, hodie in gazophylacio Vindobonensi reconditum est, intelligitur, cum *Adelbertus* ibi *natus Comes de Habsburg* dicatur. Notatu dignum hoc antiquitatis monumentum æri incidendum curavit Rev. Autor, eo-
282. que hic inprimis utendum esse urget, argumenta, ab *Herrgotto* hanc in rem adhibita, nullius ponderis esse, monstrans.
Adelbertum insuper hunc tertium *Rudolphi I*, Romanorum
Regis, proavum fuisse, ex charta, in monasterii Wettingensis
scrinio reposita, declaravit *Herrgottus*. Quod monumentum,
cum

cum inter omnia, quæ ille congessit, Diplomata maximum mereatur pretium, deque *Rudolphi* stemmate certissimam præbeat notitiam, Rev. Autor integrum cum Lectoribus communicavit. Quamvis autem solum illud mo- Pag. 284.
numentum satis superque demonstret, *Adelbertum III Rudolphi*, Romanorum Regis, proavum fuisse; *Herrgottus* tamen ex Actis quoque Murensibus illam confirmavit sententiam. Unde Rev. Autor merito miratur, Murensium Actorum fidem ab illo admitti, ubi illis carere poterat, cum eam iret labefactatum, ubi illis quammaxime indigebat. Filium *Alberti* 294.
fuisse *Rudolphum*, ex Murensibus Actis, ipsomet *Herrgotto* suffragante, intelligitur. Et, quamvis, alia quoque monumenta hoc indigitare, Rev. Autor non neget, de matre tamen atque conjuge istius Principis non aliunde constare, urget. Fi- 298.
lium *Rudolphi*, *Albertum IV*, ejusdemque prolem, quam inter tertius filius, *Rudolphi* nomine itidem insignis, comparet, ex monasterii Murensis monumento cognosci, nos docet. Do- 299.
cumenta insuper egregia, ab *Herrgotto* collecta, & huc pertinentia, cum Lectoribus communicat. Ad calcem libri Poe- 301.
ma aliquod in laudes *Rudolphi I*, Romanorum Regis, a quodam *Conrado de Mure* confectum, & in Codice MSto Bibliothecæ Murensis comparens, ipsaque Acta fundationis Murensis monasterii integra, exhibet.

ANTIDOTARIUM BONONIENSE, A COLLEGIO Medicorum novissime restitutum.

Ex typographia Lælii Vulpe, 1750, 4.
Alph. 3 plag. 14.

Ut salutis publicæ securitatem stabilirent Clarissimi Medici Bononienses, armamentarium supellectilis medicæ publicum sibi instruendum esse, arbitrati sunt, quo illi, qui artem faciunt, uti confidenter possent. Antidotarium vocant, quo termino collectio aliqua medicamentorum, omni causæ morbi oppositorum, indicatur. Hujus *Pars prima* pharmacorum antiquioris notæ, seu *Galenicorum*, & maximam partem ex ve-

getabilibus rebus compositorum, seriem sistit. Cujus *Partis Classis prima* de Electuariis inscribitur, illisque vel alterantibus, versus humorum vitiosas qualitates directis, vel evacuantibus. Præmittuntur mixtiones, quæ dolores sopiunt, atque uniuscujusque compositionis modus utendi sistitur. Succedunt formulæ, quæ roborandi, & infirmos reficiendi, vim habent. Deinde electuaria describuntur purgantia, tam illa lenientia, ex mitioribus, subdulcibus, acidulisque, rebus confecta, quam efficaciora, catholica dicta, ideo, quod humores omnes vehementius his educantur. *Classis altera* agit de pilulis, quarum formulæ ex omni Græcorum atque Arabum antiquitate colliguntur. Intersunt tamen etiam recentiorum inventa, atque ex nostris pilulis *Becheriana*. Seorsim exhibentur pilulæ opiatæ, quarum aliquis, si cautus est, usus, in hysteralgia, sputo cruento, aliisque fluxibus, inque tussi *ferina*, & renum affectionibus, esse solet. *Tertia Classis* Trochiscos sistit, alios itidem alterantes, eosdemque aromaticos, opiatos, alexipharmacos, alios purgantes, quales sunt illi ex agarico, calocynthide, & scammoneo, alios denique usui externo inservientes, pro collyriis, proque sordidis ulceribus mundandis. *Classis quarta* species exhibet, pulvisculos scilicet, ex alterantibus quidem aromaticos, præcipitantes, seu ex terreis concretis elaboratos, gummosos, refrigerantes, sudorificos, quibus intersunt etiam nostrorum aliqua inventa, pulvis absorbens *Wedelii;* expurgantibus autem illos, qui hiera picra atque cornachinus pulvis appellantur. His accedunt species pro usu externo variæ, pro epithematibus atque emplastris conficiendis. *Classe quinta* prostant dulcia, ex sacharo confecta, morsulæ, tabulæ, rotulæ, sive sint simplices, sive variam rem medicamentosam, anthelminticam, antifebrilem, anodynam, purgantem, contineant. *Classis sexta, septima, octava*, de conservis, conditis, Elæosachuris, Lohoch, Rob, & Syrupis, aliisque mellitis, inscribitur. Etiamsi enim sacharata ista pharmaca officinas valde onerant, sensimque acescunt ac corrumpuntur; illis tamen carere omnino in re medica haud possumus, certe puerilis & delicatulis opportunum sunt vel pharmacum, vel oblectamentum.

Majo-

Majorem illorum partem expunxerunt Clarissimi Professores, dum nostræ officinæ illorum mole adhuc laborant. *Classe nona* succi, vina, & aceta, prostant, formulæ scilicet, quæ vegetabilia, atque aliqua metallica, maxime ferrum, sistunt, vino infundenda, aliæque descriptiones infusorum ex aceto cum rebus aromatibus. Sequuntur *Classe decima* infusa & decocta, tam pro scopo diluendi, quam alvum laxandi, & infusorum quidem & decoctorum ea est diversitas, quod illa sola ebullione, hæc meraciore coctura, perficiantur, illa ex herbis & floribus, hæc ex radicibus etiam atque seminibus & lignis, esse possint. *Classe undecima* enumeratur emulsionum ex seminibus lactescentibus, atque gelatinarum, vel mucaginum, ex radicibus, aut rasuris partium animalium, materies. *Classis duodecima* aquas proponit, & collyria liquida pro usibus externis, ad exedendos ulcerum callos, proque oculorum inflammationibus. *Classe decima tertia* stant olea, per expressionem parata, atque illa, quæ coctura, aut infusione, solaque maceratione, præparantur. *Classis decima quarta* ordinat unguenta, nervina atque aromatica lenientia, caustica, desiccantia. *Classis decima quinta* exhibet emplastra mollia & cataplasmata aromatica, maturantia, rubefacientia, caustica, quibus solidiora magisque dura sunt ea, quæ *Classe decima sexta* exstant, scilicet cerata. Horum medicamentorum usu genus humanum ad ea usque tempora convaluit, & forte securius, donec per ignem dicti Philosophi novam artem, concreta medicamentosa solvendi, eorundemque principia variis iterum modis inter se combinandi, docerent, quæ propterea pharmaca chymica appellantur. Hæc *alteram Partem* hujus medicamentorum Thesauri perficiunt, cujus *Classis prima* tincturas exhibet, easque vel menstruo spirituoso, vel acido ex rebus vegetabilibus, atque metallicis, elaboratas, diureticas, diaphoreticas, anodynas: ex quarum classe etiam sunt elixiria stomachica, laxantia, succi, vegetabilium coctura parati atque inspissati, quæ extracta dicuntur. Hæc *Classe secunda* continentur: amara, anodyna, purgantia, eademque vel simplicia, vel ex pluribus vegetabilibus, simul coctis, præparata. Aquæ destilla-

tæ

tæ continentur *Classe tertia*, ex quibus efficaciores illæ sunt, quæ sui concreti odorem & saporem tenent; has simplices vocant, dum magis compositæ, maximam partem aromaticæ, ad spirituum indolem plus accedunt. *Classe quarta* prostant spiritus, 1) fermentationis lege ex succis plantarum excitati, ac rectificati, id est, suo plegmate orbati, atque deinde cum variis aromaticis sapidisque rebus mixti, & denuo destillati, quos spiritus propterea compositos appellant; 2) ex partibus animalium mollibus ac duris ignis tortura prolecti, id est, volatiles, eorundemque olea, quæ empyreumatica dicuntur, ac sal uniuscujusque volatilis; 3) spiritus acidi tam vegetabilium, quam corporum metallicorum. *Classe quinta* enumerantur olea stillatitia, quæ ex plantis maxime aromaticis destillatione fiunt, quibus annumerantur balsama, ex his confecta. Accedunt olea destillata illa, quæ una cum spiritibus volatilibus ex parte unaquavis animali, hunc in finem destillata, obtinentur. Dum sales *Classe sexta* enumerantur, proponuntur ab initio nativi & essentiales, tam minerales, quam vegetabiles, deinde illi, qui ignis tortura prolecti sunt, fixi, iique vel per se, vel cum acido mixti, seu neutri. Sequuntur sales semivolatiles, illi scilicet, qui, cum sublimati sunt, nihil tamen olent, nec dissipantur; reliqui sunt volatiles. *Classis septima* agit de floribus, magisteriis, fæculis, & calcibus, principiis scilicet concretorum, vel menstruo aqueo, unde *fæculæ*, vel acido, unde *magisteria*, solutis, atque illis, quæ per ignem in sublime efferuntur, quibus floribus ac sublimatis nomen est. *Classe octava* prostant præparationes metallorum, interveniente acido in varias formas redactorum, ex quibus medicamenta fiunt efficaciora, alia caustica, alia adstringentia, seu vitriola. Huc referuntur ea, quæ ex Mercurio, antimonio, & sulphure, vario modo mixtis, elaborantur, cinnabaris, æthiops mineralis, Mercurius corrosivus, sublimatus, præcipitatus, idemque dulcis diaphoreticus, atque alia. Accedunt his ex Antimonio confecta, ejusque calces, flores, vitrum, & tincturæ variæ. Annectuntur denique plurimæ rem medicam præparandi rationes, & ponderum mensura, simpliciumque doses, exquisitissime proponuntur.

AVIUM

AVIUM GENERA, AUTORE PAULO GERARDO MOEHRINGIO, Med. Doct. Sereniss. Pr. Anhalt. Servest. Consil. & Archiatro, Dynastiæ ac Civitat. Jeveranæ Physico Provinc. Acad. Imper. N. C. Sodale.

Bremæ, apud Ger. Guil. Rump, Auricæ, typis Tapperianis, 1752, 8 maj.
Plag. 4½.

Præfatio usum oblectationemque, quam vel homines, vel Philosophi, ex avibus capiunt, breviter recenset, hocque Ornithologorum studium excusat. Deinde in Præcognitis termini varii, quibus in describendis avibus Autor usus est, explicantur. Ita *pennas* non nisi remiges alarum caudæque appellat, *plumas*, quibus totum avis corpus vestitur, *plumulas*, quæ sub his latent. *Hornotinam* avem vocat, quæ, vix annum nata, plumas nondum mutavit, *adultam*, cujus color quotannis idem manet post primum defluvium plumarum, si præternaturales colorum aberrationes exceperis. *Cera* ipsi est tunica callosa, nuda, basin rostri cingens in accipitrum generibus quibusdam, & paucis aliis. *Palearia* sunt molles lobi, cutanei, penduli in gallinaceo genere, gallina Africana, &c. De mensuris monet Autor, adhibitum a se esse pedem Rhinlandium, Amstelodamo missum, cujus magnitudinem, si avium descriptiones publicaverit, in *Tab. I* est exhibiturus; divisus est pes in uncias 12, uncia quævis in partes 8. Pondus addidit, ne quid deficeret, quod *Willisius* & *Rajus* necessarium putarunt, sed ejus magna est varietas. Sequitur *Synopsis methodi*, quam exhibemus:

AVES sunt vel

I genubus antice plumosis, pedibus tenui membrana squamata tectis, & digitorum principio arcte inter se connexo, HYMENOPODES,

1) rostro elongato connexo, ad cristam compresso, PICÆ,

2) - - - - conico subito attenuato, PASSERES,

a) roſtri baſi ſubcylindracea, craſſa, in apicem acutum celerrime exeunte, *Craſſiroſtra*,

b) roſtro ſublato, baſi ſuperne triquetra, infra planiuſcula, *Tenuiroſtra*;

II genubus antice plumoſis, pedibus cute coriacea rugoſa tectis, DERMATOPODES,

1) roſtro adunco, uncungues, ACCIPITRES,

2) roſtro conico, apice incurvo, GALLINÆ,

a) digitis anticis, principio laxe conjunctis ope parvæ membranæ coriaceæ,

b) digitis penitus fere fiſſis, rudimento tantum membranæ inter anticos hærente,

III genubus antice nudis, alis ad volatum fere ineptis, fiſſipedes, curſores, BRACHYPTERÆ.

IV genubus antice nudis, pedibus cute molli coriacea tectis, HYDROPHILÆ,

1) marginibus oris dentato-ſerratis, ODONTO-RHYNCHÆ,

2) roſtro ſubovato anguſtiſſimo, arctiſſime ad latera compreſſo, PLATYRHYNCHÆ,

3) roſtro conoide connexo, ad latera compreſſo, palmipedes, STENORHYNCHÆ,

a) roſtro primum recto, dein adunco,

b) roſtro ſublato recto, ad extremum apicem parum curvo,

c) roſtro ſubulato recto,

4) roſtro conoide, ad latera compreſſo, palmipedes, membraceis digitorum diviſis, URINATRICES,

5) Sulco, vel foveola, ante nares, SCOLOPACES,

a) roſtro conico, ad latera compreſſo, ſemipalmipedes,

b) - - - fiſſipedes,

c) roſtro utrinque pyramidali trigono, fiſſipedes,

d) roſtro ſubulato teretiuſculo, ſemipalmipedes,

e) roſtro ſubulato teretiuſculo, fiſſipedes.

Hinc

Hinc *Classium* series hæc est:

Classis I Hymenopodes,
Ordo 1 Picæ,
2 Passeres,
Classis II Dermatopodes,
Ordo 1 Accipitres,
2 Gallinæ,
Classis III Brachypteræ,
Classis IV Hydrophilæ,
Ordo 1 Odontorhynchæ,
2 Platyrhynchæ,
3 Stenorhynchæ,
4 Urinatrices,
5 Scolopaces.

Ordines secundum rostrorum conditiones subdividuntur. Generum definitiones rostrum, nares, lingua, pennæ, digiti, ungues, &c. ingrediuntur. Subjiciuntur fragmenta generum, seu aves, quibus, cum non omnes illarum partes descriptæ habeantur, proprium locum Autor assignare in methodo sua non potuit. Reliqui Ornithologi diligenter citantur. Totum opus insigne Autoris ad aves cognoscendas adhibitum studium monstrat, & non potest non naturæ curiosis gratissimum esse.

MEMOIRES SUR LA STRUCTURE INTERIEURE de la Terre, &c.

hoc est,

DISSERTATIONES DE STRUCTURA INTERIORE Telluris, Autore ELIA BERTRAND, Acad. Reg. Scient. Pruss. Membro.

Berolini, 1752, 8 maj.
Plag. $9\frac{1}{2}$.

Post tot hac de re ſcriptores, ſupereſſe aliquid adhuc ſibi, Autor ratus, *prima Diſſertatione* ſua aliorumque obſervata exponit, quibus ratiocinia noſtra de interiore Telluris ſtructura, mutationibusque, quas olim ſubiit, innituntur. Hic tum ipſe ſollicitum exactumque obſervatorem ſe prodit, tum, alios ſe legiſſe aſſidue, & examinaſſe attentius, palam facit. Igitur quædam etiam falſo pro obſervationibus tradita refellit, ut *Woodwardi* ſententiam, ſtrata ſecundum gravitatis ſpecificæ leges ſibi ſuperincumbere, aut *Bourgueti*, altiſſimos montes inter tropicos a borea auſtrum verſus, & in medio zonarum temperatarum ab Occidente Orientem verſus, dirigi, verſus polos humillimos eſſe, item *Buffonii*, altiſſimos montes ſub æquatore reperiri.

Secunda Diſſertatione variorum hypotheſes recenſet & examinat, cui rei nos hic non immorabimur. *Tertia* propriam ſententiam exponit, qua evitaturum ſe credit reliquas prementia incommoda. Summa ejus huc redit: Phænomenorum, quæ foſſilia exhibent, tres eſſe claſſes: alia ad primitivam creationem pertinere, alia præcipue in ſuperficie telluris, aut in exigua profunditate, reperiunda, diluvio univerſali tribui debere; alia denique particularibus inundationibus, aliisque magnis mutationibus. Ut, neminem fore, credimus, qui in his generalibus non idem cum Autore ſentiat; ita, quæ phænomena ad quamlibet claſſem refert, ea ad hanc inprimis pertinere, ipſe optime defenſurus eſt. Cryſtalliſationes ſcilicet omnes, determinata figura præditas, & teſtaceis, cruſtaceis, piſcibus, vegetabilibus, analogos, mundo coævos exiſtimat, ſaltem qui in ſtratis non disruptis (virginea vocat) reperiuntur. Nam, hi lapides licet interdum aliis corporibus ſatis exacte ſimiles ſint, tamen, alibi vagam & imaginariam eſſe ſimilitudinem, conſtat. Hæc igitur foſſilia figurata creaſſe Deum, exiſtimat, ut cryſtallos determinatæ figuræ, ut talcum amianthum, fibris parallelis conſtantes, creavit. Huc e. g. bufonites & gloſſopetras Maltenſes refert. Nam, qui eas pro dentibus habent, ex iis quærit, cur aliæ animalis partes non reperiantur, ſed hi dentes ſoli, tanta copia accumulati. Si talia corpora in lapidibus duriſſi-

durissimis, Silice, Marcasitis, &c. reperiantur, facilius dici, existimat, petrefacta animalia esse, quam, quomodo in eum statum pervenerint, explicari. In arenis Bononiæ exigua Ammonis cornua innumera reperiuntur, vix lineæ diametrum habentia. Hæc si animalia sint, quærit, quæ iis similitudo cum illo alio 13 palmorum perimetri, quod *Valisnierius* memorat, aut cum illo Societatis regiæ Londinensis ponderis 4 centenariorum, intercedat. Deum creasse hæc, existimat, ut varia pulchritudine Telluris interiora ornaret.

Diluvium ex aquis cœlitus delapsis, disruptioneque terræ, deducit, unde confusa sint omnia in ejus superficie, hinc strata varia nova terræ formata, deposita ibi marina & terrestria varia.

Particulares causæ agunt, dum mare a littoribus recedit, flumina cursum mutant, & quæ similia sunt, notiora, quam ut, hic uberius recensere illa, opus sit.

Subjuncta est Epistola de diminutione maris, & montium origine, ad Cel. *Formeium*, Acad. Reg. Scient. Pruss. Secretarium. Occasionem ei dat, quæ contra Dom. *de Maillet*, cujus ex schedis sub nomine *Telliamed* scriptum de maris decremento & similibus prodiit, *Formeius* monuerat. Monstrat Autor, quas urbes *Herodotus* ad litus maris posuerat, ibidem adhuc reperiri, creditque, si mare ab una parte continentis retrocedat, aliam ab illo inundari. Deinde *Sulzeri* de montium origine librum laudat, sed pauca ei objicit, de quibus, cum utriusque Physici sententiæ essent recensendæ & comparandæ, pluribus dici hic non potest.

HIERONYMI DE RINALDIS, COM. ET NOB. S. R. I. Exercitationes mathematicæ.

Venetiis, apud Simonem Occhi, 1750, 4 maj. Plag. 8.

Non pro novis quidem omnino venditat, quæ hic in lucem emittit, Illustris Autor, ita tamen comparata credidit, ut ad augendam eam Matheseos, ad quam spectant, par-

tem, usumque ejus longius promovendum, possint facere. *Exercitatio prima* de *novis seriebus figurato-geometricis, earumque usu*, inscripta est. Satis superque huc usque exculta est theoria serierum figuratarum, hoc est, earum, quæ oriuntur e summatione progressionis arithmeticæ, hujusque iterum summatricium cujusvis ordinis, quasque ideo series *figurato-arithmeticas* dicere, fas est. Si nunc loco seriei primitivæ arithmeticæ sumatur geometrica, hujus summatrix dicetur *series figurato-geometrica*, & quidem *primi ordinis*, hujus denuo summatrix erit *secundi ordinis*, atque ita porro. In harum itaque naturam in præsenti inquirit Noster. Cum vero harum theoria nitatur illa serierum figurato-arithmeticarum; primo præmisit fundamenta, ad ipsarum naturam pertinentia, simulque ita comparata, ut maxime omnia contineant, quæ adhuc a variis Autoribus de ipsis fuere detecta. Quin imo latius patent formulæ Autoris nostri. Ita v. g. ea, quæ summas potestatum numerorum naturalium exprimit, in eo antecellit plerasque, ab aliis allatas, ut potestatum inferiorum summas haud necessario præsupponat. His positis, ad ipsas series figurato-geometricas accedit. Hic primo exhibet methodum generalem inveniendi summas indefinitas serierum ejusmodi cujusvis generis & ordinis, earum terminis vel successive, vel alternatim, sumtis, nec non omnium earundem potestatum. Dein, proposita progressione geometrica decrescente, summare docet generatim series fractionum infinitas, oriundas ex eadem progressione, membratim ducta tum in series geometricas crescentes, tum in series figurato-geometricas cujusvis generis & ordinis; ut & alias series infinitas fractionum, quarum denominatores crescant in progressione quavis geometrica, numeratores vero, sumtis eorum differentiis, vel primis, vel secundis, &c. in infinitum sint itidem tot progressiones geometricæ. Quæ omnia cum usum habere queant haud contemnendum in quadraturis & rectificationibus curvarum; speciatim ea applicat ad solutionem Problematis: Invenire naturam curvæ, cujus ordinatæ progrediantur ut numeri naturales, abscissæ

abſciſſæ vero ut numeri polygono-geometrici cujuscunque generis & ordinis.

Secundo loco comparet *Specimen Analyſeos in perſolvendis nonnullis Quæſtionibus Juris.* Sunt autem ex hujus tenoris: Data quacunque ſorte, ejusque ratione ad uſuram, ſi eo nomine ſtatis quibuscunque temporibus certæ exſolvantur penſiones, quæritur, elapſo toto tempore, quo ſors collocata fuit, quodnam incrementum, vel decrementum, ſubeat. Iisdemque poſitis, quæritur, quoto tempore ſors in data ratione augeſcat, vel decreſcat; quænam ſit ratio ſortis ad uſuram; & id genus alia. Hic vero notandum, ſortem, elapſo tempore, quo collocata fuit, magis magisque augeri, ſi penſio quælibet cædua ſtato tempore minor ſit uſura, ſorti per idem tempus debita: cum nempe hoc caſu portio quædam ipſius uſuræ convertatur in ſortem; contra vero imminui ſortem, usque dum penitus exſtinguatur, ſi dicta penſio major ſit uſura, quod ſcilicet portio tunc quædam hujus penſionis in diminuenda ſorte impendatur. Hinc itaque oriuntur duo caſus maxime generales, quos ſigillatim perſequitur Noſter. Ex alterius reſolutione derivatur ſolutio Problematis de emtione annuorum redituum ad vitam, quo nempe quæritur quantitas pretii ſtatim exſolvendi pro emtione annuarum penſionum vitalium; ex altero vero ſolutio alius Problematis, olim a Cel. *Jac. Bernoullio* in noſtris *Actis A. 1690 Menſe Majo,* preſſa tamen analyſi, propoſiti: Si creditor aliquis pecuniæ ſummam fœnori exponat, ea lege, ut ſingulis momentis pars proportionalis uſuræ annuæ ſorti annumeretur, quæritur, quantum ipſi finito anno debeatur. Silentio prætermimus varia Problemata ſpecialiora, e dictis generalibus ſolutionem nacta. Pag. 39.

Tertio denique ſiſtitur: *Elevatio poli Terræ S. Viti ad Tilaventum, e multiplici obſervationum genere determinata.* 56. Laudandum omnino cenſemus ſtudium Illuſtriſſ. Autoris, in lucubrationibus hiſce & obſervationibus collocatum; utque eodem ſcientias mathematicas porro ornare & augere pergat, optamus.

BENE-

BENEDICTI COLUCCII, PISTORIENSIS, DE DIScordiis Florentinorum Liber, nunc primum ex MS. Cod. in lucem erutus a LAURENTIO MEHUS, Etruscæ Academiæ Cortonensis Socio.

Florentiæ, apud Jo. Paulum Giovannelli, 1747, 8.
Plag. 6.

Etsi scriptores Historiæ Italicæ plura jam vasta volumina complent; tamen in regione, quæ & citius aliis literarum luce collustrata fuit, & bellis, aliisque rebus, ad memoriam insignibus, fertilis, multos adhuc in Bibliothecarum angulis latere, luce publica non indignos, quisque sibi facile persuadebit. Magnam igitur gratiam ineunt ab historiarum amatoribus, quicunque eos e tenebris suis in lucem memoriamque hominum revocant; qua, certe apud populares suos, haud indignus *Mehus* ponetur, qui ex Cod. membr. *Class. XXV n. LIV, in 8, Biblioth. Magliabech.*, cui nunc præest *Jo. Targionius*, V. C. *Coluccii* libellum eum, de quo agimus, primo in lucem edidit. De cujus vita pauca delibabimus, atque ea fere, quæ ex ipso libello desumta, & ab Editore eidem præmissa, sunt. Est igitur natus *Benedictus Coluccius* Pistorii, urbe Etruriæ. Neque tamen referendus ille est ad annum 1515, ut *Mich. Angelus Salvius Tom. III Histor. Pistor. Lib. XIX pag.* 79 fecit; sed æqualis fuit *Car. Arretino, Marsilio Ficino*, aliisque viris clarissimis, qui medio circiter Seculo XV Etruriam exornarunt. Ortus erat genere humili, quod ipse in declamationibus suis indicat. Primis literarum elementis imbuebatur in patria; cum vero magna oriretur dissensio inter *Lazzarum Palandrum* aliosque, & Panciaticos, missus Florentiam, a *Mariotto*que *Bartolino* egregie exceptus, totum se *Arretini* disciplinæ tradidit; post cujus obitum in rhetoricis *Timoth. Masseum* præceptorem habuit: obiit autem ille A. 1453, mense Aprili. Magnam simul familiaritatem cum *Cosmo Petro*que Mediceis, inprimis vero cum *Laurentio* & *Juliano*, *Petri* filiis, contraxit, unde rebus eorum mirum in modum studet. Quo facto, a *Pio II*, Pont. Max.

accitus

accitus eſt Mantuam A. 1459, ut *Principes ad impugnandam barbarorum immanitatem provocaret.* Hic adverſa valetudine oppreſſus, patriam repetiit, ac totam propemodum æſtatem in curanda ea trivit, cumque, nihil agere, turpe exiſtimaret, animum ad ſcribendum appulit. Deinde in municipio Collenſi Rhetoricen docuit. Scripta ejus, quorum ſex commemorantur, latent in Bibliotheca Florent. manuſcripta, atque hos ſibi indices præfixos habent: 1) *Lazareus*, in quo enarrat urbis Piſtorienſis initium, diſcordiarum ſemina, commemorabilemque ætatis ſuæ pugnam inter *Lazarum Palandrum*, & Panciaticos; 2) *Bellum XXX menſium, quod Florentini cum Piſtorienſibus geſſere*, quod vero utrum perfecerit unquam, non conſtat; 3) *de diſcordiis Florentinorum liber*; 4) *Oratio ad Ducem Calabriæ* (id eſt, *Alphonſum, Ferdinandi* Regis filium,); 5) *ad Magnificum Virum, Julianum Medicen, Declamationum liber*; 6) *Oratio ante lectionem Virgilii in municipio Collenſi.* Jam, quæ fuerint illæ diſcordiæ Florentinorum, (ipſe quidem in MSto dicit *Latinorum*,) de quibus exponit, videbimus. Duraverunt illæ ab Auguſto anni 1464, ad æſtatem anni 1468, quo eodem anno, vel paulo poſt, animum quoque ad ſcribendum libellum iſtum appuliſſe videtur.
Mortuo nempe *Coſmo* Medice, cum plures jam pridem *Ferdinandi, Alphonſi* Regis filii, regno, *Sfortiæ* Principatui, & *Coſmi* dignitati, fuiſſent infenſi, ac nunc etiam *Petri* Medicis ad- Pag. 3
verſam valetudinem contemnerent, *Angelus Azarolus*, ac *Dictiſalvi, Neronis* filius, clariſſimi ea tempeſtate equites, novas 9.
res moliri cœperunt, & *Lucam Pictium*, militaribus muneribus inſignem, ducem elegerunt. Ita, urbe in duas ſententias 10.
partesque diviſa, res ſeditionem ſpectare videbatur. Accidit 11.
eodem tempore, ut publica fides, ob inſignem æris alieni decoctorum multitudinem, penitus prolaberetur, ac ſumma inde egeſtas operis pauperibusque oriretur, *Pictius* vero, cum non 12
modo ſuas, ſed etiam amicorum, contumelias ulciſceretur, omnibus aſſentaretur, improbis aſyli loco eſſet; *Medices* contra nec ſibi, nec aliis, indulgeret, ſontes, uti faces execrabiles, arceret, nemini blandiretur, maledicta in ſe æquo animo pa-

teretur; pleriqúe, hunc deſerentes, tranſierunt ad *Pictium.*
Pag. 13. Cum parum igitur eſſet conſilii publici; quisque ſuarum partium ſtudioſos ad dignitates publicas evehere nitebatur, donec inter ſe ita convenirent, ut ſorte magiſtratus deſignarentur.
14. Sed *Soderini*, qui vexillum populi tum tenebat, a *Medice* defectio denuo civitatem miſcuit, ac cives jam chirographo ac
15. jurejurando utrique factioni adſcripti ſunt. Quo facto, cum VI id. Mart. *Franciſco Sfortia*, Januæ ac Mediolani Principe,
16. mortuo, *Galeazus*, filius, principatum aſſecutus eſſet, agere hic cum Florentinorum legatis, qui, luctus, ob mortem patris, teſtificandi cauſa, miſſi erant, de pecunia credenda cœpit. Popu-
17. lus, etſi XL millia florenorum Duci promiſerat, tamen, cum ejus ſummæ copiam non haberet, *Medices* tantum pecuniæ ex patrimonio ſuo ad Principem miſit, eaque re & adverſarios vehementer perterruit, & Italiæ Principes arctius ſibi devinxit.
18. Tendunt igitur ad *Petrum* 7 Cal. Sept. partis adverſariæ principes, utque, dum ſorte magiſtratus duceretur, rus peteret, eum hortantur, ſe idem facturos polliciti, ac jurejurando obteſtati, nihil quemquam in urbe, ſuo quidem conſenſu, interea moliturum. Quod cum ille ad corpus, & podagra & ſe-
19. ditione defatigatum, curandum feciſſet, nuntii undique advolant, in agro Mutinenſi ac Ferrarienſi magnam equitum ac
20. peditum vim ab adverſaria factione cogi: ac *Pictium* interea affinitate & amicitia ſibi conjunctos domi colligere, quod idem reliqui facerent. Memor igitur caſus *Pompeji*, non Bononiam, aut Mediolanum, ut adverſarii ſperabant, ſed Florentiam, properat *Medices*, ad quem ſtatim ingens multitudo, & civium, & ex agro, confluebat, ac palatium ejus, omni telorum
24. genere refertum, præſidio ſuo tenebat. Jam, cum prope diſcrimen res eſſe videretur, miſſis utrinque legatis, hortante *Angelo*, Epiſcopo Portuenſi, Cardinale, qui tum venerat in urbem, tandem comparatum eſt, ut ſorte ducerentur magiſtra-
25. tus. Quibus deſignatis, utriusque factionis principes in curiam veniunt, ubi tam graviter dicit *Laurentius Medices*, qui pro patre, tum ægrotante, in curia, cum fratre, comparuerat, ut reconciliaret *Lucæ Pictii* animum parenti. Quo facto, armata

mata multitudo dimittitur, quæ inprimis *Medici*, ob victus Pag. 26.
potusque copiam, qua ipsi prospexerat, mire favebat. Tum,
publico concilio habito, & octoviris creatis a *Prioribus libertatis*, 31.
quibus rempublicam populus commiserat, *Neronius*
eques, *Angelus Azarolus, Nic. Soderinus*, urbe clam excedunt,
Franciscus vero, *Neronis* filius, e fuga retractus, cædem *Medici*
paratam fuisse, aliaque, indicat, ac socios conjurationis
pandit. Quare omnes *Nerones, Azarolus, & Soderinus*, exilio 32.
mulctantur, exules vero veteres revocantur. Interea exules
nunc *Ferdinandum* Regem, nunc Mediolanensium Principem,
sollicitant. Quorum vero machinationes cum per legatos Florentinos
patefactæ essent; alii Romam, alii Venetias, petierunt: 35.
nunc Bergamensem, nunc Mutinensem, Ducem adierunt, atque
bellum summa ope pararunt, cujus ducem *Fridericum*,
Urbini Principem, creabant. Florentini autem, fœdere cum *Ferdinando*,
Rege, & Mediolanensi Principe, facto, suos etiam armabant, 37.
præsertim cum & Veneti, *Alex. Sfortia, Hercules* Mutinensis,
aliique, relegatorum nomine, militem scriberent. Occupant
igitur Florentini equitibus peditibusque loca, quæ descendentibus
hostibus essent propiora. Tum *Astorem*, qui 40.
Faventiam tenebat, ob fraudem & perfidiam, vexare etiam
incipiebant, ad quem defendendum cum omnis hostium multitudo
advolaret, uterque exercitus in agro *Astoris* castra posuit.
Erant a partibus hostium *Bartholomaus Bergensis*, dux belli,
Alex. Sfortia, Silvester, Jac. Piccinini quondam ductor, *Deiphebus,
Adversæ* Comitis filius, Foro-Livii Princeps, *Hercules*
Estensis, Mutinæ Dux, *Sforzinus, Astores*, cum duobus filiis,
& *Carolus, Braccii* ductoris filius: ad quos impugnandos venerant 41.
Rubertus Ursinus, ductor, ac *Taddæus*, illius nepos,
Fridericus, regalis fœderis imperator, *Rubertus Arragones,
Alphonsus, Ferdinandi* Regis ductor, *Galeazus Sfortia.* Jam,
cum magna quies satis diu utrinque fuisset, accidit, ut 8 Cal. 45.
Aug. calones quidam utriusque exercitus equos agerent potum,
ubi primo verbis, deinde vero manu, certatum est. Utrisque
suis succurrentibus, multi utrinque cæduntur, donec 46.
nox prælium dirimeret, ita tamen, ut haud obscurum esset, 47.

 Ruber-

Pag. 49. *Rubertum* hostes deleturum fuisse, si dies prælium protulisset. Hoc facto, quod reliquum erat æstatis, quiete consumitur, & metu magis, quam cæde, Italiæ nocetur. Tandem hiematum copiæ ducuntur. Interea Dovadola, oppidum pro-
51. pe Apenninum, ad hostes deficit; *Silvester* vero, cujus caput, in ejus oppugnatione, vulneratum erat, paulo post Ra-
52. vennæ obit. Tum *Ferdinandus* Rex Mediolani consilium habet principum & sociorum, ac, mari etiam premendum
53. esse hostem, decernit. Cum igitur magno apparatu bellum utrinque compararetur, ac tota fere Europa præterea belli incendio æstuaret, Teucrorum etiam imperator, (ita Turcos Autor vocat, ne novum adhibere vocabulum cogatur,) huc illuc classem ducens, maritimas oras vehementer perterreret; tandem *Paulus*, Pont. Max. legatos Romam arcessit, pacemque
54. imperat. Quæ dum aguntur Romæ, *Thaddæus* & *Alphonsus* Oriolum, munitissimum *Astoris* oppidum, vi expugnant, civesque hostium loco habent, *Ludovicus* autem, unus ex nobilibus Januæ, Sarazanam, ac multa oppida munitissima, Florentinis vendit. Legatis igitur Principum Romam iterum accitis, pacis tandem conditiones conveniunt, ac Pontifex ipse Cal. Maji eam promulgat, qui omni tempore medium se gesserat. Quo facto, lætæ supplicationes ubique, ac Floren-
64. tiæ potissimum, decernuntur, atque triumphus ibi habetur; *Alphonsus* autem, maximis muneribus a gente *Medicea* affectus, cum copiis in regnum paternum redit. Quæ legens, facile quisque perspiciet eorum temporum rationem & conformationem, non multum profecto ab illius ætatis moribus abhorrentem, cujus Poetarum princeps Βατραχομυομαχίᾳ sua quasi formam quandam dedit. Orationis genus, ut eo tempore, anxium est, nec satis grammaticis rationibus ubique respondet.

LAMBERTI BOS, LINGUÆ GRÆCÆ IN ACAD. Franequ. Profess. Antiquitatum Græcarum, præcipue Atticarum descriptio brevis, cui testimonia e fontibus, & quasdam observationes, adjecit M. JO. FRIDER. LEISNERUS.

Lipsiæ,

Lipsiæ, impensis Jo. Christ. Martini, 1749, 8.
Alph. 1 plag. 1.

Laude dignum est institutum, antiquorum potius supplendi perficiendique labores, quam intempestivo conatu libros novos cumulandi. Dum ita judicamus, non incusamus occupationes, quibus ad singulares ac providenter electos fines præsertim antiquitates accommodantur, & harmonia, verbi causa, quæritur, sive singularibus scriptoribus, aut descriptoribus, novum accenditur lumen; sed eos modo vituperamus, qui, nominis solum præfigendi gratia, tertium librum sistunt e duobus. Istos respicientes, jure nos prædicasse tanto majori putamus eos, qui *Feithianas* Antiquitates, quique *Cellarianas*, novo donaverunt habitu; nec eodem præconio Cl. *Leisnerum* volumus privatum. Exstant jam aliquot editiones opusculi *Bosiani*. Præterquam enim, quod primum, prætermisso scriptoris nomine, Franequeræ A. 1714, postea Bernæ & Francofurti A. 1716, hinc Hafniæ, vel potius Lipsiæ, A. 1721, ac denique Francofurti A. 1730, prodiit, vulgatæ quoque sunt editiones, illis recentiores, altera, quam *Julius Car. Schlagerus*, Professor tunc Helmestadiensis, adornavit Helmest. A. 1739, altera, Lugduni Bat. A. 1740 recusa. Singulas illas, quæ coram est, *Leisneriana* superat, ubi nullam enuntiationem prætermisit Editor, quam non adducto quodam aut ex ipsis fontibus, aut ex illis, qui de fontibus sua derivarunt, testimonio roboraret. Quanquam hic loci diligentiam *Car. Sigonii*, *Jo. Meursii*, *Jo. Potteri*, *Jo. Gothofr. Lackemacheri*, *El. Stæberi*, ceterorum, haud neglexit; laboriosus nihilo minus conatus mansit, severiorem præcipue legem in allegando quælibet accuratius, & diversas interdum editiones, secuti. Suscepit autem aliquid laboris *Gothofr. Augustus Lobeckius*, qui *quatuor* in *Capitibus* de nuptiis, de ritu nuptiarum, de divortiis, & adulteriis, haud mediocre tulit adjumentum. Plurium scriptorum testimonia juncta si quis superflua dixerit, ille sciat, ita non iis consuli, qui non omnibus forte sunt Autoribus instructi, sed æque certam juvari fidem, ac diuturnitatem, haud raro, vel apud plures Græciæ populos usum, perspici. Neque vero solius allegationis finibus cura *Leisneriana* cohiberi potuit,

tuit, quin ad dicta pariter examinanda progrederetur, & altiori perveſtigationi non pauca ſiſteret in dubium vocata. Si vota noſtra valerent, nec urſiſſet adeo bibliopola, ſupplementa quoque paſſim, & inprimis literarias antiquitates ſingulatim explicatas, hic inveniremus. At pertinet id forſitan ad eas occupationes, quarum nobis ſpem facit Vir Cl., a meritiſſimo lectorum plauſu magis excitandas. Denique, ſpeciminum loco, vel ea commendamus lectoribus, judicandi facultate præditis, quæ de tempore, quo Athenarum urbs illud acceperit nomen, de Diis duodecim magnis, de differentia Δαίμονας inter & Ἥρωας, de Diis ignotis, de donis offerendis *Apollini Delphico*, de pſychomantiis, de vocabulo ἄκτας, de reipublicæ per *Solonem* ordinatæ duratione, de δίκη παρανοίας, de ætate militari, de bolide, de ſtigmatibus militaribus, & hujus generis aliis momentis, obſervantur. Indicat hæc etiam Editor in Præfatione, manuque veluti comprehenſa ducit perveſtigaturos. Ut hic vel nonnihil opinionis noſtræ tanquam in medio poſitis momentis jungamus, opinamur, de Diis magnis Poetæ ſententiam omnes illos confirmare, qui duodecim illorum ſeorſim meminerunt, adeoque, dum cetera non, cum *Luciano*, de numero Numinum excludunt, prærogativam iis tribuunt, ut ἄνακτας δώδεκα *Pindari* ſileamus, ut & iisdem ſingulatim magnorum nomen adjungi, e. g. *Act. XIX*, 27. Δαίμονας, quaſi δαήμονας, etiam ſuperioris ordinis Numina dici, judicamus, adeoque vocabulum ambiguum jure videri. Sic & conciliari poterunt *pag* 23 illa, ubi *Bacchus* ad heroas refertur, & *pag*. 262, ubi, poculum ἀγαθοῦ δαίμονος in honorem *Bacchi* ſumtum fuiſſe, memoratur. Plura addi, inſtituti noſtri ratio haud permittit.

ELOGIUM P. ALEXANDRI POLITI, PROfeſſoris Piſani, Viri doctiſſimi.

Pater *Alexander Politus* a S. *Sigismundo*, in Ordine Scholarum piarum Sacerdos Profeſſus, patria Florentinus, Vir vitæ innocentia, morum candore, in res religionis atque Ordinis ſtudio, ſumma denique, eaque multiplici, ac reconditiori, eruditione, tota Europa clariſſimus, qui, cum incredibili ingenii alacrita-

critate, discendique ardore, consuetum studiorum curriculum emensus esset, adolescens adhuc humaniores primum literas, mox Philosophiam, & Theologiam, maximo plausu, & Ordinis sui gloria, variis in locis per annos 20 professus est. Eximio tamen Græcarum literarum, quas jam inde a pueritia probe cognoverat, studio atque amore incensus, cum ad nobiliora quoque eruditionis studia raperetur, gravioribus interioribusque disciplinis, nullo duce ac præceptore, inter adversos plerumque casus, constanter adeo feliciterque se addixit, ut in illustrioribus Europæ viris accenseri meruerit, nullique propemodum merito concedere censeretur. Hanc ille eruditionis, acerrimi judicii, castissimæque eloquentiæ, laudem, quam egregio opere *de patria in condendis testamentis potestate*, aliisque lucubrationibus, subinde evulgatis, sibi pepererat, mire confirmavit, ubi Græcos *Eustathii in Homerum Commentarios*, Latine a se redditos, doctissimisque observationibus illustratos, publici juris fecit. *Tres* tantum *Tomi*, forma majore, hujus tam eximii operis adhuc prodierunt, cui perficiendo non modo vigilias, labores, curasque, omnes impendit, sed instructissimam quoque Bibliothecam, optimis quibusque ac rarioribus libris refertam, admirabili prorsus industria atque ardore diligentissime comparavit, quam deinde vivens adhuc Domui professæ Florentinæ, impetrata a Romano Pontifice facultate, testamento legavit. Maxima sui ingenii doctrinæque fama, quæ ad exteras etiam gentes manaverat, *Joannem Gastonem*, Mediceum Magnum Etruriæ Ducem, impulit, ut ipsi honorificentissimum literarum Græcarum in Academia Pisana profitendarum munus, in quo immortali viro, *Benedicto Averanio*, pari cum laude, ac literarum incremento, succederet, A. 1733 demandarit. Quo ipse munere maximo eruditorum omnium plausu, ingentique tum Ordinis sui, tum Academiæ Pisanæ, gloria, annis undeviginti perfunctus est, illasque Orationes elegantissimas ad Academiam quotannis habuit, quæ iterum tertioque excusæ sunt. Eruditis quibusque viris principibus, illustrioribus Italiæ Academiis, Patavinæ præsertim, Romanis denique Pontificibus, apprime charus, a *Clemente XII* variis honoribus ac privilegiis decoratus est. Æquissimus vero opti-

optimusque literatorum hominum æstimator ac fautor, *Benedictus IV*, post plurima amoris ac beneficentiæ argumenta, quibus ipsum 30 fere annorum spatio cumulatissime devinxit, singula Ex-Generalium Ordinis, cui adscriptus erat, privilegia ipsi perhumaniter ac ultro concessit. Ea tamen ipse modestia fuit, ut in tanta doctrinæ gloria, nominisque celebritate, ab omni omnino fastu abhorreret, idque unum optare se diceret, ut, domesticis curis solutus, tranquillo otio frui posset, quo literarum studiis impensius vacaret, &, quæ in varios omnium gentium Autores paraverat, vel perficeret, vel divulgaret. Itaque, sepositis pluribus ac præclaris operibus, ac inprimis doctissimis illis in *Dionysium Evergeten Commentariis*, absolutis jam, ac imprimi cœptis, quorum Latinam interpretationem seorsim addidit, Romani Ponficis jussu atque auspiciis, *Martyrologio Romano* perpetuis observationibus illustrando, atque castigando, totum se dedit: quod eximium opus, edito jam *primo Volumine*, alacrius urgebat, totusque in eo erat, ut immortalibus hisce studiis de universa Ecclesia mereretur, cum tantis, tamque assiduis, studiorum curis, variisque corporis animique ægritudinibus, quibus tentari jam cœperat, debilitatus, 15 Cal. Augusti, postquam pœnitentiæ Sacramento expiatus sacrum incolumis celebrasset, in domo Ordinis sui professa, ad quam, editiones Operum suorum curaturus, se contulerat, virium languore & apoplexia sensim correptus, morbi & remediorum dolores, semper sui compos, patientissime toleravit. Tandem, extrema unctione roboratus, & Sacramentali absolutione, quam signis editis optare se ostendit, sæpius expiatus, 10 Cal. Augusti, inter piorum Sodalium suorum preces & lachrymas, placide pieque exspiravit. Splendidam funeris pompam, qua postridie elatus est, Academiæ Pisanæ Professores, plurimique ex singulis civium ordinibus, tanti Viri jactura permoti, præsentia, desiderio, mœstitiaque sua, decorarunt. Vixit annos 73, dies 13, ex quibus in Ordine suo annos 57, menses 5, dies 18, exegerat, immortali virtutum, doctrinæ, meritorumque suorum, memoria semper victurus.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCLIII.

JO. JACOBI MASCOVII COMMENTARII DE REbus Imperii Romano-Germanici sub Henrico IV & V ab anno 1056 ad annum 1125.

Lipsiæ, apud Jacobum Schuster, 1748, 4 maj.
Alph. 1 plag. 10.

Recensuimus *primum Tomum* horum *Commentariorum* in *Novis* hisce *Actis* nostris *A. 1745 Mens. April. pag. 193 seq.* Hoc jam *altero Tomo* res *Henrici IV* & *quinti* continentur. Famosa civilibus bellis, illaque, Imperium inter & Sacerdotium, contentione, Periodus, cujus possis historiam, verbis antiqui Autoris, appellare *opus opimum casibus, atrox præliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum.* Videntur ipsi adeo scriptores temporum illorum traxisse nonnihil ex turbis, quæ tum omnem Germaniam, Italiam omnem, lacerabant: tam incomposite, tam variis studiis, memoratas res animadvertas. Itaque, ut formam acciperet ac certitudinem rudis rerum, ex Annalibus, moles, opus erat intentiore cura, quam undique omnino ab Illustri Autore adhibitam videmus. *Liber primus* auspicia continet regni sub *Henrico IV.* Impuberis Regis, & regni, tutelam *Agnes* Augusta in se suscipiebat, administrabatque satis quiete, usque dum, demortuo *Alexandro II*, Pont. Max. discors Paparum electio pariter Italas res & Germanicas turbabat. Subductus deinde curæ maternæ *Henricus*, Wormatiæ imperium ipse adit. Erat autem

fere summa reipublicæ penes *Adalbertum*, Hamburgensem Archiepiscopum: qui, autoritate abusus sua, causa inprimis fuit discordiarum & plus quam civilium bellorum, quæ, orta a Saxonibus, omne imperium in præceps dedere. Eam rem nunc accuratius Cel. Autor tradit, causasque memorat, quibus maxime moti Saxones, *Henricum* armis aggrediuntur. Jam tum consilium exauctorandi Regem capessunt, ac *Rudolpho*, Sueviæ Duci, destinant regnum. Et, quamvis paulo post pax, inter utramque partem, coiret, ea tamen haud diuturna fuit. His turbis distentum *Henricum Salomo*, Hungariæ, ac *Demetrius*, Russorum, Reges, ipsis ut præsto sit, implorant. Ipse vero adversus Saxones ducit. Atque hic Ill. Autor, ut rationem veteris militiæ Germanorum illustraret, ordinem exercitus, atque aciem, describit. In prælio, tum ad Hohenburgum commisso, *Henricus* victor discessit.

Sed gravior mox ex Italia tempestas incubuit, provecto ad Pontificatum *Gregorio VII*, qui, autoritatem ecclesiasticam ab omni humano imperio liberam reddere in proposito habens, investituras laicorum severissime prohibebat. Quod, licet ad alios etiam Reges, maxime tamen ad Imperatorem, spectabat. Quo loco Ill. Autor præcipua, de investitura per baculum & annulum, quam, ex veteri more, Imperatores huc usque exercuerant, explicat. *Henricus* autem, pro tuendo Imperii jure, viribus omnibus decertat. Utrinque ad extrema itum. *Henricus*, in Synodo Wormatiensi, & Ticinensi, exauctorare Pontificem instituerat. Is *Henricum* non sacris modo prohibet, sed regno etiam privare aggreditur. Observatu dignum est, quod, cum Papa de novo Rege eligendo sollicitaret Principes, de consensu *Agnetis* Augustæ impetrando eos monuit. Tum flexa ad concordiam cum Papa *Henrici* consilia,& impetrata *Canusii* a diris absolutio,sed patrata nihilo minus *Rudolphi* quoque, Ducis Sueviæ, ab adversa factione electio, ortumque inde civile bellum, & cædes *Rudolphi*, describuntur. Invalescentibus regiis partibus, celebrata Moguntiæ ac Brixinæ Synodo, exauctoratur *Gregorius VII*, inque locum ejus *Guibertus*, Ravennæ Archiepiscopus, qui nomen

Cle-

Clementis fumfit, Papa defignatur. *Gregorius* autem, quem novum nunc regni æmulum objiceret *Henrico*, follicitus, formulam jurisjurandi ad fuarum partium Principes in Germaniam mifit, ad quam novum Regem adftringi vellet, in qua ad Imperatorum *Conftantini* ac *Caroli M.* fictitias donationes provocatur. Et fuppofititiis etiam Decretalibus primorum Pontificum ad evehendam poteftatem ecclefiafticam uti, nulla dubitatio fuit. Rex itaque denuo in Italiam movet, afferturus armis dignitatem fuam. Legiffe hic juvat res, tum in Hetruria geftas, ubi Comitiffa *Mathildis* totis viribus pro *Gregorio* pugnabat, ternamque Romæ obfidionem, utque tandem in dicta urbe *Clemens* folenniter Pontifex inauguratus, *Henricum* paulo poft Imperatorem, *Bertham*que conjugem, coronaverit.

Gregorii tamen artibus effectum in Germania, ut *Hermannus* Lucemburgicus Rex, adverfus *Henricum*, eligeretur. Attingit hic Ill. Autor argumenta, quibus tum caufa Imperii difceptata fuit. *Wezilo*, Moguntinus Archiepifcopus, caufam defenfurus *Henrici*, eum, ut fpoliatum, ante omnia effe reftituendum, ex Canonibus Ecclefiafticis evincere ftudet. Contra vero qui nitebatur, *Gebhardus* Salisburgenfis, fententiam Papæ, tanquam falli & retractari nefciam, modis omnibus probabat. Inter hæc *Henricus* in Curia Moguntina *Vratislao*, Duci Bohemico, circulum aureum, & reliqua regni infignia, dedit, quod regalis in Bohemia dignitatis initium fuit.

Poft illa inprimis *Conradi* Regis, a patre *Henrico* Imperatore, defectio memoratur: impellente maxime *Urbano II*, Papa, & Comitiffa *Mathilde*. Ab eo Pontifice inftitutæ primum funt expeditiones cruciatæ. Quarum primam, A. 1095 fufceptam, dum defcribit Ill. Autor, fimul conditi tum novi regni Hierofolymæ, atque Ordinis militaris S. *Joannis*, initia recenfet: obfervatque, ab hoc bello abhorruiffe partem Germanorum maximam.

In Germania caufa Imperii & Sacerdotii, his temporibus, adeo fcriptis eft agitata. Ex illis Autor Cel. laudat opus de unitate Ecclefiæ confervanda, quod *Walleramo*, Epifcopo Num-

burgensi, tribuit. Imperator ipse, de concordia in Imperio instauranda sollicitus, cogitabat, qua tandem æquabili ratione transigere cum *Paschali* Papa queat, sed interea alter filius, *Henricus*, in locum *Conradi* nuper Rex constitutus, insurgit adversus patrem, captumque fraude mala eo adigit, ut in Conventu Moguntino deponeret regni insignia. Sic demum Ill. Autor extrema Imperatoris, Leodii, quo se receperat, fato functi, & sepulturam ejus, persequitur, non sine elogio Principis, cujus præclara animi & corporis decora laudant, etiam qui alias minime ipsi favent.

Jam, ubi ad *Henrici V* historiam Autor procedit, eadem diligentia, eodem lucido ordine, omnia expedit. Lectu inprimis digna sunt, quæ de Italico novi Imperatoris itinere memorantur. Scilicet Romam *Henricus* tendebat, ut, ritu solenni, inauguraretur a Pontifice, præsensque cum eo feralem, super investituris, contentionem componeret. Transactum semel atque iterum, nullo effectu: usque dum, post tot discrimina, Wormatiæ tandem illud toties dictum Concordatum inter Imperatorem atque Papam initum fuit. Hoc ipsum Ill. Autor accuratius expendit. Ita demum sopita tot annorum controversia, quæ cuncta huc usque miscuerat. Sed, ne tota, inter bella & strages, hæcce historia versari videatur, juvabit attendere ad instituta, quæ apprime humanitatem decent, quibus ad divini Numinis cultum, ad juris & æqui observantiam, ad literarum denique disciplinam, mortalium animi formantur, quæ, licet rara illo seculo, solerter Commentariis hisce inseruntur. Talia sunt sacrorum Christianorum propagatio, religiosæ vitæ varia species, & ipsa denique instaurata, sub *Henrici V* imperio, Juris Civilis studia. Utque totum appareret seculi ingenium, mores etiam, quibus publice privatimque vivebatur, in fine *Libri III* adumbratos conspicimus. Inprimis autem ad intelligentiam Juris Publici illorum temporum faciunt, quæ de formula Imperii Romano-Germanici, de Patriciatu Imperatorum, de Curia, Placitis, de officiis regni & Palatinis, traduntur. Nec omnino feudalia instituta prætermissa sunt; videasque diligenter annotatas Impera-

pera-

peratorum de feudis leges, investituras, primum in scripturam redactas, feudorum sceptri origines, servitia Vasallorum in Curia, & Placito, conditionem Ministerialium, totius denique feudalis militiæ rationem. In hos usus scribi nostra historia debebat, ut illi dignitas sua constaret.

MEMOIRES CONCERNANT CHRISTINE, REINE de Suede.

id est,

COMMENTARII, AD CHRISTINAM, SUECIÆ Reginam, attinentes.

Tomus I.

Amstelodami & Lipsiæ, impensis Petri Mortierii, 1751, 4 maj. Alph. 3. plag. 6.

Illustri *Arkenholzio*, Operis Autori, ex usu publico visum fuit, sese accingere ad vitam *Christinæ* exponendam, nec ulli is labori pepercit, destinationi tam præclaræ, & ad omnem ætatem commemorabili, satisfacturus. Ceciderunt ei, civibusque orbis exculti & eruditi per eum, omnia ad votum & sententiam. Superat labor ipsius invidiam, excitat admirationem, non exspectat, sed reportat, laudes amplissimas, tantoque dignissimas instituto. Et quid tandem? Vir honestus, *Mortierius*, noluit quidquam accurationis & ornamenti præstantissimo operi deesse, quod eapropter numeris omnibus absolutum censeri debet. Ipsa jam argumenta hujus *Voluminis*, non sine voluptate, lustrabimus. Scopus consiliumque Autoris in eo versatur, ut *Christinæ* vitam privatam, literariam, immo regalem, nec non literariam Sueciæ & Germaniæ id ætatis, exponat. Adjecit tractationi universæ opuscula duo eruditissimæ Principis, adhuc inedita. Superstruxit enuntiata singula epistolis, libris evulgatis, monumentis autographis. Illustravit ea annotationibus historicis, politicis, criticis, ac literariis. Numorum icones, & in fine Appendicem argumen-

torum, ad demonſtrandam fidem, & ad lectorem inſtruendum, aptiſſimorum, Commentario ſubjunxit. Præfatio indolem propoſiti copioſe ediſſerit. Regnum *Chriſtinæ* miro candore ſtiloque eleganti complexus fuit *Puffendorfius*. At ſecus ſentiendum eſt, quamprimum ſingulares *Chriſtinæ* actiones, ad regnum haud referendas, conſiderare libet. Huc ſpectant ejus educatio, amor in ſtudia, profectus amplifſimi in linguis, favor in eruditos Europæ univerſos, commercia cum eis literaria, ingenium ſcientiis omnibus ſufficiens ac vaſtiſſimum, facultas prompte nitideque pronuntiandi cogitata interventu variarum linguarum, multitudo elogiorum, in eam undecunque confluentium, munificentia in doctos ac ſapientes viros. Huc ſpectat ejus remiſſio & a ſcientiis recedens ardor, cui ſucceſſit luxus & ſplendor affectatus, modum excedens, ex quo quidam umbratici & ventoſe eruditi homines in mentem ejus transfuderunt decreta, a virtutis tramite ſevocata, & laxitati diſciplinæ moralis congruentia. Hi animo Reginæ eripuerunt omnem fere religionis ſenſum, ut eam allicere poſſent ad externam cujuscunque religionis figuram, ni potius ad voluptatis non onerofæ delicias. Vita regali ipſa exemplo raro ſe abdicavit, delegitque privatam, domicilio uſa nunc in Belgio, nunc in Italia, nunc in Gallia, nunc in Germania, nunc in Suecia, in quam bis revertit, nunc Romæ, ubi debitum naturæ perſolvit A. 1689. Hæc ſunt capita, quibus diſtinguitur vita Reginæ, & quæ nemo antea curate executus fuit. Plerique libri, quibus vita *Chriſtinæ* exponitur, ſcatent bile & calumniis, licet non pauci in lucem exierint. Recenſet eos Noſter, ac notis
Pag. 7. ſuis illuſtrat. Juvat inter has legiſſe judicium de Abbatis *d'Artigny Commentariis literaturæ novis*, & aliorum Gallorum ſcriptis, in *Chriſtinam* iniquioribus. Literis Reginæ, ex tabulariis Sueciæ regiis ac aliunde ſecum communicatis, Autor diluit calumnias eorum, qui Reginæ male voluerunt. Adjunxit ejusdem Epiſtolas, hinc inde e libris, forma deſcriptis, deſumtas. Excrevit nunc numerus univerſarum ad

220,

520, non una, sed quinque linguis, sigillatim scriptarum. Mortem tragicam *Monaldeskii* attingit, fabulis maculatam, in *Christinam* effictis. Quotquot de vita *Christinæ* exstant scripta, a Gallis fere fuerunt profecta, ac inde in sermonem Germanicum, Anglicum, & Batavicum, vel potius Belgicum, sunt conversa. Mirifice dissentiunt scriptores Galli. Nam aut in laudes nimias effunduntur, aut calumnias, in contrarium sparsas, diffundunt. Illi a Regina fuerunt egregie excepti, hi vero anticipatis opinionibus laborarunt, rati, Reginam, quæ se solii majestate exuerat, non amplius in degeneres animadvertendi facultatem habere, nec, spe sua delusam, Gallias æque ac olim admiratam esse. Gravis præcipue in Reginam est liber Gallicus, *l'Histoire des Intrigues galantes de Christine*, ad mortem Reginæ usque procurrens, & salibus mordacissimis refertus. Annotationes, Epistolis Reginæ a Nostro subjectæ, actis publicis & manuscriptis, ætati Reginæ æqualibus, innituntur, notis historicis affluentes, suoque sese pretio commendantes. Disseruit idem de statu literario, qui Sueciam tempore *Christinæ* illuminavit, laudabili instituto. Non id agit, ut omni ex parte heroem suam admiretur, vindicet, & approbet quæcunque ejus facta. Veritati, æquitati, &, quantum fieri potuit, reverentiæ, pretium deputavit præcipuum, non inficiatus ipse, nonnulla inesse Reginæ factis, quæ non sint æqualiter gloriosa. Ad *Monaldeskii* mortem quod attinet, contendit, eam jure illi fuisse illatam. Factum ipsum haud approbat, docens simul, mortem illam tragicam non a Reginæ jussu, sed aliunde, profectam fuisse. Amores Reginæ, a scriptoribus divulgatos, dijudicat ita, ut speciei externæ rationem habeat, eamque minus culposam esse ostendat. Provocat ad testimonia *Montpensieriæ*, & Dominæ *de Motteville*, quæ, castitatem Reginæ in Gallia inviolatam stetisse, non negarunt. Romæ Reginam caste vixisse, refert Autor scripti: *l'Etat du Siege de Rome, Tom. I pag. 93 seq.* Materies ignominiæ, in eam passim effusæ, profluxit ex vita ejus & indole prorsus extraordinaria. Ipsa enim fœminas ætatis suæ per omnem Europam, inprimis doctas, dotibus naturæ & ornamen-

Pag. 10.

mentis ſcientiarum antecelluit. Laudata fuit ipſa a ſuis, antequam religionis normam mutaret. Poſtea ipſa his minus digna viſa fuit admiratione, & ab eis, ad quos tranſierat, ob animi excelſitatem liberaliorem haud diu magni facta. Ipſa non ſatis fuit cauta & moderata, cum vitam ageret privatam. Indulgebat potius uſitatæ rationi, cui in ſolio
Pag. 19. aſſueverat. Ex quo Bruxellis clanculum religionis Romanæ profeſſionem ediderat, miniſtros adſciſcebat, ex variis nationibus collectos, quorum varia ſtudia & conſilia erant perpetuus invidiæ, proditionis, & calamitatum, fomes. Prædixerat mala, ex abdicatione regni manatura & redundatura in Reginam, ſummus ille literator, *Nicolaus Heinſius*, literis, ad eam datis A. 1654, quæ, *Heinſium* fuiſſe virum pragmatice doctum, & vere magnum, glorioſe indicant. Prædixerat incommoda illa æque Cancellarius magnus regni Sueciæ, *Oxenſtirnius*. Quamdiu ipſa donis ornare valuit viros gratia dignos, immo paraſitos, laudibus omnium fuit ornata.
21. Vix ipſa ſcenam mutaverat, cum nemo non, licentioſe ſæpius, eam minimi faceret, vituperaret, inſectaretur. Majeſtas regia maximus eſt elogiorum oceanus,& contra contemtum murus omnino aheneus, ſi ab ea proficiſcuntur munera in meritos ſic temperata, ut perpetuo non minor præſto ſit beneficiorum cumulus, unde dona poſſunt effluere. Ad poſtremum & aliquot annis ante abdicationem *Chriſtina* ſuos & regni theſauros exhauſerat, ut præconibus ſui avidis largam & munificam ſe præberet. In eo conveniunt omnes viri egregie docti, in *Chriſtinæ* Epiſtolis ſingulis dominari caſtitatem ſermonis, notionum nitorem, & enuntiationum vitam. Optandum profecto eſt, ut illi,quorum in ſcriniis ac tabulariis ineditæ latent Epiſtolæ, a *Chriſtina* ſcriptæ, eas ad Ill. Autorem Caſſellas mittant,his cum magno republicæ literatæ commodo uſurum. Utinam *Volumina XVIII* manuſcriptorum & chartarum *Chriſtinæ*, quæ in Bibliotheca purpurati *Ottoboni* Romæ aſſervantur, uſibus Illuſtris Viri ceſſiſſent! Utinam ipſe in manibus habuiſſet manuſcriptam hiſtoriam, quæ eſt ſic inſcripta: *l'Hiſtoria di Chriſtina Regina di Suezia par le P.* Palla-

Pallavicini. Potuit enim *Pallavicinus* nosse artes, quibus Pag. 25.
sodales ipsius, iique Jesuitæ, *Christinam* ad decreta religionis
Romanæ amplexanda perduxerunt. Non habuit Noster rationem panegyricorum omnium ac formularum dedicationis, quibus laudes *Christinæ* comprehenduntur. Inseruit tractationi suæ Orationem Latinam, qua *Malagonellius* defunctam *Christinam* prosecutus fuit. Inseruit ei præstantissimam Odam Senatoris *Vincentii Filicajæ*, qua munificentiam *Christinæ*, sibi & filiis suis duobus exhibitam, extulit elogiis haud injustis. Appendicem, plura daturam, quis non expetet votis ardentissimis? Non omittimus, Autorem distribuisse literas sub finem Operis secundum seriem annorum, & præterea suppeditasse numismatum iconas, quæ *Christinam* præferunt. In acceptis ea refert *Reinboldo Berch*, Præsidi Collegii antiquitatum Sueciæ. Exhibet haud minus nomina Autorum, quorum libris est in rem suam usus, additis editionis annis, nec non syllabum chartarum & actorum manuscriptorum, e quibus ipse nonnihil depromsit, & præterea indicem rerum & personarum. Hæc ad Opus omne spectant. Hæc ad Præfationem. *Volumen* hoc *primum* Tom. I.
aperiunt duæ epistolæ, quas *Christina* tenella ætate ad Patrem dedit, vix sex annos nata. *Christina* primam vidit lu- Pag. 3.
cem A. 1626, 8 Dec. Falso definivit *Galeacius Gualdus* 16 Dec. Nostro haud improbabile videtur, *Gustavum Adolphum*, ejus, *Christinæ*, matrem, cum affine *Joanne Casimiro*, 5.
Patavium lustrasse, ac propiores Pontificiorum terras, properante tamen gradu. Addit huic itineri duo alia occultatæ dignitatis. Non vacat suscipere investigationis horoscopi, quo *Gustavus Adolphus* usus fuit nascens, repetitionem. Non 7.
videtur Noster assentiri eis, qui loricam Regis illius Viennæ, & gladium ejusdem in hæreditate *Rinkiana*, quærunt. Epi- 11.
taphia *Gustavi Adolphi*, in charta, lapide, & ære, memorabilia, prætervehimur. Id sane ex epistolis Regis ac documentis fide plenis Autor certissimum reddidit, quod plerique negant perverse, Regem fuisse pium, eruditum, prudentem, intrepidum, nec, Germaniam ingressum, resp exisse aliud quidquam,

Ii nisi

nisi ut libertatem conscientiæ, certe dominatus, ordinibus Germaniæ restitueret. *Oxenstirnii*, Cancellarii Sueciæ, autoritas domi & intra Germaniam, per *Christinam* tandem imminuta, e
Pag. 24. monumentis rarissimis hoc loco exponitur. Adjungitur tute-
27. la *Christinæ*, per primores regni quinque administrata. Educationem & institutionem reginæ sapienter expedivit *Joannes Matthiæ*, Theologiæ Doctor. Proceres regni eam instruxe-
31. runt sapientissime A. 1635. Autor inseruit Commentariis suis epistolas *Christinæ*, circa id temporis scriptas. Fata Ducis Vinariensis, *Bernhardi*, ultima, & *Baneri* necem, Hildesiæ
53. acceptam, edisserit curate. Exprobrationes Jesuitæ *Bougeant* Gallicas refellit. Matrem Reginæ, ad Danos elapsam, & bellum, inde Suecos inter & Danos conflatum, exponit solicite.
59. *Christina* jam tum A. 1645 rebus publicis moderandis summam adhibuit prudentiam. Testantur eam literæ ejus, quas
74. dedit Ill. Autor. Ad *Grotii* vitam & mortem attulit perquam memorabilia monumenta. *Baneri* successorem belli-
89. cum, Comitem *de Torstenson*, laudat. *Cartesium*, tædio mor-
91. tuum, attingit. *Adlerum Salvium*, ex infimo genere ad supremos honores per *Christinam* evectum, copiose repræsentat, non omissis *Salvii* cum *Joanne Oxenstierna*, qui simul cum illo erat legatus ad pacem Westphalicam sanciendam,
98. liticulis. *Gustavum Adolphum*, Suecicum in Germania belli
101. moderatorem, propius intuetur. Propensionem *Christinæ* in res Gallorum enarrat. Pacis, A. 1648 compositæ, momen-
138. ta aliquot illustrat. *Oxenstirnii* & *Salvii* indolem describit. Res Poloniæ, A. 1648 funesta *Vladislai* Regis morte afflictas, explicat. Pax Westphalica tunc nondum penitus coierat. *Carolum*, Principem Poloniæ, adjuvit commendatitia
148. ope *Christinæ* sub initio, tandem *Casimiri*, qui illius Principis erat frater, partes cum Gallis sustentavit. Hic eodem anno, & quidem Decembri, in Regem fuit electus. Adduntur a Nostro momenta affinia. Suecos pacem Westphalicam præcipitasse, & ita sibi defuisse, ne plura inde sibi emolumenta compararint, multi ea ætate existimarunt. At argumenta *Christinæ*, quæ commemorantur, pondere suo valuere. Consulta-

ſultatum fuit, an copiæ Succorum Germanicæ eſſent Regi Galliarum tradendæ. Interceſſit nonnihil moræ ex cauſa pacis, executionem exſpectantis. *Innocentii X* Bullam, paci oppoſitam, Viennæ affixam in publico, & Imperatoris juſſu refixam, refellit *Hermannus Conringius*. Juvat encomium & fortitudinis documenta legiſſe in *Amalia Eliſabetha*, Landgraviæ Haſſo-Caſſellanæ, monumentis, ab Illuſtri *Arkenholzio* exactis. *Chriſtina* ad conjugium adſpirare contenderunt filii Regis Danorum, *Fridericus* & *Ulricus*, Comes Palatinus *Carolus Guſtavus*, Elector Brandenburgicus *Fridericus Wilhelmus*. Deluſit haſce ſpes *Oxenſtirnius*, Cancellarius regni, ad filium ſuum *Ericum* cum Regina conjungendum anhelans, at rurſus a ſenatoribus regni a deliciis ſpei ſuæ dimotus. Omittimus alios *Chriſtinæ* procos, ex Luſitania, Hiſpania, & Hungaria, obvios, eosque auguſtiſſimis ſplendoribus inſignes. *Carolus Guſtavus* A. 1650 ſucceſſor Reginæ fuit deſignatus. Leges ei prædefinitas, ad regni usque primordia ſervandas, recenſuit Autor. Ad conjugium vero, ineundum vel cum ipſo, vel cum aliis, *Chriſtina* nullis potuit adduci perſuaſionibus. Vergente eodem anno, *Chriſtina* coronam regiam publice ſuſcepit, nullo magnificentiæ apparatu omiſſo. A. 1651 perſonuit Suecia querelis de Reginæ luxu & opum profuſione. Regina tentavit abdicationem regni, licet proceres regni, *Carolus Guſtavus*, legati Regum, eruditi, ac ii, quos habebat ſubditos, nulli operæ parcerent, ut eam ab hoc conſilio revocarent. Regina periculum vitæ in undis præter opinionem adiit. *Meſſenius*, pater ac filius, ſcriptores libelli ſeditioſi ad *Carolum Guſtavum*, capite truncati fuerunt. *Erneſti*, Landgravii Haſſo-Rheinfelſenſis, & *Friderici*, Landgravii Eſchwegenſis, ad religionem Romanam tranſitus habet aliquid ſingulare, quod Autor ex parte attigit. *Godeau*, Epiſcopus Galliæ, A. 1651 conatus fuit per epiſtolam perſuadere *Chriſtinæ* eandem religionem. Ipſa humaniſſime mutationem illam recuſavit amplecti. *Burdelotius* vero Medicus, & Hiſpaniarum legatus *Antonius Pimentelli*, poſthæc plus ad mentem Reginæ expugnandam valuerunt. Ad hiſtoriam *Chriſtinæ* literariam

Margin page references (beside the lines where they appear): Pag. 152 (at "juſſu refixam"); 156 (at "Arkenholzio"); 161 (at "ricus Wilhelmus"); 177 (at "ſignatus"); 205 (at "A. 1651"); 212 (at "adiit"); 216 (at "ſingulare"); 219 (at "legatus").


Pag. 223. quæ spectant, Autor haud neglexit. Meminit commercii epistolaris Reginæ cum *Cartesio*. Illa hunc venire fecit Holmiam, ubi is obiit diem supremum ex pulmonum inflammatione A. 1650, Cal. Febr. fatigatus lectione privatissima, quam
227. Reginæ summo mane post horam quintam impertiverat. Corpus defuncti in Galliam Parisios in ædem S. *Genovevæ* A. 1666 missum fuit; cranium clam omnibus reservavit sibi præfectus excubiarum Holmensium. *Salmasii* conspectum arsit *Christina*, viri, in morbo ridicula legentis, felle plenissimi, mortui A. 1653, ex quo Holmia redierat in Belgium. Ni *Salmasius* civem suum *Burgundionem*, qui *Burdelotii* Medici mentiebatur nomen, Reginæ affixisset, laudibus abutens, credula & per eruditionis imagines se fallens *Christina* haud accelerasset
240. iter illud in *insulas* fortunatas, extra Sueciam quæsitas. Personatus ille *Burdelotius* ex pharmacopola in arbitrum *Christinæ*, Sueciæque dominum, conversus, atheismi magister, Reginam religionis sensu exuit, potentior scientiis omnibus, quibus se immerserat Regina. Mater Reginæ, legatus Regis Galliarum, & proceres regni, vehementer petierunt a Regina homi-
246. nis discessum, frustra tamen ad tempus. Tandem dimissus fuit in Galliam, pecuniis oneratus, a *Mazarinio* Abbas renuntiatus, defunctus Parisiis A. 1685. *Samuel Bochartus* per triennium hæsit Holmiæ, Cadomum redux A. 1653, comitan-
253. te legato *Chanuto* & *Naudæo* e Suecia. De *P. D. Huetio*, mortuo A. 1721 Parisiis apud Jesuitas, haud tralatitia disseruit Autor, nihil eorum omittens, quæ ad annum usque 1656 vitæ & fortunæ fortunisque *Christinæ* acciderunt. Qui anecdota & eleganter cogitata amant, ad eum non poterunt non properare.


NOVI COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIArum Imperialis Petropolitanæ. Tomus II, ad Annum 1749.


Petropoli, typis Academiæ Scientiarum, 1750, 4 maj.
Alph. 2 plag. 17, Tabb. æn. 18.

Insti-

TAB. II ad Nov. Act. Erud. A. 1753. Mens. Maji pag. 253. seq.







Institutum *Novorum* horum *Commentariorum* jam satis & abunde declaravimus, cum de *primo* illorum *Tomo* verba faceremus. Nunc igitur absque mora ad ipsa *alterius Tomi* contenta Lectoribus nostris exhibenda nos accingimus. Complectitur is, non minus, quam reliqui omnes Ill. Academiæ *Commentarii*, multa egregia ex omni Mathematum & Philosophiæ naturalis genere meletemata. Et quidem in *Classe mathematica* comparent sequentia: 1) *Eulerus de reductione linearum curvarum ad arcus circulares.* Satis celebris est inter Analystas summi quondam *Jo. Bernoullii* idea de motu reptorio, qua haud parum fines Geometriæ promovisse censendus est, dum dimensionem linearum curvarum per arcus circulares perficere docuit. Quantumvis autem egregium sit hoc inventum; inficias tamen iri nequit, methodum hanc non videri plane naturalem, cum ideis fundetur mechanicis, in Geometria pura absque necessitate summa non in usum vocandis; habere præterea in se difficilius quid, si ad ipsam applicationem deveniatur, cum non adeo bene constet, quomodo pro quovis casu oblato motus ipse reptorius adornari debeat. Genuina itaque methodus ea omnino censenda esset, quæ dimensionem hanc exhiberet, e principiis mere analyticis petitam; quod vero nemo huc usque aggressus est, quin imo primo intuitu ne fieri quidem posse videtur. Eo magis itaque se commendare poterit præsens Cel. *Euleri* methodus, qua id generatim & summa cum perspicuitate executus est primus. Quare, cum dimensio curvarum ab omni ævo habita sit pro uno e nobilissimis Geometriæ argumentis, rem Lectoribus Geometris acceptam fore, confidimus, si novam non minus, quam elegantem, hanc methodum hic paulo fusius exponamus. Ante omnia supponenda est idea *amplitudinis* curvæ, quæ secundum *Bernoullium* est angulus *ANM*, quem ad duas curvæ *AM* extremitates ductæ normales *AN* & *MN* inter se constituunt. Primo itaque proponit Noster *Problema*: Ex datis amplitudine curvæ, & binis normalibus, invenire limites, intra quos longitudo arcus continetur. Ponatur nempe ampl. $ANM = v$, normales $AN = p$, $MN = q$, arcus

Pag. 3.

TAB. II Fig. 1.

 $AM = s$.

$AM = s$. Ducatur subtensa AM, quæ ex Δlo ANM reperitur $= \surd (pp + qq - 2pq. cos. v)$. Cum ergo arcus semper sit major subtensa, habebitur jam limes minor $s > \surd (pp +$ &c. Dein, ductis tangentibus AT & MT, quorum concursus intra angulum ANM cadet, erit $AT = \frac{q - p. cos. v}{sin. v}$, & $MT = \frac{p - q. cos. v}{sin. v}$. Quare, cum summa tangentium $AT + MT$ sit major arcu AM, prodibit alter limes major $s < \frac{(p+q)(1 - cos. v)}{sin. v}$, seu (cum sit $\frac{1 - cos. v}{sin. v} = tang. \frac{1}{2} v$,) $s < (p+q)\, tang. \frac{1}{2} v$. Q. E. I. Potest vero inveniri alia formula pro limite minori, magis similis alteri majori, si concipiatur angulus ANM bisectus recta NO; erit enim $AO > p. sin. \frac{1}{2} v$, & $MO > q\, sin. \frac{1}{2} v$; unde habebitur $s > (p+q)\, sin. \frac{1}{2} v$. Ex his vero constit sequens *Theorema* valde elegans pro inveniendo proxime arcu curvæ: Si angulus ANM, seu v, sit valde parvus, erit proxime arcus AM, seu $s = \frac{1}{2}(p+q)v$. Etenim in hac hypothesi proxime $sin. \frac{1}{2} v = \frac{1}{2} v - \frac{1}{48} v^3$, & $tang. \frac{1}{2} v = \frac{1}{2} v + \frac{1}{24} v^3$, quibus valoribus in binis formulis præcedentibus substitutis, habebitur $s > \frac{1}{2} v\, (p+q)(1 - \frac{1}{24} vv)$, & $< \frac{1}{2} v\, (p+q)(1 + \frac{1}{12} vv)$; qui limites cum sibi sint valde propinqui, statui poterit proxime $s = \frac{1}{2} v\, (p+q)$. Q. E. D. Hæc vero expressio exacte vera est, non solum generatim, si angulus ANM sit infinite parvus, sed & in certis casibus, si sit finitus cujusvis magnitudinis. Primo, si curva sit circulus; tunc enim ob $p = q$ erit utique arcus $AM = pv$, seu $qv = \frac{1}{2} v\, (p+q)$. Dein in iis quoque curvis, quarum evoluta BR est circulus: sit enim hujus radius $= a$, arcus $BR = Z$; ex natura rei erit amplitudo ejus æqualis amplitudini curvæ AM, unde $Z = av$; sit porro $AB = b$, erit $MR = b + av$, & curvæ AM elementum $ds = (b + av)\, dv$, ideoque ipse arcus $AM = bv + \frac{1}{2} avv = \frac{1}{2} v\, (AB + MR)$; sed, ob $BN = RN$, est $AB + MR = AN + MN = p + q$, unde constat veritas propositi. Sit jam AM curva

curva quævis; per terminos ejus A & M describi poterit arcus curvæ, ex evolutione circuli natæ, ejusdem amplitudinis ANM; sicque habebuntur duæ lineæ curvæ in A & M rectis AN & MN normales, & continua curvatura procedentes; unde in angulis non nimis magnis ne fieri quidem poterit, ut discrimen inter binas istas curvas sit notabile. Statui igitur poterit curva quævis AM proxime æqualis arcui circulari

centro N, & radio $= \frac{AN + MN}{2}$, intra crura AN & MN

descripto. Hac autem ratione dimensio curvæ AM per arcum circularem multo accuratius instituitur, quam ullo modo per lineam rectam fieri potest; unde ex hoc fonte longe accuratior methodus deduci potest, longitudinem curvarum ad arcus circulares revocandi, quam vulgo hoc fieri solet ad lineas rectas. Hac occasione, tanquam in transitu, investigat Noster, an non proprietas allata, quod arcus exprimatur exacte per $\frac{1}{2}v\,(p + q)$, competat aliis adhuc curvis præter circulum, curvasque ejus evolutione genitas; quod Problema, vel ideo notatu dignum, quod, per methodum tangentium inversam solutum, post calculum satis prolixum tandem ad solutionem simplicissimam deducat; e qua patet, nullas alias curvas, quam allatas, quæsito satisfacere. Quod nunc attinet ad methodum curvas dimetiendi per arcus circulares, hunc in finem proponit primo *Theorema* sequens: Si arcus AM in duas partes æque amplas AM', $M'M$, dividatur, & in normalem $M'N'$ ex N demittatur perpendic. NP; longitudo curvæ AM proxime æquabitur arcui circuli, centro N, radio TAB. II Fig. 2

$\frac{AN + MN + 2M'P}{4}$, intra crura NA, NM, descripti. *Dem.*

Ponatur totius arcus amplitudo $ANM = 2v$; concurrant normales in V, eruntque anguli $AN'M'$, & $M'VM = v$, ideoque in Δ^{lo} VNN' isoscele $NN' = NV$, & $N'P = VP$. Per Theor. præc. autem erat proxime $AM' = \frac{1}{2}v\,(AN' + M'N')$ & $M'M = \frac{1}{2}v\,(M'V + MV)$; ideoque addendo, $AM = \frac{1}{2}v$ (AN',

$(AN' + M'N' + M'V + MV)$. Eſt vero $AN' = AN - NN'$, & $MV = MN + NN'$, & $M'N' + M'V = 2M'P$; unde ſubſtituendo $AM = \frac{1}{2}v\ (AN + MN + 2M'P)$. Sit nunc r radius circuli, cujus arcus amplitudinis ejusdem $2v$ æqualis ſit curvæ AM, erit $Am = 2vr$; unde fit r ejus valoris, quem in Theoremate enuntiavimus. Q. E. D. Hic jam valor radii circuli, cujus arcus, curvæ AM æque amplus, eidem ſit ſimul æqualis, multo propius ad veritatem accedit, quam ille ex Theoremate primo $r = \frac{AN + MN}{2}$. Notandum vero, multo plures eſſe curvas, in quibus exacte eſt $r = \frac{AN + MN + 2M'P}{4}$, quam in quibus $r = \frac{AN + MN}{2}$; unde eo minor erit nunc aberratio, uſurpando formulam, recens inventam. Pergimus jam ad aliud *Theorema*, ſolutioni generali viam ſternens: Si curva dividatur in partes quotcunque æque amplas AI, $I.II$, $II.III$. &c. ad ſingula diviſionum puncta ducantur normales, ad easque ex N demittantur perpendicula $N1$, $N2$, &c. erit radius circuli, cujus arcus, curvæ æque amplus, eidem ſimul longitudine æqualis, $= \frac{AN + MN + 2(I1 + II2 + III3 + \&c.)}{2n}$, denotante n numero partium, in quas arcus eſt diviſus. *Dem.* Sit amplitudo, ſeu ang. $ANM = nv$; erunt anguli $AN'I = v$, $AN''II = 2v$, &c. Si jam ſingulæ arcus propoſiti AM portiones ſecundum Theorema primum exprimantur, erit

TAB. II Fig. 3.

$$AI = \tfrac{1}{2}v\ (AN' + IN') = \tfrac{1}{2}v\ (AN - NN' + I1 - N'1)$$
$$I.II = \tfrac{1}{2}v\ (IV' + II\,V') = \tfrac{1}{2}v\ (I + II2 - V'1 - V'2)$$

&c. & ultima formula, quia in *Fig.* aſſumitur $n = 5$, erit

$$IV.M = \tfrac{1}{2}v(IV.V^{IV} + MV^{III}) = \tfrac{1}{2}v(IV4 + MN + V^{IV}4 + V^{IV}N).$$

His ergo in ſummam collectis, prodibit

$$AM = \tfrac{1}{2}v \left\{ \begin{array}{l} AN + MN + 2.I1 + 2.\ II2 + \&c. \\ - NN' - N'1 - V'2 + V''3 + \&c. \\ \qquad - V'1 - V''2 + V'''3 + V^{IV}4 \end{array} \right\}$$

Omnes

TAB. III ad Nov. Act. Erud.
A. 1753. Mens. Maji
pag. 257. seq.




Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.




Fig. IV.

Omnes autem hos terminos inferiores se mutuo tollere, ita, ut remaneat sola linea superior, brevius ostendetur per Analysin sequenti modo: Ob angulos singulos cognitos, erit.

$$N' V' = \frac{N' N''. fin. 2v}{fin. v}; \quad N'' N' = \frac{N' N''. fin. v}{fin. v.}$$

$$N'' V'' = \frac{N''' N''. fin. 3v}{fin. v}; \quad N''' V'' = \frac{N'' N'''. fin. 2v}{fin. v}$$

&c.

Hinc formulæ, ex Theoremate primo ortæ, erunt

$$AI = \tfrac{1}{2} v (AN' + IN')$$

$$I.II = \tfrac{1}{2} v \left(IN'' + II N'' + N' N'' \frac{(fin. v + fin. 2v)}{fin. v}\right)$$

Addantur hæ formulæ, & substituatur

$$N' N'' = NN' - NN''; \quad N'' N''' = NN'' - NN'''; \text{ \&c.}$$

prodibitque, terminis in ordinem redactis:

$$AM = \tfrac{1}{2} v \left\{ \begin{matrix} AN + MN + 2.IN' + 2.II N'' + \text{\&c.} \\ + \frac{NN'. fin. 2v}{fin. v} + \frac{NN''. fin. 3v - fin. v}{fin. v} + \text{\&c.} \end{matrix} \right\}$$

Est vero $\frac{fin. 2v}{fin. v} = 2. cof. v$, $\frac{fin. 3v - fin. v}{fin. v} = 2. cof. 2v$, &c.

& $NN'. cof. v = N'1$, $NN''. cof. 2v = N''2$, &c.

quibus valoribus introductis, erit $AM = \frac{1}{2} v (AN + MN + 2I1 + \text{\&c.})$; unde, cum amplitudo sit nv, emerget ipsissima formula, ante posita. Q. E. D. Patet ergo, hanc formulam exhibituram longitudinem curvæ, exacte quidem, si divisio hæc in infinitum produceretur, prætereaque multis in casibus specialibus; vero autem eo propius, quo hæc, etsi finita, longius continuetur. Ex his jam pervenitur ad solutionem *Problematis* generalis: Data curva quavis *AMB*, quæ ubique ad eandem partem sit concava, (ut hactenus semper est positum) invenire arcum circuli *ab*, ipsi proxime æqualem. Ducantur nempe ad terminos ejus *A*, *B*, normales *AC*, *BC*, TAB. III Fig. I.

BC, concurrentes in *C*. Vocentur $AC = a$, $BC = b$, amplitudo, seu ang. $ACB = \theta$. E natura curvæ dabitur relatio inter coordinatas quasvis $AP = x$ & $PM = y$, & ang. *ANM*, quem normalis *MN* cum *AC* constituit, cujus nempe tang. $= dx : dy$; unde tam *x*, quam *y*, poterunt definiri per *v*; quibus inventis, erit $MN = \frac{y}{\text{sin.}\, v}$. Dein in *MN* (si opus, productam) ex *C* demisso perpendiculo *CS*, ob $CN = a - x - \frac{ydy}{dx} = a - x - \frac{y.\, \text{cos.}\, v}{\text{sin.}\, v}$, erit $NS = (a - x)\, \text{cos.}\, v - \frac{y.\, \text{cos.}\, v^2}{\text{sin.}\, v}$, ideoque tota recta $MS = (a - x)\, \text{cos.}\, v + y.\, \text{sin.}\, v$, ita ut ad datum quemvis angulum *v* longitudo rectæ *MS* definiri queat. Indicetur hæc recta *MS*, amplitudini cuivis *v* respondens, hoc signo $[v]$, ita, ut similes rectæ, respondentes angulis $\frac{\theta}{n}$, $\frac{2\theta}{n}$, &c. exhibeantur his signis $\left[\frac{\theta}{n}\right]$, $\left[\frac{2\theta}{n}\right]$, &c. Quibus inventis, sequentes formulæ continuo magis ad valorem arcus *AM* appropinquabunt:

$AM = \frac{1}{2}\theta\ (a + b)$

$AM = \frac{1}{4}\theta\ (a + b + 2\left[\frac{\theta}{2}\right]$

$AM = \frac{1}{6}\theta\ (a + b + 2\left[\frac{\theta}{3}\right] + 2\left[\frac{2\theta}{3}\right]$ &c.

Generatim autem, si numerus divisionum sit *n*, habebitur valor arcus eo exactior, quo major est *n*:

$$AM = \frac{1}{2n}\theta\, (a + b + 2\left[\frac{\theta}{n}\right] + 2\left[\frac{2\theta}{n}\right] + 2\left[\frac{3\theta}{n}\right] + \ldots\ldots \left[\frac{n - 1.\, \theta}{n}\right].$$

Quodsi ergo radius circuli *ab*, qui, intra crura *AC* & *BC* constitutus, æqualis sit curvæ *AB*, dicatur $= r$, erit arcus $ab = r\, \theta$, unde istius circuli radius reperietur:

$$r = \frac{1}{2n}(a + b + 2\left[\frac{\theta}{n}\right] + 2\left[\frac{\theta}{n}\right] + 2\left[\frac{3\theta}{n}\right] + \ldots\ldots \left[\frac{n - 1.\, \theta}{n}\right].$$

Q. E. I.

En

En itaque solutionem Problematis, quae an ambitu suo, an elegantia, an simplicitate, se magis commendet, dicere vix possumus. Quod jam ad ipsum ejus usum attinet, patet, requirere eam generatim divisionem angulorum in partes quotvis aequales; id quod cum geometrice & facile peragi nequeat, nisi continua bisectione, pro numero n conveniet assumere successive terminos progressionis geometricae duplae 2, 4, 8, &c. Hos autem numeros pro n successive assumendo, id simul commodi emergit, ut termini, jam inventi, continuo in expressiones sequentes ingrediantur, sicque labor calculi non parum minuatur. Valores nempe ipsius sequenti modo e praecedentibus, & quidem accuratius, determinantur:

$$1)\ r = \frac{a+b}{2} = P$$

$$2)\ r = \frac{1}{2} P + \frac{1}{2} \left[\frac{\theta}{2}\right] = Q$$

$$3)\ r = \frac{1}{2} Q + \frac{1}{4} \left[\frac{\theta}{4}\right] + \frac{1}{4} \left[\frac{3\theta}{4}\right] = R \text{ \&c.}$$

Ubi adhuc notandum, quod, si valor secundus Q sit verus, tunc, quantum primus P a vero vel deficit, vel id excedit, tantundem quantitas $\left[\frac{\theta}{2}\right]$ excedat, vel superet, ideoque quantitates P & $\left[\frac{\theta}{2}\right]$ constituant limites, intra quos radius r contineatur; etiamsi autem Q non sit verus valor, tamen, quia multo minus a veritate differt, quam P, easdem quantitates adhuc pro limitibus haberi posse; similique modo, (ob valores sequentes, veritati continuo magis appropinquantes,) limites novos fore Q & $\frac{1}{2}\left[\frac{\theta}{4}\right] + \frac{1}{2}\left[\frac{3\theta}{4}\right]$, &c.; qui continuo fiunt adeo arctiores, ut mox differentia fiat insensibilis. Ceterum iidem limites eliciuntur quoque e methodo *Bernoulliana* per motum reptorium; quod etsi consensum

utriusque methodi egregie declaret, inficias tamen ibit nemo, præſentem hanc, meræ Analyſi ſuperſtructam, inſigniter antecellere illam, quæ in ipſa applicatione haud parum difficultatis habet; præterea cum hæc quoque, ſi diviſio non per continuas biſectiones inſtituatur, ſemper tamen applicari poſſit, ideoque multo latius extendatur. Hacce nunc ſolutione generali tradita, Cel. Autor, uſum ejus declaraturus, applicat eam ad dimetiendas varias curvas ſimpliciores & obvias. Primo, propoſita ellipſi quavis, invenire docet radium circuli, cujus peripheria ſit æqualis proxime ejus perimetro. Sit nempe *ACB* quadrans ellipſeos, cujus ſemiaxes *AC* & *BC*, cum ſint ad curvam normales, erunt $AC = a$, & $BC = b$, & amplitudo θ erit angulus rectus, qui dicatur $= \varrho$. Ex æquatione ellipſeos habetur $tang.\ v = \frac{dx}{dy} = \frac{ay}{b\sqrt{(bb - yy)}}$; unde, factis debitis ſubſtitutionibus in valore generali ipſius *MS*, ſupra allato, habetur *MS*, (quæ per $[v]$ deſignatur) $= \sqrt{(aa.\ coſ.\ v^2 + bb.\ ſin.\ v^2)}$. Cum itaque ſit $\theta = \varrho$, ſi pro v ſucceſſive ſubſtituantur partes aliquotæ anguli recti ϱ, erit

TAB. III Fig. 2.

$$\left[\frac{\theta}{2}\right] = \sqrt{\left(aa \left(coſ.\ \frac{\varrho}{2}\right)^2 + bb \left(ſin\ \frac{\varrho}{2}\right)^2\right)}.$$

$$\left[\frac{\theta}{3}\right] = \sqrt{\left(aa \left(coſ.\ \frac{\varrho}{3}\right)^2 + bb \left(ſin.\ \frac{\varrho}{3}\right)^2\right)} \text{ \&c.}$$

His igitur ſingulis valoribus inventis, erit radius circuli quæſitus

$$r = \frac{a + b}{2n} + \frac{1}{n} \sqrt{\left(aa \left(coſ.\ \frac{\varrho}{n}\right)^2 + bb \left(ſin.\ \frac{\varrho}{n}\right)^2\right)}$$

$$+ \frac{1}{n} \sqrt{\left(aa \left(coſ.\ \frac{2\varrho}{n}\right)^2 + bb \left(ſin.\ \frac{2\varrho}{n}\right)^2\right)} + \ldots\ldots\ldots$$

$$+ \frac{1}{n} \sqrt{\left(aa \left(coſ.\ \frac{n - 1.\ \varrho}{n}\right)^2 + bb \left(ſin.\ \frac{n - 1.\ \varrho}{2}\right)^2\right)},$$

hicque valor, quo major accipiatur diviſionum numerus n, eo propius radium quæſitum r exhibebit. Q. E. I. Si ponatur

ſemi-

ſemiaxis major $a = c + d$, ſemiaxis minor $b = c - d$; fiet, facta ſubſtitutione, poſitisque duabus rectis $2\varrho + \pi$,

$$r = \frac{c}{n} + \frac{1}{n}\sqrt{(cc + dd + 2cd.\,cof.\,\frac{\pi}{n})} + \ldots\ldots;$$

$$+ \frac{1}{n}\sqrt{(cc + dd + 2cd.\,cof.\,\frac{n-1.\,\pi}{n})}.$$

E qua formula ſequitur elegantiſſima conſtructio, ſimilis ei, quam dedit *Bernoullius*: Super diametro $AB = a + b = 2c$ conſtituatur ſemicirculus, qui in partes quotcunque æquales dividatur in punctis a, b, c, &c. quarum partium numerus ſit $= n$. Tum, ſecta diametro AB in C ita, ut ſit $AC = a$, $BC = b$, ex C ad ſingula diviſionum puncta agantur rectæ Ca, Cb, Cc, &c. eritque, ſi arcus Ac contineat m partes, recta $Cc = \sqrt{(cc + dd + 2cd.\,cof.\,\frac{m\pi}{n})}$. TAB. III Fig. 3.

Ducto enim ex centro O radio $Oc = c$, erit angulus $AOc = \frac{m\pi}{n}$, & $CO = AC - AO = d$, ideoque recta $Cc = \sqrt{(cc + dd + 2cd.\,cof.\,AOc)}$. Quamobrem radius circuli, ellipſi propoſitæ iſoperimetri, erit

$$r = \frac{AO + Ca + Cb + Cc + \ldots\ldots\ldots + Cl}{n}.$$

Q. E. F. Mittimus alias formulas, ad ipſum approximationis calculum adhuc commodiores, nec non exempla ſpecialia ejusmodi calculi pro ellipſibus variis, quarum ſemiaxes rationem ſimpliciorem inter ſe tenent; unde quidem apparet, ſeries has mirum quantum convergere, adeo, ut e. g. expreſſio ſexta præbeat valorem ipſius r ad 24 notas exactum. Ex iisdem principiis invenire docet generatim dimenſionem ellipſium, non multum a circulo abludentium. Porro eandem methodum applicat ad inveſtigandam longitudinem parabolæ; quæ cum, ut conſtat, a logarithmis pendeat, hinc ſimul emergit relatio inter quadraturam circuli & logarithmos. De-

nique eodem modo tractat cycloidem, & reperire docet radium circuli, cujus quadrans æquetur proxime arcui cycloidis. Sed, satis diu in his morati, tempus est, ut ad alia quoque Schediasmata pedem promoveamus. *Secundo* nempe comparet loco *G. W. Krafftii Indagatio focorum in omnibus curvis possibilibus.* Quærit hic Autor, an in aliis quoque, præter sectiones conicas, curvis detur focus non geometricus, (qualem aliqui definiverunt in sectionibus coni ibi esse, ubi parametro ordinata æquatur,) sed verus, seu physicus; ubi radii omnes, ex uno puncto lucido egredientes, iterum colligantur exacte in punctum aliud. Proposuit itaque sibi Problema hoc generale: Invenire curvas omnes, proprietate dicta gaudentes; idque solvit per methodum tangentium inversam. Resultat inde sola ellipsis, &, si punctum radians in infinitum abeat, parabola, conica, patetque, perperam tribui focum ellipsibus, aut parabolis altiorum generum. Si nobis liceat verbum addere, Problema præcedens, quod, per calculum tractatum, deducit ad æquationes differentiales satis prolixas, ita duabus fere lineis, per analysin mere geometricam, solvi potest. Sit *AM* curva, radios omnes, ex *B* egredientes, colligens iterum in *C*; elementum ejus *Mm*; radius aliquis incidens *BM*, ejusque reflexus *MC*; hisque infinite proximi *Bm*, *mC*; e centris denique *B*, *C*, ducti arculi *MR*, *mS*. E natura reflexionis est angulus *AMB*, seu *MmR* = tang. *mMC*; & ad *R*, *S*, sunt recti; ergo ΔΔ *MmR*, *mMS*, æquantur, estque *mR* = *MS*, hoc est, incrementum ipsius *BM* = decremento ipsius *MC*. Quod cum in omnibus punctis locum habeat; e primis Analyseos infinitorum principiis liquet, ipsas *BM* & *MC* efficere debere summam constantem. Hanc vero proprietatem nulli curvæ, præter ellipsin conicam, competere, facile ostenditur. Si punctum *B* statuatur in infinito, eodem modo prodit parabola. Sequitur 3) *Euleri Solutio Problematis difficillimi, a Fermatio propositi.* Jam multæ comparuerunt Cel. Autoris circa ejusmodi Problemata numerica *Diophantæa*, seu *Fermatiana*, in *Commentariis* hisce disquisitiones; qua occasione jam, quæ de iis, eorumque analysi,

TAB. III Fig. 4.

Pag. 49.

gene-

generatim dici possunt, monuimus. Præsens, in quo laborat, a *Fermatio* propositum in *Annot. ad Diophantum Bacheti*, ab eoque pro difficillimo habitum, hujus est tenoris: *Invenire triangulum rectangulum, in numeris rationalibus expressum, cujus uterque cathetus, area ipsius trianguli minutus, producat numerum quadratum.* Equidem rei natura non permittit, ut solutio ejus generalis, quæ omnes omnino casus possibiles contineat, assignetur; quare tres solutiones traduntur speciales; attamen formulis generalibus, quarum quævis infinitos adhuc sub se casus singulares comprehendit. Exemplum simplicissimum in numeris videtur id, ubi catheti sunt $\frac{64}{207}$ & $\frac{252}{207}$; unde hypothenusa $= \frac{260}{207}$, area $\frac{64.\ 14}{9.\ 23^2}$; catheti autem area minuti $\left(\frac{8}{23}\right)^2$ & $\left(\frac{2.\ 5.\ 7.}{9.\ 23}\right)^2$. Jam sequi- Pag. 68.
tur 4) *C. N. de Winsheim de numeris perfectis.* Ansam præbuit huic Schediasmati *Mich. Gottl. Hanschii, S. Cæs. Maj. Consiliarii, Theoria Arithmetices, novis a se inventis aucta, in Epistola, Vindobonæ A. 1739 ad Mathematicos data,* sed quæ A. 1748 demum ad Academiam Petropolitanam pervenit, exposita. In qua cum specimina exhibere voluerit Autor, unde pateat, quid in Analysi tentaverit, & quæ numerorum detegere valeat mysteria, huncque in finem tradiderit triadem Problematum, ad numeros perfectos spectantium; Noster, ab Academia hæc examini subjicere jussus, invenit, omnia parum firmo niti fundamento, hicque etiam *Horatianum* illud *parturiunt montes* locum habere. Hac occasione autem ab ovo orsus est integram numerorum perfectorum theoriam, quæque hac de re huc usque detecta sunt, clare ante oculos posuit. Accedimus 100.
5) ad *G. W. Krafftium de numeris amicabilibus, aliisque, ad hanc doctrinam spectantibus.* Enarrat primo Clariss. Autor, quid adhuc in hoc argumento actum sit a Mathematicis. Cum vero hi omnes derivaverint numeros hosce saltem e potestatibus binarii; intellexerit autem Noster a Cel. *Eulero*, ipsum longe latius Problema istud extendisse; ipse etiam in hac palæstra vires suas

ſuas exercere voluit. Theoriam itaque numerorum amicabilium e primis principiis hic repetit, quæ cum, ut conſtat, e natura partium aliquotarum pendeat, primo varia, huc ſpectantia, theoremata demonſtrat. Dein ipſius Problematis analyſin tradit. Quæ omnia etſi egregia ſeſe perſpicuitate & ordine commendent; tamen, cum jam ipſa hæc numerorum amicabilium theoria ampliſſime pertractata ſit a Cel. *Eulero* in *Opuſculor. Tomo III*, plura de illis hic dicere, ſuperfluum arbitramur.

Pergimus itaque ad *Claſſem alteram*, qua ſequentia *Schediaſ-*
Pag. 121. *mata phyſico-mathematica* nobis offeruntur: 1) *G. W. Richmanni Atmometri, ſive machinæ hydroſtaticæ, ad evaporationem aquæ certæ temperiei menſurandam aptæ, conſtructio talis, ut ope illius decrementum paucorum granorum obſervari, &*
128. *lex evaporationis confirmari, poſſit;* 2) *Mich. Lomonoſowii Anemometrum, ſummam celeritatum cujusvis venti, & ſimul variationes directionum illius, indicans.* Utriusque hujus machinæ deſcriptionem tradere, nil aliud eſſet, quam figuras huc transferre, addita earundem explicatione; quod cum inſtituti noſtri limites excedat, veniam nos impetraturos ſperamus a Lectoribus, ſi ad ipſum fontem ablegemus ea penitius no-
134. ſcendi cupidos. 3) *Richmanni Inquiſitio in rationem phænomeni, cur aqua profunda in vaſis homogeneæ materiæ plus evaporet, quam aqua minus profunda; & confirmatio experimento, nova ratione inſtituto.* Poſt evictam phænomeni ipſius certitudinem, principia e phyſicis repetit, unde conſtat, maſſarum duarum æqualium ejusdem temperiei, ſed diverſarum ſuperficierum, eidem aeri expoſitarum, eam citius aſſumere temperiem aeris, quæ majori gaudet ſuperficie; duarum inæqualium, ſed ejusdem temperiei & ſuperficierum, minorem citius acquirere aeris temperiem; quibus combinatis, ſi majoris maſſæ ſuperficies habeat ad minoris maſſæ ſuperficiem rationem minorem, quam maſſa major ad maſſam minorem, minorem maſſam temperiem aeris citius obtenturam, quam majorem, & contra. Quod etſi ſatis evidens videatur; attamen, ſi cuiquam adhuc dubium remaneat, oſtendit Noſter,

qui-

quibus experimentis id ad maximam certitudinem deduci queat. Hoc jam ad ipsum phænomenon, supra allatum, applicat. Posita nempe ea conditione evaporationis, quod pendeat a superficiei fluidi expositione, facta aeri diversæ temperiei, ita quidem, ut eo major sit, quo major est differentia inter utriusque temperiem: sequitur omnino, evaporationem longius durare debere in massa majore, adeoque in vasibus ejus capacitatis aquam magis profundam magis quoque evaporare. Ceterum, quid contingat pro certis circumstantiis peculiaribus, porro explicat Noster; monetque postremo, id, quod contingit sic in massis vasisque minoribus, locum quoque habere in superficie telluris, in maribus, fluviis, &c. non audere se affirmare. 4) *Ejusdem de evaporatione ex aqua, frigidiori aere, observationes & consectaria.* De evaporatione aquæ calidioris aere commentatus est Autor in *Commentar. Novor. Tomo I;* nunc simili modo in evaporationem aquæ frigidioris aere inquirit. In illa nempe, invenerat, eam obtinere legem, ut, differentia inter temperiem aquæ & aeris decrescente, quantitates, quæ evaporarunt, sint ut ipsæ differentiæ differentiarum inter temperiem aquæ & aeris. Eandem & in præsenti casu, etsi haud accurate penitus, locum habere, reperit; cujus rei causam in cohæsione particularum aquearum majori minorive latere existimat. Commemorat hic magnum experimentorum numerum, e quibus derivat hæc tria præsertim phænomena generalia: 1) Temperie aeris inter *60°* & *70°* existente, si differentia inter temperiem aeris & aquæ superet *15°* thermometri *Fahrenheitiani*, initio colligi vapores; temperie vero illa inter *75°* & *87°* existente, colligi hos, si differentia inter temperiem aeris & aquæ superet *20°*. 2) Quo major est calor aeris, eo calidiorem reddi debere aquam, donec collectio vaporum non observetur amplius, sed evaporatio solum; eoque largiorem fieri evaporationem. 3) Evaporationem initio esse minorem, deinde augeri, tandemque rursus minui. Rationes horum phænomenorum reddit verisimiles; usumque eorum in Meteorologia aliquem ostendit. 5) *Ejusdem Experimenta de compressione* Pag. 162.

fione aeris, inprimis per aquam, in bombis conglaciatam. Dedit nempe *Halesius* in *Stat. Veg.* modum, in densitatem aeris inquirendi, dum tubulum vitreum bombæ inclusit, hanc, aqua repletam, frigori exposuit, cumque ab aqua conglaciata disrupta esset, ex ejus firmitate vim compressionis aeris in ipso tubo computavit. Hoc experimentum Noster variis modis repetiit, reperitque, aerem communem per pressionem, ope preli validissimi, redigi posse in spatium 120 vicibus minus; vi aquæ gelascentis autem in spatium 300 vicibus minus comprimi; ceterum nullos adhuc compressionis limites a no-
Pag. 172. bis posse constitui. 6) *Ejusdem Usus legis decrementi caloris, ad definiendam mediam certo temporis intervallo temperiem aeris ostensus; & instrumentum meteorologicum novum, mediæ temperiei aeris inveniendæ inserviens.* Lex hæc ea est, quam in *Novor. Commentar. Tomo I* exhibuit Autor. Eam nunc applicat Clariss. Autor ad inveniendam temperiem aeris mediam, hoc est, talem, quæ, si constans esset per certum aliquod temporis intervallum, eundem effectum produceret in refrigerandis & calefaciendis per idem tempus corporibus, ac omnes gradus diversi caloris, sibi mutuo succedentes. Sit nempe aquæ temperies initialis $= d$, post datum vero tempus n temperies ejusdem diminuta $= c$: erit quæsita temperies aeris media $= \frac{Ac - d}{A - 1}$, posito $A = \frac{a^n}{(a - b)^n}$. Machina autem, de qua in titulo Commentationis, hoc præsertim fundamento nititur, ut thermometrum immittatur vasi permagno, massa fluidi tanta repleto, ut hæc temperiem certam satis diu æqualem conservare queat, cui fini ferrum & mer-
181. curium optime responsura, putat. 7) *Ejusdem de Barometro, cujus scala variationis insigniter augeri potest; item de libra barometrica, & borometro hydraulico, cogitationes;* quas, cum meram descriptionem machinarum, absque figuris plane non intelligibilium, contineant, ipsis Lectoribus legendas relin-
210. quimus, & commendamus. 8) *C. G. Kratzenstein de Statera geographica & nautica.* Fundatur hæc notissimo illo phænomeno,

meno, de crescente ab æquatore versus polum secundum certam aliquam legem vi gravitatis. Hæc enim si quovis loco actu posset, & quidem satis accurate, observari; inveniri inde posse, putat Autor, latitudinem loci, absque Astronomiæ subsidio. Quem vero in finem cum vulgares libræ nequaquam usurpari queant; novam excogitavit, quæ ope elateris, & frictionis imminutæ, variationem hanc quam accuratissime indicet; disposuitque eam ita, ut, si sesquilibra ipsi imponatur, differentia unius grani respondeat quoque circiter differentiæ unius gradus latitudinis. Quin & ostendit, qua ratione possit frictio eo usque diminui, ut etiam unius gradus adhuc partes quædam in sensus incurrere possint, adeoque error paucorum saltem milliarium in statuenda latitudine committi. 9) *Ejusdem Descriptio remigii, noviter inventi ad naves onerarias promovendas.* Consistit hæc machina applicatione hominum ad remigia tali, ut ipsi vi brachiorum saltem, sed integro simul cum pondere, in illud agere queant; quo modo ipsam vim quintuplo augeri, subducto calculo, ostendere conatur; adeo, ut octo homines navem onerariam mediam spatio duarum horarum fere per unum milliare Germ. promovere valeant. 10) *Ejusdem Horologii perpetuo mobilis descriptio; una cum modo construendi horologia portatilia & cylindrigera, ut sub elevatione ponderis, vel intensione elateris, motum suum continuent.* Equidem jam satis notus est huic fini inserviens mechanismus *Hugenii* cum fune infinito, vel *Leutmanni* cum cylindro duplici; attamen non abs re fore putavit Autor, si communicaret hic novam, a se inventam, e vectibus aliquot & rotulis compositam, quam illis præferendam existimat, sed de qua absque iconibus plura hic dicere non licet.

Physica, in *Classe tertia* conspicua, hæc sunt: 1) *G. W. Krafftii de vegetatione plantarum experimenta & consectaria.* Versantur ea inprimis circa germinationem seminum. Diversitatem horum ab ovis, contra *Fontenellium*, asserit, *Musschenbroekii* effatum, phaseolos Turcicos ab insectis non infestari, fallere, ostendens. Falsum quoque esse, raphanos fieri dulcio- Pag.

 res,

res, si semina antea melle, aut lacte, præmacerentur, item scobem ferream adjuvare vegetationem, demonstrat. Inquirit quoque in rationem admirandi illius, etsi notissimi, facti, quod in omni germinatione radix semper deorsum deprimatur, germen autem sursum adscendat; de qua, allatis variis plurimorum Autorum sententiis, eam tandem in viribus quibusdam animalibus, quæ singulare genus virium in rerum natura constituant, quærendam, putat. Porro, aquam puram, quæ vel nullo, vel minimo, sale est infecta, optimum esse plantarum nutrimentum, acrem vero, vel pinguem, &c. eas potius perdere, expertus est. Spiritum vini, quo germina irrigavit, vegetationem non accelerare, sed contra turbare, invenit; unde merito dubius est de veritate aliarum ejusmodi macerationum, de quibus passim nobis persuadere voluerunt Autores, ceterum haud sublestæ fidei. 2) *Abr. Kaau*

Pag. 257. *Bœrhaavii Observatio anatomica musculi in pectore præternaturalis, & varii, in diversis corporibus inventi.* 3) *Steph. Kra-*

285. *scheninninnikow de acere, foliis oblonge cordatis, inæqualiter serratis.* Notat primo, vix ullam dari in tota aceris familia plantam, quæ magis evidentes distinctionis a congeneribus notas præ se ferat, quam modo dicta, quippe quæ & foliis & corolla prorsus peculiaribus gaudeat. Quatuor ejusmodi arbusculas sub nomine Aceris Tartarici mori folio Gerb. alit hortus Petropolitanus, altitudine 4 pedum circiter, quarum descriptionem tradit; unde concludit, notas quasdam aceris characteristicas, huc usque a summis Botanicis assumtas, cum ad has species non extendantur, toti etiam generi recte

289. tribui non posse. 4) *G. W. Stellerus de Bestiis marinis.* Post observationem generalem de animalibus, quantum translatio ex uno climate in aliud naturam ipsorum immutare valeat, quatuor describit bestias marinas Autor, summo Historiæ naturalis damno cito nimis mortalibus ereptas; vaccam nempe marinam, seu Manati, ursum marinum, leonem marinum, & lutram marinam. Circa singulas ita versatur, ut decet solertissimum observatorem. Ante omnia denominationem, locum habitationis, &c. notat. Hinc primo formam externam describi-

ſcribit, partim quoque figuris exhibet, ſingulorum membrorum ſitum exponit, eorumque magnitudinem, ſolertiſſime menſuratam, in tabula ſiſtit, ſtructuram quoque variarum partium, uſumque, explicat. Poſtea partes internas eadem cum cura perſequitur, earum tam conſtructionem, quam functiones, notans. Oſteologiam quoque ſingularum tradit. Denique mores & naturam, quin & uſum in re cibaria, medica, aliisque, commemorat. Sunt hæc omnia ita comparata, ut non poſſint non ſeſe maximopere commendare Hiſtoriæ naturalis amatoribus egregia, quam præ ſe ferunt, & amplitudine, & perſpicuitate. Sed, ut de ſingulis quædam afferamus ſingularia, 1) vacca marina apud plurimos quidem Autores jam deſcripta legitur, inprimis apud *Dampierum* in *Itinerario*, Anglice edito Londini A. 1702; ubi obiter monet Obſervator noſter, doctorum deſcriptiones mutilas, & imperfectas, & plurimam partem fabuloſas & falſas, eſſe, *Dampierum* contra, quantum ab illiterato deſiderari poſſit, veriſſima deſcriptione doctos multis paraſangis ſuperare. Verum, quot errores hac in hiſtoria adhuc reſtent, palam facit Noſter. Ita Manati creditur bos eſſe *Ariſtotelis*, cum tamen nunquam in ſicco paſcatur. Traditur piloſum eſſe, cum potius ſetis, aut calamis, gaudeat. Caput eſt nec vitulinum, nec bovinum, ſed formæ peculiaris. Pedes deſtituuntur unguibus, ſed ungulas habent, fere equinas; cum tamen ungues, & quidem humanis ſimiles, huic animali tribuat *Hernandes*. Porro non ingreditur fluvios, & graminibus paſcitur; non ſuper ſaxa jacet, & in continentem exit; non ſagax eſt animal, quin potius ſtupidum, nec manſuetum reddendum; ſimulque longe vocaciſſimum. Ceterum lapides, qui dicuntur, Manati, (quorum in materia medica fit mentio,) nil aliud eſſe, quam oſſa maſticatoria, cum *Daleo* in *Pharmacologia* non dubitat. 2) Urſus marinus primo omnium *Dampierio* viſus & deſcriptus eſt. Amphibium eſt animal, urſo vel prægrandi majus, ceterum habitu corporis externo nulli inter terreſtria ſimilius, quam urſo, exceptis pedibus & parte corporis ſuperiori. Pilis præditum eſt craſſiſſimis. Migrans eſt, (quemadmodum anſeres, cygni, & aliæ aves ma-

rinæ, vel ut inter pifces catanadromæ truttæ, inter quadrupedia hic loci ifatides, lepores, & mures,) & quidem eligit loca feptentrionalia, infulasque incultas, inter Americam & Afiam magno numero fitas, partim ut in continente pariant, catulosque educent, partim ut otio, fomno, & inedia trimeftri, fe a molefta pinguedine liberent. Certamina inter fefe inftituunt prorfus crudeliffima, quibus vulnera dentibus infligunt hofti adeo grandia, ut enfe facta effe videantur. Notat hic obiter ceu valde curiofum, quod *Dampierus* tradit de infula Ferdinando fub latit. auftr. *36*°, vidiffe fe ibi in continente totum litus innumerabilibus phocarum, leonum, & urforum marinorum, gregibus coopertum. Hæc animalia ex auftrali parte huc migrare, ob itineris nimiam longinquitatem, fibi perfuadere nequit Nofter; credit potius, primum auftralis orbis beftias marinas easdem effe, quas hemifphærii borealis fub eadem fere longitudine; dein verifimiliter noftros urfos marinos fub eodem gradu in parte boreali hibernare. 3) Leo marinus tam forma externa, quam partium ftructura & ufu, quin & interna vifcerum conftitutione, per omnia exactiffime cum urfo convenit; differt faltem in eo, quod duplo major fit & ponderofior, pilos habeat in cute multo craffiori rigidos, denfos, rufos, caput majus, nafum porrectiorem; inprimis vero (quod & ei leonis nomen vindicat,) pilis gaudeat collum ambientibus, denfe pofitis, furrectis, undulatis. In moribus contra fat magna eft differentia. Quanto enim funt urfis magnitudine fuperiores, tanto eis inferiores ferocitate, adeo ut pedetentim, manfuefcant hominum adfpectu. Polygami funt, catulos in continente pariunt, mares in fœminas valde blandi funt, prolem contra negligunt. Eadem, qua urfi, inter fe violentia dimicant. 4) Lutra denique marina eft procul dubio lutra Brafilienfis, *Marcgrawio* defcripta, notis hujus omnibus ei competentibus. Caftor quoque non eft marinus, fed potius genuina lutræ fpecies, qua tamen multo craffior. Ceterum perpulchræ eft formæ animal, (unde & pelles in maximo haben ur pretio.) aftutum, alacre. Captum ipforum ample defcribit Nofter, pelliumque præparationem neceffariam.

Sed

Sed nec silentio prætereunda sunt *Astronomica*. Sunt autem hæc: 1) *G. Heinsii Observatio eclipsis lunæ partialis, d. 8 Aug. st. n. A. 1748 Lipsiæ habita*, quam quidem duplici modo instituit: primum annotando appulsus umbræ ad præcipuas lunæ maculas, deinde definiendo phasium conditiones ope machinæ parallacticæ, in Observ. eclipsis solaris d. 25 Jul. ejusd. anni exhibitæ. 2) *Nic. Popowii Methodus observandi eclipses luminarium.* Proposuit hic sibi, methodum describere novam, qua tam phases eclipseos, quam chordæ defectuum, & positiones earum ad se invicem, diurnique luminarium, eodem momento, ab unico observatore, absque omni usu cochlearum & machinæ parallacticæ, ubique locorum, accurate & promte observari, & quantitas earum in numeris absque correctione observationum, in partibus autem circuli maximi absque observatione stellarum, & mensuratione distantiæ objecti in terræ superficie, præcise haberi, simulque locus lunæ, respectu æquatoris apparens, quocunque tempore deprehendi, & transitus ejus per stellas commode observari, queat. Exequitur hoc ope micrometri filaris, cujus constructionem & usum pluribus describit. Prout e monito, quod initio hujus *Tomi* legitur, intelligimus, sunt hæc specimina Adjuncti, juvenis adhuc; unde, etsi non omnia prorsus nova sint & singularia, laude tamen sua non defraudanda esse videantur.

Pag. 407. 413 - 471.

JOANNIS PIERSONI VEROSIMILIUM LIbri duo.

Lugduni Batavorum, 1752, 8 maj.
Plag. 18.

Exemplo laudabili instituerunt ab aliquo tempore Viri docti in Batavis Autores Græcos editis libellis, ei rei destinatis, emendare atque illustrare. Quos inter non postremo loco habendus est, qui nunc in scenam prodit, *Joannes Pierson.* Ejus enim *Verosimilia*, (sic inscriptam a se opellam ad *Jani Guilelmi, Lucæ Frutcrii, Gasparisque Scioppii*, exemplum profitetur,) plena esse observationum bonæ frugis, nemo diffitebunt

bitur æquus & intelligens harum rerum judex. Agnoſcent protinus omnes hominem in Græcis Autoribus, Poetis præcipue, diligenter verſatum; ſed agnoſcent iidem quoque ætatem nondum maturam, uberes olim fructus ingenii bene nati promittentem. Apte *Veroſimilium* inſcripſit elogium libello ſuo doctiſſimi Viri modeſtia. In multis enim certis, & omni dubio exemtis, emendationibus & conjecturis feliciſſimis exciderunt ipſi, pæne dixerimus plura, certe non pauca, quæ citra veriſimilitudinem ſubſiſtunt, quædam quoque, quæ multum ab ea abſunt, ut in ſpecimine demonſtratum dabimus, non carpendi ſtudio, ſed eadem uſuri libertate, qua ipſe in alios uſus fuit, meritos ſæpe, ſed interdum quoque immeritos. In quibus ipſis fuit clarum in literis, & *Philoſtrato* auſpicatum, nomen, *Olearius* quondam noſter, qui, ſi, munere ſacro impeditus, quo tum implicabatur, cum in Sophiſta edendo totus eſſet, prætervidit quædam, aut offendit in nonnullis, properabundus & aliis intentus, dignus tamen non erat, qui modis tam contumelioſis & arrogantibus exciperetur a juvene, qui, ſi, meritis in literas Græcas a ſe, exiſtimat, *Olearium* ſuperari, multum fallitur. Ipſe, ſi tam arduam ſuſcepiſſet provinciam, qualis eſt editio Sophiſtæ, exquiſitam elegantiam affectantis, ad quem intelligendum non ſolum haud vulgari Græci ſermonis, ſed etiam antiquitatum, aliarumque rerum, peritia opus eſt, qualem ſe fuiſſet præſtiturus, ſatis declaravit iis modis, quibus & *Euripidem*, & ipſum *Philoſtratum*, excepit. Mirum non eſt, vaſta coacta meſſe gravem & feſſum colonum ſpicilegium relinquere ſublecturo. Neque adeo certæ & exploratæ probitatis ſunt omnes ejus in *Olearium* ſtricturæ, quin habiturus ſit, quod reſpondeat, quiſquis huic patrocinari voluerit. At *Barneſii* cauſam noſtram non facimus, qui, ſi ſævum in modum Noſtro vapulat, id ſibi debet. Recte enimvero queritur *Pierſonus*, optimum Poetam Tragicum & ab homine arreptum fuiſſe, cuicunque alii rei præter *Euripidis* editionem apto, & ab ejus inde exceſſu exſtitiſſe neminem, qui ornandam dignis modis hanc ſpartam ſibi ſumeret. Ipſe præivit exemplum, quod ſi plures imitentur, bene erit *Euripidi*. Quamvis enim

longe

longe plurima ejus vulnera ne attigerit quidem Noster, aliis medicinam adhibuerit haud congruam, ipse passim inflixerit nova; at vel sic tamen dicendus est non male de *Euripide* meritus fuisse, libellique pars ut maxima est, sic optima nobis esse videtur ea, quæ in laudato Tragico occupatur. Nam, si ex iis, quæ ad Anthologiam Græcam protulit, a nobis diligenter examinata, reliquas ejus observationes in alios Autores Græcos æstimare fas est, (eas enim nondum lustravimus,) aliquanto ipsi infelicius opera & conatus in his, quam in Tragico, cessit. Non ad obtrectandum meritis Viri Doctiss. laudibus, reprimendosve nobiles ejus conatus, facit hoc judicium, quos stimulare potius & urgere volumus. Verum, dum agimus, quod officii nostri est, & id, quod res est, hoc de libello libere profitemur, agnoscimus sortem Criticis omnibus communem, quorum nemo per omnia rectum assequitur, nemo vitiis caret, ille reliquis præstat, qui minimis, qui paucissimis, urgetur. A nulla segete lolium abest, & præstat, judice *Longino*, dormitantem interdum *Homerum*, quam *ἄπ]ωτον Apollonium Rhodium*, esse. Facit hæc admonitio eo, ut, cum aliorum errores reprehendimus, quod invidia caret, & ingenuos decet, &, ut fiat, maxime necessarium est, factumque non, nisi tumidus sui admirator, ægre fert, a calore tamen ætatis & fiducia nostri non abrepti, exuto livore & fastu, mitius & humanius de viris sentiamus, ad quorum gloriam adspirantibus arduus clivus scandendus est.

Autores Græci, quos emendare *Piersonus* instituit, optimi quique sunt; maxime tamen copiosus fuit in *Alciphrone* & *Apollonio Rhodio*, in quem ubi profert conjecturas suas, immiscuit illis variantes lectiones, e Codice MSto illius Poetæ quondam *Gudiano*, nunc Bibliothecæ Guelferbytanæ, depromtas, quas Viro Celeberrimo, *Ernestio* nostro, in acceptis refert. Porro operam præcipuam posuit in emendandis *Callimacho*, *Anthologia Græcorum Epigrammatum*, *Euripide*, *Hesychio*, *Orpheo*, *Philostrato*, & *Sophocle*. Non contemnendum numerum Græcorum minutorum carminum, Epigrammata appellant, inspersit, ab ipso primo editorum. In castigando *Euripide* deseruit ordinem vulgatorum Codicum,

& Dramata, ut volupe fuit, ſic arripuit & depoſuit per vices, ab aliis ad alia deſultans. *Hecubam* ſolam prorſus non attigit. Cujus conſilii rationem, quando quidem ipſi non placuit prodere, cui inprimis deberet, temerarium eſſet, ſi eam aut exquirere, aut ſcrutari, vellemus, quamvis, conjectura eam aſſequi, haud difficile nobis eſſet.

Accedimus nunc ad proferenda quædam *Pierſoni* conjecturarum in *Euripidem* (nam ad illum ſolum nos nunc adſtringemus) & probarum, & quæ ſecus ſunt, ſpecimina, veſtigiis ejus inhærentes, uſuri tamen delectu & modo, ne Lectores fatigemus, & cenſores totius opellæ nos profiteri videamur. De conjecturis ejus in univerſum tenendum eſt, præter judicium, ſuperius poſitum, magnam earum partem verſari in refingendo metro. Facit nempe Noſter cum illis, qui, anapæſtos e ſecunda & quarta jambi ſede tollendos, verſusque eosdem recurrentes, aut ſimiles, expungendos eſſe, ſanciunt, augmenta ubique inferciunt, colorem omnem dialecti non Atticæ admixtum delent, articulos ὁ & ὃς e. c. permutando, & eam ob rem caput verſuum in cauda collocant. Hanc inire viam ſi libuerit, actum eſt de *Euripide*. Eat, licet, incumbat totus in ſpongiam. Quid facilius ita graſſanti, quam totum Poetam reformare. Licebit ita inſtituenti emendationum, ſi Dis placet, volumina effundere ſtanti pede in uno. Sed recte ſibi ſapiens ab hoc morbo cavet, quem, ut aliis bonæ horæ fruſtra perirent, magnum quidem, ſed ſæpe ſibi diſſimile, & umbras haud raro captans, peperit Angli *Varronis* ingenium. Male feriata hæc eſt diligentia, & prurigo & libido ſana omnia corrumpendi, quacum rem nos quidem nullam habebimus. Sed pergamus. Recte *pag. 3* corrigit in *Ione verſ. 195* πανὸν (id eſt, φανὸν, *facem*,) pro vulgato πλανὸν. *Pag 10* recte ſubodoratus fuit vitium in *verſu* ejusdem *Fabulæ 576* latens, in iſtis δάπεδ' ἀλητείαν τε σὴν. Proxime quoque a vero abeſt, reſtituens δάπεδα θητείαν τε σὴν. At vel litterula mutari hoc quidem in loco non debet, ſed tantum aliter diſtingui, hunc ſcilicet in modum δάπεδα λητείαν τε σὴν. Eſt λητεία, vel λιτεία, idem, quod λειτουργία, *ſervitium*, exe-

cutio

cutio demandati officii, quod, quamvis futurum ſit, ut novum & inauditum multis accidat, demonſtrare tamen hujus loci non eſt. *Pag.* 21 vexatum *Iphigeniæ Tauricæ* locum *verſ.* 811 tractat, ubi *Oreſtes*, in vulgata quidem lectione, *Iphigeniam Electræ* nomine compellat. Noſter putat, ἀκȣ́ω & Ἠλέκτρας legi debere, vertitque locum ſic; *Dicam. Hæc primum audivi ab Electra. Et Atrei ac Thyeſtæ litem cognovi.* Quandoquidem hæc non ſatis nobis probantur, & iſtius rheſeos alia complura, quæ vulgo vitioſa circumferuntur, non attigit, apponemus ejus partem, ut legi debet:

Λέγοιμ' ἂν. ἀκοῇ πρῶτον, Ἠλέκτρας πάρα,
Ἀτρέως Θυέςȣ τ' οἶδα γενομένην ἔριν.

Dicam. Novi auribus acceptam ab Electra
Rixam, quæ olim Atreo cum Thyeſte fuit.

Vel poſſit, præter Ἠλέκτρα πάρα, nihil mutari, & οἶδα pro *vidi* accipi. Quod ſuadere videtur ſequens ἤκȣσα, reſpondens præcedenti ἄκȣε. Reſpondet nempe *Electra:*

Ἤκȣσα. χρυσῆς ἀρνὸς ἣ σφιν ἦν πέρι.

Oreſtes. Ταύτην ὑφήνασ' οἶσθ' - -, & rurſus idem poſt alterum verſum:

Ἔπειτ' ἐν ἱςοῖς ἡλίȣ μετάςασιν.

Probum eſt *pag.* 25 reſtitutum ὦ τῆς Ἑλλάδος ναῦται νεὼς in *Iph. Taur. verſ.* 1186. Felix eſt emendatio ἐπείχετο *verſ.* 1393 ejusdem *Fabulæ* pro ἠπείγετο, ubi olim conjiciebamus ἐνίσχετο, aut ἐτείρετο. Non cedit iſti correctio *verſ.* 1453 τεύξας ναὸν pro τάξας, *pag.* 28. Ejusdem commatis eſt rheſis *Euripidis* apud *Stobæum*, ſic *pag.* 37 reſtituta:

Μή σοι τύραννος λαμπρὸς ἐξ ἀςȣ̃ φανῇ.
Κόλȣε δ' ἄνδρα παρὰ δίκην τιμώμενον.

Vulgo ἐξ αὐλῆς & κώλυε legitur in Florilegio *Grotiano pag.* 181. At *pag.* 57 *verſu* 12 *Medeæ* φυγὰς πολίταις reſcribenti

Mm 2 non

non ſubſcribimus, certi, φυῆ πολιτῶν ſcribendum eſſe. Φυὴ eſt, quod *Lucretius ſeculum* appellare ſolet, id eſt, *genus*. *Seculum civium* periphraſtice poſitum eſt pro πολίταις. *Pag. 58* ejicit *verſum 304*, nullo alio argumento, quam quod ipſi viſus fuit a ſciolo profectus eſſe. Atqui, ſublato illo, periret quoque voci προςάτης ipſi oppoſita ἡσυχαία. Eodem cultro *verſum 380* exſecat, quod antea *verſu 41* etiam legitur, & alios plures eodem loco. In *Hippolyto pag. 63* recte conſtituit *verſ. 657* ſic: εἰ μὴ γὰρ ὅρκοις θεῶν ἄφρακτος ἡρέθην, ſed *Alceſtidis verſum 366* ſic refingens *pag. 69:* σοὶ τῶςδε θεῖναι, πλευρά τ' ἐκτεῖναι πέλας, non omnino ſatis facit. Ut enim de fine verſus recte emendato dubium nullum ſupereſt; ita initio potius ab *Euripide* profectum fuerit σοι γᾶςδε θεῖναι. Eſt autem γᾶςδε, aut γᾶζε, *humo, in*, vel *ad, humum*, ut Ἀθηνάσδε, vel Ἀθηνάζε, *verſus Athenas*. Verſum quoque *Andromachæ 27* fruſtra tentat *pag. 71*, pro προςῆγε ſuadens πρύσαινε. Dicitur quidem ſpes σαίνειν, item προσσαίνειν, at non προςαίνειν. Adeoque debuiſſet Poeta, ſi voluiſſet hoc verbo uti, non πρύσαινε, ſed προςέσαινε, dare. Verum recte habet vulgata προςῆγε. *Spes me ſemper ductitavit*, ἐλπίς μ' ἀεὶ προςῆγε. Eſt enim προςάγειν in ea dictione idem, quod πρόσω ἄγειν, *ulterius atque ulterius prolicere*, velut monſtrato θαλλῷ, aut fruſto carnis, prolicimus ad ſequendum, & ductitamus, reſtitantes vitulos canesve. In eadem *Fabula verſ. 402* κόμης ἀποσπασθεῖσα præter rem ſollicitat. Eſt enim id ſanum, idemque valet, ac ἀπὸ κόμης σπασθεῖσα. Reſpondet ἀπὸ Germanico *bey*. *Pag. 74* arripit locum communem, tolerari non debere dialecti poeticæ notas in Attico Tragœdo, ideoque *Andromaches verſum 810*, in quo τὺς pro ὃς legitur, aliosque bene multos, ex libidine ſua refingit; quemadmodum paulo ſuperius fecerat cum caterva verſuum haud exigua, in quibus aut verbo alicui augmentum deerat, aut ſecundam ſedem anapæſtus occupat. Qualium immanis copia alios a ſimilibus auſibus abſterreret, & ſapere juſſis ſuaderet, ut victas tandem manus veritati & rectiora tuentibus darent, neque veteres recenti ore loqui cogerent. Sed ita facti ſunt Critico-

rum

rum bene multi, ut, quod casus, aut error, ipsis objecit ἄγαλμα, ubique id dedicatum eant, & obtrudant Autoribus conjecturas, quas, si in ipsis reperissent, iisdem modis, quos nunc damnant, fuissent correcturi. At quo tandem procedet ea res, si vel in has nullius momenti minutias tyrannidem affectamus? Juris nihil Autoribus in sua, immo membrorum ipsis nihil faciemus reliquum, aut struemus tantum eo, ut habeant posteri, quod destruant. *Supplicum vers. 228* recte animadvertit *Piersonus* vitium, & proxime abfuit a vera emendatione, τὸν οὐ νοσοῦντα scribens. Sed *Euripides* οὐ συννοσοῦντα dedit. *Vers. 1098* recte ἥκιστα restituit pro vulgato ἥδιστα. Mirum tamen, quod in eadem rhesi vitium altero *versu* superius πολλῶν non item sustulerit. Nam πολλὴν legendum est, & ποτ' ἦν παῖς τῇδε (*ibi loci*) μοι. Pulchre vidit sensum loci in *Rheso vers. 854*, οὐδ' ἀφιγμένον τὸ πάμπαν ᾖσαν, monstravitque ex Etymologo, ᾖσαν idem esse atque ᾔδεισαν, *norant*. Unde jam facile est, præclaro ejus invento, quæ desunt, addere. Scilicet ὃν deest: ὃν οὐδ' ἀφιγμένον τὸ πάμπαν ᾖσαν, *quem* (Rhesum) *ne quidem advenisse norant*. Ab *Euripide*, tantisper deposito, *pag. 83* in *Anthologiam* Græcam evagatur, in qua tractanda aliquanto ipsi conatum infelicius, quam in Tragico, cessisse, paulo ante monebamus. Comitemur euntem aliquantisper. Primas tribuit (verba ejus sunt) *Callimachi Epigr. 47*, in quo non percepit dictionem, πᾶς ἐν ἐμοὶ Ζεὺς ἐκεραυνοβόλει. Unde versum elumbem & claudum nobis procudit, παῖς δ' ἐν ἐμ' (id est, ἐμοὶ) ὡς Ζεὺς ἐκεραυνοβόλει. Atqui Græcæ linguæ indoles saltem ὁ παῖς flagitabat. Verum vulgata recte habet. Poeta enim vult dicere, ita se perculsum & dementatum amoris impetu, ita consiliorum & cupidinum adversis pugnis distractum & jactatum, tanquam si *Jupiter* cum omnibus suis fulminibus in se descendisset, & in pectore suo, quantam potuerit maximam, tempestatem excitasset. Similis est illa dictio *Euripidea* in *Bacchis 300*, ὅταν γὰρ ὁ θεὸς εἰς τὸ σῶμ' ἔλθῃ πολύς. *Pag. 85* producit Epigramma *Meleagri*, quod pluribus nævis obsitum esse, queritur, & velut desperatum deponit.

Sed planum & expeditum eſt, neque in eo quidquam emendandum, præter θυμ', ἔμαθον, verſ. 2, & verſ. 3 ἀλλ' αὐτὸν ὑπέστης Juvat Latinam ejus metricam interpretationem adſcribere:

Formoſis Theronem, exactum, mi anime, ibas
Nuper præſidens ore nefandiloquo.
Per Venerem, in pulchris illum tunc eſſe negabis?
Atque feres oculos, fulmina ſæva Jovis,
Intrepidus? Nuper formoſi ſpecta ut acerbe
Os infræne ultrix contuderit Nemeſis.

Pag. 87 rurſus lacerat *Callimachum*, pro ſano ἐβόησα ſuum ἐκόησα obtrudens, præterhabito τὴν ἱαρὴν vitiolo, quod rectius τὴν μικρὴν ſcribitur; & *Anthologiæ Lib III Cap 25 Epigr.* 9 in *Orpheum* præter meritum eundem vexat, ſed rectius reſtituit *verſum* ultimum *Epigr. 5 Cap. 15 Lib. VI* ſic: ἠέρι, κὴν πόντῳ. Etiam conjectura ejus τίκε καὶ τρέφε ſcita eſt, & placebit illis, qui credent, vulgatam λάβε καὶ τέκε vitio laborare; quod tamen non omnibus perſuadebitur. Nam λάβῃς perquam commode ibi ſignificare poterit *ſi concipere volueris*. In *Crinagoræ* Epigrammate tractando eadem *pagina* rurſus utitur fortuna ſua. Sed redimus ad *Euripidem*, cujus e *Bacchis* longam rheſin proponit *pag. 121*, quam transpoſitione putat emendandam, & *verſus*, qui nunc ſunt in libris noſtris, *21* & *22* inter *verſus 19* & *20* inſerendos. Diffiteri nolumus, eo ſi verſuum ordine placuiſſet Poetæ ſermonem ſtruere, quem *Pierſonus* ſuadet, neminem unquam pedem offenſurum eſſe. At, cum non placuerit, & in vulgata nihil quidquam ſit, quod vel minimum negotii faceſſat, quid opus, Poetæ facultatem ore & arbitrio ſuo loquendi negare? Quis in his Latinis nexum deſideret, Græca, ut in vulgatis libris jacent, fideliter referentibus? *Hanc in urbem Græcarum primam veni, quo, poſt* (vel *per*) *inſtituta ibi quoque tripudia & ſacramenta mea, eſſem conſpicuum mortalibus numen.* Conſtructio nempe hæc eſt: ἦλθον εἰς τήνδε τὴν πόλιν ἵνα εἴην δαίμων ἐμφανὴς βροτοῖς χορεύσας κἀκεῖ--. Leniori medicina perſanat *pag. 123* locum

cum ejusdem *Fabulæ verſ. 51*, monſtrans, dirimendas eſſe voces duas ἐξ ὄρυς, *a monte*, quæ vulgo male in unam abierunt ἐξόρυς. Sed *pagina 124* potuerat ſuperiore loco male in uſum advocatam tranſpoſitionem verſuum meliore ſucceſſu & aptiori loco applicare. Putat nempe, αἰθύσσει ſcribendum eſſe pro ἀΐσσει *verſ. 147*. Sed locus erat ſic digerendus:

Manat lacte ſolum, ait chorus,
Manat vino, manat apum nectare.
νέκταρι. Συρίας δ' ὡλιβάνυ καπνὸς
ἐκ νάρθηκος ἀΐσσει.
ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων
πυρσώδη φλόγα πεύκας
δρόμῳ καὶ χοροῖς, &c.
Syriæque olibani (id eſt, *thuris*,) *fumus*
e ferula aſſurgit.
Bacchus autem tenens
ardentem tædam pineam &c.

Pag. 127 præcipitat judicium in *Bacch. verſ. 722*, τῇ τεταγμένῃ ὥρᾳ ingerens, haud memor, lectam a ſe multis in aliis Autoribus absque offenſione fuiſſe vulgatam τὴν τεταγμένην ὥραν, in qua dictione ἀνὰ, vel κατὰ, ſubintelligitur. Neque felicius tractavit *verſum 815*, reponens κἂν ἔλθῃς λάθρᾳ. Sed Poeta dederat κἂν θέλῃς λαθεῖν. Recta rurſus monet ad *verſ. 840* & *1101*. Quæ autem *pag. 130* diſputat, nondum extra controverſiam poſita ſunt. Vult enim Poetam cogere, ut *verſ. 1207* eodem modo loquatur, atque *verſ. 735*. Et idem tamen *Pierſonus* Poetæ dictiones easdem iteratas abrogat. Feliciter (ita enim procedit inter lapſuum & ſublimium ſaltuum vices,) emendat *pag. 134* fragmentum *Euripideæ Danaæ*, quod in *Stobæo Grotiano pag. 261* habetur, κἀπὶ τοῖς ἀργοῖς ἔφυ, *Amor torpentibus agnatus eſt*, pro quo vulgo nullo ſenſu legitur κἀπὶ τοῖς ἔργοις. Pari dexteritate *pag. 140* ſanat aliud fragmentum *Euripidis*, ibidem exſtans *pag. 415*, ἀγχόνων pro ἂν χρόνων. Sed rurſus *pag. 142 verſum 28 Cyclopis* attre-

attrectat, ubi non debuerat ultra *Scaligerum* sapere. Quod *pag. 143* commendat ἐγκάναξον pro ἐκπάταξον, non caret quidem specie, venitque ante eum in mentem aliis quoque, quibus nonnulla cum *Aristophane* consuetudo est, eoque faciliorem veniam peccatum impetrat. Vulgata tamen recte habet. Ἐκπατάσσειν & ἐμπατάσσειν comice dicitur ille vinum, qui lagena inversa id effundit, cum impetu & strepitu prorumpens, & in suppositum vas illidens. Propositis *pag. 144* & *146* conjecturis careri potest. In Epigrammate *Jensiano*, *pag. 148* ventilato, aut σμῆμα (quod idem est atque σμῆγμα) aut eodem sensu ῥύμμα, restitui debet, & locus *Euripidis*, ibidem agitatus, in hunc modum:

Ἡμεῖς μὲν ἕτοιμοι μακρότερον πρὸ τῶν θυρῶν &c.

Nos quidem parati sumus, modo longiuscule a foribus distemus.

Ἐσμὲν, e superscripto Scholio in textum irrepens, extrusit ipsam vocem Poetæ. In præcedentibus, quæ Nostro, & vel ipsi quoque *Scaligero*, negotium facessiverunt, evanescet omnis difficultas, si teneatur, in ὥς τινας tacite a communi repetendum esse verbum τάττειν, ὥς τινας πρώτους (τάττειν) χρεών. Acute vidit *pag. 150*, quomodo & luxatus & prave exaratus locus cum emendando, tum transponendo, restitui debeat. *Pag. 152*, occasione loci *Musæani*, quem & in Appendice notularum ad Anonymi *Isagogen Anatomicam*, & in *Novis Actis Eruditorum Mense Jul. A. 1748 pag. 408*, tractaveramus, *Acta* hæc nostra non obscuro livore impetit, forte vindictæ studio, quod civem & amicum suum a nobis iniquius habitum crederet. Vir ille doctus, cujus & ista, & hæc, sunt, quamvis non dubitet, a suis monitis *Piersonum* transpositiones in *Euripide* venari didicisse, quas si omnes in his *Verisimilibus* exhausit, multæ ipsum profecto latent; rixas tamen haud avet conserere, tantique rem haud facit, sed illi lubens & absque controversia herbam porrigit, penes quem verum est. At penes eum non est semper, qui, tenere se, credit. *Pag. 170* edidit Carmen *Stratonis*, a quo satius forte fuisset abstinere,

præ-

præfertim cum eo nihil aliud ageret, quam ut proclamaret, mentem carminis se haud perspicere. Facile nobis esset, gravissime affectum illum locum emendare & exponere; sed nolumus oletum hoc movere. *Pag.* 177 ingentes ciet motus, & longam orditur disputationem, ad *verf.* 491 *Heraclidarum*. Verum, quamvis conjecturæ ejus laus acuminis negari nequeat, tot tamen & tanta non opus est turbare, cum leni aura difflari, quicquid inest tenebrarum & obstaculorum, queat. Scilicet *verf.* 489 σημαίνων est exarandum pro vulgari σημαίνειν. Cetera sana sunt. Placent *pag.* 181 scripta, & *pag.* 183, & 184. Emendationem *pag.* 185 κελευστῦ res ipsa flagitat. Sed ὄρθια retinendum, & ὧν ἠκύσαμεν legendum. Meretur quoque album calculum *pag.* 191. Sed *pag.* 218 sinistre gessit rem ad *Herculis fur. verf.* 27. Ibi enim restituendum esse Δίρκης ὁμευνήτωρ, satis monstrant veteres editiones, quæ Δίρκης μεν ἐυνήτωρ habent. *Pag.* 220 assensum a paucis feret, ἐγγενῶν reponens *verf.* 257 pro τῶν νέων. Recte quidem perspexit mentem Poetæ, *indigenis advenam* opponentis. At ille tamen, non quod *Piersonus* vult, sed τῶν ἐτῶν, scripsit, hoc est, τῶν ἀστῶν. Nam ἔται sunt ἀστοὶ, quod ex *Hesychio* constat, cujus has accipe glossas: Ἔτας. τὺς κατ' ἐπιγαμίαν συνοίκυς, καὶ πολίτας. Item Ἔταισιν. ἑταίροις, πολίταις. *Pag.* 224 tractat *verf.* 1101 & 1102 ejusdem *Fabulæ*, in quibus recte constituendis poterant veteres editiones prodesse, quæ & ἔπω pro ἤπυ, & fine versus prioris πάλιν, & secundi μολὼν, habent, quem bonum ordinem turbavit, quisquis ille fuit, sive *Canterus*, sive *Barnesius*. Maxime offendit, nec immerito, in eo loco ἐξ ᾅδυ iteratum in eadem dictione eodem spiritu. Quapropter posteriore *versu* Noster ei suffectum ivit ἐντολαῖς ex aliorum locorum collocatione. Nobis quidem visum fuit, sanitatem hoc modo loco posse reddi:

Οὔπω κατῆλθον αὖθις εἰς ᾅδυ, πολὺν
Ἐυρυσθέως δίαυλον, ὡς σταδιεύς, μολών.

Non profecto secundum descendi ad inferos, longinquum,
Ab Eurystheo imperatum, geminum stadium, velut stadii cursor, emensus.

Præterimus brevitatis studio alia quædam animadversione digna, & ad finem properantes, ultimum *Euripidæorum* Dramatum obiter adhuc lustrabimus, quod Noster omnium inquinatissimum & neglectissime habitum esse asseverat. Necessaria itaque conjectura ejus, *pag.* 238 proposita, non est; &, quam *pag.* 239 exhibet, ea prorsus mala. Veteres enim editiones τηλορὸς recte habent. *Verf.* 324 legitur:

Ὀυπώ ποτ' ὖ χοὰς ὖδὲ μυρσίνης κλάδον

Ἔλαβε.

Noster suadet ὖπώ ποτε χοάς. Sed Poeta dedit ὖπω ποτὲ χοὰς, *nondum vini libamenta.* Τὰς μετρογλύφας non curamus. *Verf.* 546 ἦ 'κ τῆσδε, id est, ἢ ἐκ τῆσδε suadet; sed rectius σκοπὰς legetur. Elegans & certa est emendatio, quam *pag.* 244 *verf.* 631 admovet, δμῶες μέν εἰσιν οἵ σε γ' ὖκ εἶδόν ποτε. *Servi sunt, qui te nunquam viderunt.* Utinam *versum* 633 quoque expediisset! Paulo post *v.* 636 recte suggerit ὁδὸν παρ' αὐλὴν, & *verf.* 665 ἐπεὶ τ' ἀπάντων. Finit observationes suas in *versu* 1263 *Electra*, ubi ἐκ τύτυ, *ex eo inde tempore*, suffectum it pro ἐκ τε τῦ, tanquam si hoc non idem atque illud significaret. Non offendisset ad ἐκ τῦ. Atqui ἔκ τε τῦ prorsus idem est. Τε & δὲ sæpe abundant, nihil significant, explendo tantum metro, & lubricando sermoni, faciunt, ut in ὥστε, ἐς τε, οἷός τε, ὅσον τε, τοσόνδε, ἐφ' ῷ τε, & similibus. Vulgatum illud, & nemini non notum, ὅτε & τότε quid aliud est, quam aut ὖτε & τῦτε, aut ὦτε & τῶτε Veteres o absque discrimine pro ὖ & ω scribebant. Τῦτε ergo est pro ἐπὶ τῦ χρόνυ, & τῶτε idem atque ἐν τῷ χρόνῳ.

Profligato *Euripide*, ut causam civis nostri, celeberrimi *Olearii*, agamus, flagitare a nobis caritatem patriæ & Viri merita, existimamus. Arduum non erit, demonstrare, aut præcipitatas & iniquas esse reprehensiones, quibus clarum illud nomen lacessit, aut errores eum veteres novis auctum, & clavum clavo, quod ajunt, excussum, ivisse. Nobis quidem, instituto examine stricturarum ejus in *Philostratum*, constitit, conjectu-

jecturas, quibus Sophistæ vere opem tulit, numero eas, quæ sequ oris generis sunt, vix una superare. Novem enim probæ sunt, octo reliquas Autori facile redonabimus. Quod, ne precario a nobis asseri videatur, positis in medio exemplis, evictum dabimus. *Philostratorum* ergo *Iconibus* dedit *Caput octavum Libri II Verosimilium* suorum, &, præmisso præclaro elogio, *Olearium per totum opus negligentissime versatum fuisse*, primum ejus negligentiæ argumentum hoc proponit, quod Editor Sophistæ non in eandem secum venerit sententiam, ἐπισαλεύουσα legendum esse pro ἐναλύουσα *Icon. I, 10, pag. 729*, quod Nostro ideo displicet, quia isto verbo uti solet Sophista. Tanquam si hoc ideo deterius sit, aut Autori non licuerit variare. Profecto nescias, quid agas his hominibus, aut quid sibi velint, qui recurrentes exiguo intervallo dictiones ideo damnant & mutant, quod pauperiem & imperitiam sermonis prodere videantur, ubi autem tædium varietate abstergunt Autores, easdem ipsis ubique formulas obtrudunt. Ἐναλύειν τῷ μετώπῳ elegans est, & *Philostrati* lepore dignum. *Pag. 233* turpiter lapsum ait *Olearium*, quod non viderit, βλέπων Scholion esse vocis δεδορκὼς apud *Philostratum juniorem Icon. 4* initio, & pro βλέπων τε δεινῶς δεδορκὼς legendum esse δεινῶς τε δεδορκώς. Quamvis fateamur, quæ *Olearius* in nota hunc ad locum attulit, aliena esse; conjectura tamen *Piersoni* non minus a vero abest. Nam optimæ Græcitatis profecto non est δεινῶς δεδορκὼς, sed δεινόν. *Philostratus* videtur βλοσυρόν τι δεινῶς δεδορκὼς scripsisse, *vehementer horribile tuens*. Ad finem ejusdem *Iconis* deleri vult *Piersonus* αὐτῇ in istis: προτείνει δὲ αὐτῇ τὸ τοῦ Ἀχελώου κέρας οἱ ἕδνον τοῦ γάμου, quia αὐτῇ & οἱ idem significet. Verum Sophista non οἱ, sed οἷον, scripsit. Ultima syllaba, ductu calami exarata, quem typothetæ non assequebantur, elisa periit. *Lib. I Icon. 18* in dictione θύρσοι, δένδρα οἶμαι, pro prima voce suadet θύρσου. Sed hæc est παραδιόρθωσις, e non percepta vi verbi οἶμαι nata. *Lib. II Icon. Cap. 11* pro τὸν κόλπον suadet τὸ ὅπλον in illis πειρῶντι αὐτὰς, *tentanti* Pani Nympharum *pudicitiam*, καὶ ἀποτεταμένῳ τὸν κόλπον. *Olearii* versio sic habet: *attrectantem illas, & fœde arrigentem.*

 Palam

Palam est, ex interpretatione viri, tam indocti & nauci nempe, quam Frisoni nostro habetur, conjecturam illam haustam esse. Verum non satis erat illi stabiliendæ, *Hesychii* testimonio probare, Græcos ὅπλον pro hasta obscœna usurpasse, sed recogitare quoque debuisse, sitne satis Græcum, sitne secum non pugnans, ἀποτείνεσθαι τὸ ὅπλον Dicitur quidem Græce ἐντείνειν τὸ τόξον, *tendere arcum*, sed ἀποτείνειν est *detendere*; quod vehementer sententiæ adversatur. De arcu obscœno intento, non detento, sermo est. Levissimum igitur vitium in τὸν κόλπον est, quod facile animadvertitur ab assueto Græcis membranis & librariis, ο & ω promiscue habentibus. Sed gravius laborat ἀποτεταμένῳ, pro quo *Philostratus* dedit ἀπογευομένῳ τῶν κόλπων, *delibanti mamillas earum petulcis digitis*. Quod *pag.* 838 *Philostr.* δυσῶδες pro νοσῶδες reponit, ratione omni caret. Νοσώδης est caro mergorum, noxia, morbos creans. Id enim ea vox non minus notat, quam *morbo laborans*. *Pag.* 845. *Philostratus* tragica & sublimi dictione *parturiunt quasi venæ ejus* ait, αἱ φλέβες οἷον ἐν ὠδῖνι, *conceptam intus iram enixum*, θυμοῦ τινος ὑποδεδυκότος αὐτὰς ἔτι. Quicquid parturit, ὀργᾷ, tumet, humoribus illuc confluentibus, & ad extrudendum fœtum connitentibus. Lumen hoc splendidum orationis, vide, quam frangat & obscuret Noster, ἀνοιδοῦσι, vel οἷον ἀνοιδοῦσι, reponens. Hæccine talia *Oleario* in mentem poterant venire? *Pag.* 848 in *Herculis furentis* descriptione legitur ἱερεῖα προσέρριπται τῷ βωμῷ βρέφη ἀγεννῆ. Suadet *Piersonus* νεογενῆ. Sed pressius ad literam est εὐγενῆ, vel εὐγεννῆ. Nam utroque modo scribitur. α, & ευ, & σου, in membranis ita exarantur ambigue, ut sæpe distingui nequeant. Hinc nati multi errores; cujus rei exemplum paulo ante dedimus in ἀποτεταμένῳ, perperam pro ἀπογευομένῳ exarato. Luculentiora igitur argumenta proferenda deinceps erunt adversus *Olearium* demonstratæ in edendo *Philostrato* negligentiæ & imperitiæ, aut abstinendum ab obtrectatione operis, quod, si perfectum numeris omnibus non est, ita tamen est comparatum, ut Autorem ejus pœnitere non debeat, & satis sibi videri queat gloriæ consecutus esse, quisquis æquet.

VIRO-

VIRORUM ALIQUOT ERUDITORUM AD ARI-*staeneti Epistolas Conjecturae, communicatae cum Editore novissimo, qui suas Notas adjecit. Accedunt* CLAUDII SALMASII, & THOMAE MUNCKERI, *Notae ad Aristaenetum.*

Amstelodami, apud Gerard. de Groot, 1752, 8. Plag. 9 dimid.

Brevis libelli longa recensione Lectores non morabimur, quem si dicamus parentem prodere, & verum dicere nobis videmur, & abunde ad laudes ejus. Eaedem enim dotes hujus quoque sunt, quae reliqua Cl. *Abreschii* opera commendant, modestia, docilitas, peritia linguae Graecae, & usus Autorum ejus linguae optimorum uberrimus. Cum fuissent, qui mirarentur, quare sua in *Aristaeneti* editione passim a lectionibus superiorum editionum abiisset, reddit Cl. Autor facti sui identidem rationes, conjecturarum, quas aut Viri docti literis perscriptis ipsi suggesserant, aut ipse e libris, recentissime eo in genere editis, collegerat, ponit aut nude, aut cum laude, vel & admonitione, ut res ferre & exigere videretur. In posterioribus sunt *Dorvillii*, Viri Clariss. ad *Charitonem* Animadversiones, eodem paene tempore in lucem editae, quo *Aristaenetus* novissimus prodiit. In illis rarae conspiciuntur Clariss. *Trilleri* notae, & admonitiones Viri eruditi, qui *Aristaenetum Abreschii* his in *Novis Actis* nostris *A. 1750 Mense Aug. pag. 455* recensuerat. *Reiskii* nomen frequentissime legitur. Mireris suspiciasque Viri docti humanitatem, qui amicos, a se dissentientes, ubi forte lapsus praecipitatione crederet, nominare noluit, sed propositas eorum sententias modeste refutat, veritus, ne culpa sua qualemcunque maculam eorum existimatio contraheret. Quam a Criticorum maxima turba dissimilis! Paucula igitur observationum specimina juvat promere. Quorum primum esto illud e *pag. 8* de vocabulo φιλότιμος, quod ostenditur non tantum eum significare, qui honorem sibi haberi amet, sed etiam qui alios honore muneribusque studeat afficere. *Pag. 22* monstrat exemplis, συκάζειν idem atque δακτυλίζειν, πειρά-

 δαν,

θαι, *explorare*, valere; *pag.* 23 ἐκκωφεῖν; idem, quod ἐκκωφᾶν, *obtundere*; *pag.* 24 ἐγείρεσθαι, idem atque ἀναστῆναι, *surgere*; *pag.* 33 οὐκ εἶναι, idem atque ἀπεῖναι, vel μὴ παρεῖναι & ὀφθῆναι, atque οὐκ εἶναι commode opponi. *Pag.* 35 refutatur V. D., qui dictionem λαλεῖν ἱκετείαν ut inficetam & deteriore seculo dignam improbaverat. *Pag.* 44 exempla prostant verborum προσφθέγγεσθαι & συμφθέγγεσθαι. *Pag.* 47 asseritur verbo διεκπηδᾶν sua autoritas. *Pag.* 51 exemplis probatur usus comparativi pro superlativo, & *pag.* 52 dictionis ἐπί τινι φέρεσθαι. Finem huic opusculo faciunt *Claudii Salmasii*, *Thomæ Munkeri*, & *H. L. Schurtzfleischii*, ad *Aristænetum* observationes non multæ, e Viri docti, ultimo loco laudati, *Actis literariis* excerptæ.

LETTRES SUR LA COUTUME MODERNE d'employer Vous au lieu du Tu, &c.

hoc est,

EPISTOLÆ IN HODIERNAM CONSUETUDInem, usurpandi Vos *pro* Tu, *& in quæstionem hanc: An removendum sit illud* Tu *ex librorum, maxime Scripturæ Sacræ, versionibus.*

Hagæ, apud Danielem Aillaud, 1752, 12.
Plag. $14\frac{1}{2}$.

Autor libri est *Vernetus*, Historiæ bonarumque artium Professor apud Genevenses, multis jam magnisque meritis suis in re publica sacra & literaria satis clarus. Hic animum ideo, dicitur in Præfatione, ad scribendum appulisse, quod ea de re multa tum esset Genevæ quæstio, suumque ab aliis exposceretur suffragium. Cui lato cum accederent *Cramerus*, *Abausitius*, & *de Roches*, autores hi ei exstitisse feruntur, ut consignaret literis, quicquid esset, quod ea de re ipsi veniret in mentem. Quod Dissertationibus duabus ipsum initio fecisse, docet eadem Præfatio; quarum altera sententiam suam exponeret

neret, altera ab adversariorum reprehensionibus eam defenderet. Quæ vero etsi magna a multis voluptate perlegebantur; tamen argumentum rei singularis tantum continere videbantur. Idcirco, cum rogarent amici exteri, uti sibi earum faceret copiam, præcisis omnibus, quæ viderentur ad singularem illam rem pertinere, ita tractavit argumentum, ut ad universos ejus usus pertineret. Cum itaque ejus scriptionis exemplum unum ad Belgas mitteret, illud his in oris, ipso inscio, dicitur typis exscriptum esse, maxime ideo, ut constarent sibi tandem librorum sacrorum interpretes Gallici, atque omnes eodem modo illos in linguam patriam verterent.

Ut autem, quæ fuerit Clariss. *Verneto* scribendi causa data, constet, prius illam ex ipsius libri *pag. 86* afferemus, quam hujus enarrabimus argumentum. In eo jam sunt sacerdotes Genevenses doctissimi, ut ex Ebraico sermone in Gallicum libros sacros Vet. Test. transferant, ac Novum etiam Fœdus, quod A. 1727 in usum ecclesiæ Genevensis foras datum erat, (in quo, autore quidem Marchione *du Quesne*, de Deo numero singulari loquuntur interpretes, homines autem ad homines plurativo) nonnullis in locis emendent. Quorum sententiæ cum discrepare viderentur de usu pronominum *Tu* & *Vos*, quod Gallorum more illius locum obtinet; in rem omnem prius accurate inquirere voluit, quam universa librorum sacrorum translatio esset ad umbilicum perducta.

Jam ipse libellus, in quo enarrando versatur oratio, in *novem Dissertationes*, quas vocat Epistolas, describitur, quarum *prima* de origine consuetudinis, pronominis *Tu* numerum plurativum usurpandi pro singulari, quæritur, atque, quoad in ea re Europææ nationes in scribendo loquendoque progressi sint, docetur. Ubi, Hebræos, Græcos, & Romanos, pronominis primæ personæ plurativum, pro singulari, numerum adhibuisse, monet, quod magni Principes facere hodie soleant, cum reipublicæ, cui præsint, nomine, non suo, loquantur scribantve: & illi quidem familiaritatis ac modestiæ causa; nequaquam autem *vos*, aut *vester*, loco *tu*, *tuus*, dixisse; donec, labente re Romana, & Principes de se, tanquam pluribus, loquerentur, & cives, adulantes eosdem, velut plures, alloquerentur, quod ex *Symmachi* ad *Theodosium* Epistolis satis confirmatur. Etsi enim sunt, qui in *Plin. Lib. X Ep. 3* ad *Trajanum*, *ut primum me, Domine*, legant, *indulgentia vestra promovit ad præfecturam ærarii*, ac *Pasquierius* etiam (*Recherches Lib. VII ch. 4*), imponi sibi ab iis, passus sit; tamen editiones meliores *indulgentia tua* habent, quod & *Plinii* & illius ævi consuetudo perpetua satis confirmat. Conf. *Quintil. Or. Instit. Lib. I Cap. 9.* Quinto autem a C. N. Seculo, quod initio adulationis erat, ita manavit ad omnes, ut, aliter Principes alloqui, nefas duceretur. Hinc *Gregorius Turonensis Lib II Cap. 31* ad *Clodovæum* scribit: *Angit me, satis me angit, Vestræ causa tristitiæ, quod bonæ memoriæ germana Vestra transiit Albofledis.* Cui consuetudini cum adhuc repugnarent, qui castæ Latinitatis essent studiosi; tamen Seculo VI & VII illæ loquendi formulæ: *Quid jubet dominatio Vestra? rogo Vestram Celsitudinem, ut id faciatis*, quasque alias in Epistolis obscurorum Virorum hodie ridemus, omnium sermones & epistolas occuparunt. Gothi deinde, Franci, & Longobardi, celeriter quidem hanc arripiebant linguam, imperium Romanum inun-

inundantes; sed miris etiam modis amplius eam depravabant. Unde, cum Italorum, Hispanorum, Gallorum, linguæ sensim nascerentur, eadem consuetudo simul in illas transiit, quæ etiam in Germanica, atque, ortis inde, Belgica, Anglica, Suecica, linguis reperitur. Ubi, utrum ea semper linguæ Germanicæ fuerit propria, an ab imitatione Latinorum, cum sacris Christianorum Germanicæ gentes imbuerentur, ducta, quærit: quod posterius affirmare nemo dubitabit, rerum Germanicarum satis gnarus. Ut unum vero vitium plura ex se parit; ita, hoc admisso, multa exstiterunt alia earum linguarum inepte dicta, ut nunc vulgare illud Germanorum: *domine, voluntne ambulare*? (*Monsieur*, non *Messieurs, veulent-ils se promener*? Apud Belgas eo ventum esse dicitur, ut *tu* hodie vix possint amplius eloqui, quoniam *gy* eorum & *tu* valet, & *vos*. Sic τὸ *tu*, exul omnium pæne per Europam linguarum factum, in Poesi tamen locum suum satis tuetur, ut etiam in precibus, ad Deum missis, si ab unis recedamus Pontificiis Franco-Gallicis. *Altera Epistola* quærit, *an Vos scribendum sit, pro tu, in vertendis scriptoribus profanis e suis in linguas nostras*. Quod variis de causis negatur, quique contra fecerint, recensentur scriptores; quorum tamen numero eximendus est Cel. *Gottschedius* noster, quippe qui non vertit ex Anglico sermone *Addisonii Catonem*, sed novam potius ejus nominis Fabulam confecit. *Epistola III* docet, *convenientius esse, retinere τὸ tu, in vertendis scriptoribus, qui eo usi sint*. Idque ideo, quod magis ea res conveniat 1) grammaticis rationibus, 2) perspicuitati, 3) brevitati, 4) nativo lepori. Quam sententiam *Ep. IV* ab iis, quæ dici contra possint, defendit, atque, quid in vertendis libris sacris ea re factum sit, *Ep. V* quærit, ubi *p.* 75 docet, *Portus Regalis* eruditos homines primo morem antiquum in versione sua, quæ prodiit Mont. A. 1667, migrasse, quos *Amelottus* secutus sit, *Godeavius* autem eum innovandi pruritum, improbante licet *Richardo Simonio Hist. Crit. Cap. 34*, taxarit. Pluratívum tamen numerum *Sacy, Bouhoursius, Quesnellius, Calmetus*, aliique addicti Romanæ ecclesiæ, singulari quasi proscripto, ubique receperunt, atque ad preces adeo traduxerunt. Reformati, quos dicunt, in Synodo Dordracena A. 1618 primo sanxerunt, ut in versione Belgica *gy*, *vos*, locum τοῦ *du*, i. e. *tu*, occuparet. Qui autem eorum Gallica lingua loquebantur, ab eo more abhorrebant, donec *Carolus le Cene* eum sequendum putaret, quod et *Clericus, Beausobrius, Lenfantius*, iis in locis, ubi homines loquerentur ad homines, imitati sunt, quibus omnibus, ut supra dictum est, Genevenses in vertendis libris sacris N. T. accesserunt. Sed Autor *Epist. VI* ostendit, *non esse, cur, civilitatis elegantiaque prætextu, mos vetustus deseratur in transferendis libris sacris*; neque *usum illud requirere, Epist. VII* tradit; pluribus denique rationibus, *id fieri non debere, Epist. VIII* evincit; ac IX tandem consentientia sibi aliorum suffragia, ex eorum literis, laudat, in quibus sunt *Fontenellius*, (qui Germanici hominis librum quendam, hoc indice ridicule ornatum: *de Tibisando & Vobisando*, commemorat,) *Montesquievius, Boullierius, Formæus*, ac *Supervillius*, quorum autoritas plurimum habet momenti. Appendix continet observationes quasdam, quæ suo loco non potuerunt inseri.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCLIII.

Pars I.

NUMMOTHECA PRINCIPUM AUSTRIÆ, ex gazis Aulæ Cæsareæ potissimum instructa, & aliunde aucta, quæ a prima ætate, qua in Austria cusa fuit moneta sub Babenbergicæ stirpis Marchionibus, ad usque Habsburgicæ gentis Principes, lineæ Hispano-Austriacæ, hujusque masculum ultimum Carolum II, Regem Hispan. nummos cujuscunque formæ & metalli: præcipue tamen mnemonicos atque iconicos, qui vel horum jussu, vel eorum gratia, ab aliis percussi, vel fusi, fuerunt, typis æneis expressos, deducit. Pars prima Tomi II Monumentorum Aug. Domus Austriacæ, complectitur Tabulas æri incisas num. LI, operam & studium conferentibus P. R. P. MARQUARDO HERRGOTT, Ord. S. Benedicti, Principalis Asceterii ad S. Blasium Capit. Reverendiss. ac Celsiss. S. R. I. Principi San-Blasiano a Secretis Consiliis, Vices Gerente, & Præposito in Crozingen, nec non Sac. Cæs. Reg. Majestatis Consiliario & Historiographo, & M. R. P. RUSTENO HEER, ejusdem Congregationis Capitulari, Bibliothecæ San-Blasianæ Præfecto, & Nummophylacii Directore.

Friburgi, typis Jo. Georgii Fellner, Universit. typographi, 1752, fol. maj.

Alph. 2 plag. 12, Tabb. æn. 49.

Ea eſt monumentorum antiquorum ac publicorum ad hiſtoriæ fidelitatem autoritatemque vis atque gravitas, ut non ulla alia re de rerum geſtarum memoria melius mereantur viri docti, quam colligendis edendisque ejus generis monumentis atque literis; ea autem Reverendiſſimi Autoris in eo genere diligentia atque eruditio, edito inprimis *Monumentorum Auſtriacorum Tomo primo* veluti probata atque ſpectata, ut eo ipſo *alterius* quandam quaſi prærogativam eruditis omnibus dediſſe videatur. Neque adeo non nobis ſolum, ſed omnibus, difficile fuerit, judicium de eo facere, quibus præclarum quoddam atque egregium *priori Tomo* præjudicium factum ſit. Id dicere atque affirmare non dubitamus, eruditionem Rev. Autoris, quamvis amplum atque ſpatioſum, in quo excurreret, ſeque oſtentaret, campum haberet, tamen eum omnem egregie obiiſſe, totumque impleviſſe. Sive enim rerum geſtarum fidelem memoriam, atque ſcientiam, ſive literarum intelligentiam, ſive judicandi peritiam, a ſolertia quadam naturali natam, & uſu atque exercitatione varia multiplicique auctam, ſpectes, omnibus laudibus cumulatiſſimus debet hic videri labor, nihilque relictum eſt deſiderio loci. Quodſi arbitraremur, eruditionem atque exiſtimationem Doctiſſimi Autoris aliquo præconio noſtro indigere, id certe literarum hujusque ſtudii cauſa faceremus, ut, quibus veluti luminibus præſtantia hujus Operis luceret, intelligeretur. Nunc autem id, in tanta Viri gloria, Operisque ipſius ſive exiſtimatione, ſive exſpectatione, neceſſe non eſt. Itaque hoc potius eſſe ſive conſuetudinis, ſive rationis, arbitramur, ut exponamus, quæ hujus *alterius Tomi* ratio ſit.

Cum *primum* hujus Operis *Tomum* edidiſſet Ven. Autor, in civitatem patriam Friburgum vocatus, eam rationem iniit, ut, quo ipſe Operis, in exſcribendo *Tomo altero* occupatis, præeſſe poſſet, Friburgi *alterum Tomum* exſcribi curaret formis, ſibique ſocium adjungeret M. R. P. *Ruſtenum Heer*, Bibliothecæ & Numothecæ Sanblaſianæ præfectum, Virum doctrinæ flumine inundatum, cujus opera atque ſtudio in edendo

do hoc *Tomo* uteretur: cujus proinde nomen etiam in fronte hujus *Tomi* legi voluit; quod, etsi Academiæ Lipsiensis Professori cuidam, quem paulo ante in laboris societatem vocaverat, operam eam e manibus excussit, tamen hoc ille eam indignatiunculam fert æquius, quo certior est, Venerandum *Herrgottum* non sua sponte eo consilii venisse, sed a Sodalitio & muneris rationibus *Rusteni*, V. Cl. qui Bibliothecæ præfectus esset, invitatur. At hæc præfiscine.

Jam dicendum est primo, unde initium ceperit hujus *Numothecæ Austriacæ*, sive hujus *Tomi*, in quo numorum Austriacorum interpretatione res Austriacas illustrare instituit. In colligendis domus Austriacæ monumentis, & eorum quidem *Tomo primo*, in Sigillis occupato, ultra *Fridericum Placidum*, ejusque filium *Maximilianum*, progressus non est, quorum perpauca sigilla atque monumenta prodidit. Ab eo itaque fine, quo in exponendis sigillis substitit, explicandorum numorum Austriacorum initium capiendum sibi existimavit. Nam eorum quidem temporum, quæ *Fridericum Placidum* atque *Maximilianum I* Imperatores præcedunt, numi admodum rari sunt, neque series quædam eorum effici potest. Neque tamen eos plane prætereundos arbitratus est Rev. Autor, sed in limine Operis hujus collocandos putavit. Id autem operam dedit, ut justo ordine seriem numorum Augustissimæ domus Austriacæ exhiberet. In quo quidem eum operæ pretium fecisse, facile intelligetur, si, qui eum præcesserint in hoc consilio exequendo Viri docti, & quanti eorum opera sit, tradiderimus. Primus, qui quidem cum aliis etiam numis Austriacis operam suam impenderit, memoratur a V. R. *Jo. Jac. Luckius* in *Sylloge Numismatum elegantiorum*; sed in eo desideres vehementer diligentiam tam colligendi, quam exprimendi, atque etiam interpretandi; sæpenumero enim non solum in interpretandis numis, sed etiam in eorum annis, lapsus esse reperitur. Majorem diligentiæ laudem meretur *Jac. a Mellen*, qui in *Sylloge Numorum ex argento uncialium LXXIII* Numismata Austriaca prodidit, atque egregie illustravit, ut ejus adeo labore uti bene potuerit Vir egregius. *Strada*

 vero,

vero, *Birckenius*, *Jo. Palatius*, in eadem caufa ita verfati funt, uti hodie conflat eruditis omnibus, ut eorum ratio vix habenda fit. Jam permulti alii hoc feculo ftudiofe numos Auftriacos vel paffim in fcriptis fuis, & data occafione, vel data opera, expofuerunt. Ac prioris quidem generis omnino primum locum meretur *Thefaurus Numifmatum modernorum hujus feculi*, in quo aliquot reperiuntur numi, qui tangunt hiftoriam trium pofteriorum e domo Auftriaca Imperatorum, *Leopoldi*, *Jofephi*, & *Caroli VI.* Neque vero Autor ultra feculi fui primum decennium progreffus eft, & numi non pauci ejus diligentiam fugerunt. Numis Auftriacis etiam paffim in fcriptis numariis fuis egregiam operam impenderunt *Kœlerus*, *Lochnerus*, atque Eruditus ille, qui Lipfiæ collectionem numorum folidorum, five groflorum, inftituit edere. In eundem numerum referendi funt *Dewerdeckius* in Silefia numifmatica, *van Loon* e Belgis, *Muratorius* & *Vergara* ex Italis, in quorum fcriptis non pauca paffim Domus Auftriacæ Numifmata explicata reperiuntur. Sed hi tantum paffim, dataque occafione, in numis quibusdam verfati funt. Unice autem in numis Auftriacis occupati fuere primum *Leopoldus Gruberus*, S. J. *Carolus Guftavus Heræus*, & *Chryfoftomus Hantbalerus*, Viri doctrina celeberrimi. Eorum omnium, quos memoravimus, etfi uti potuit opera, ufusque eft cum fructu egregio, Vir Rev., tamen non paucos etiam errores deprehendit, atque adeo corrigere ipfe in opere fuo laboravit: neque quemquam habuit autorem, quem in fufcepto confilio fequi poffet, cum nullus effet, qui uno quafi temporum tenore numos perfequeretur. Jam, cum omnium tamen hoc in genere facile princeps fit *Heræus*, de eo in Præfatione Rev. Autor uberiori oratione exponit, ac totius ejus laboris rationem reddit, atque hac occafione brevem quandam quafi Numophylacii Cæfarei Vindobonenfis formam defcribit: qui quoniam uberrimus hujus numariæ collectionis fons eft, unde ad Rev. Autorem non tam rivuli, quam flumina, manarant, illam memoriam merebatur.

Ceterum, quemadmodum Vir Rev. editis Virorum doctiffimorum

ſimorum libris, veluti ſubſidiis, uſus eſt, non contemnendis, ita egregium fructum ſe cepiſſe fatetur ex conſiliis atque adjumentis *Roſenthalii*, *Schwandneri*, *Schlægeri*que, Virorum doctiſſimorum: quorum illi eum colloquiis atque ſermonibus adjuverunt, hic autem literis, atque ſuppeditatis etiam non paucis exemplis numorum, e Gothanis copiis deſcriptis.

Jam ordo, quem tenuit in hoc *Tomo*, eſt hujusmodi, ut temporis annorumque ſeriem in digerendis numis ſequeretur, rationem ſane huic inſtituto accommodatiſſimam: deinde, cum eſſent quædam explicanda, quæ, ubi in ipſo opere interpoſita eſſent, iſtam rationem turbarent, ea omnia in Prolegomena conjecit. In Prolegomenis itaque hiſce *quinque Capitibus*, primum de vetuſtate rei numariæ, ejusque progreſſu in terris Auſtriacis, in univerſum traditur. Deinde de numis ſtirpis Auſtrio-Babenbergenſis agitur: qua occaſione de numis cum effigie Divi *Leopoldi* Marchionis exponitur. Porro ſeries genealogica Gentis Habſpurgo-Auſtriacæ e numis eo ordine proponitur, quo in gazis auguſtalibus, & in conclavi aliquo Bibliothecæ Cæſareæ, reperitur. Denique de numis explicatur iis, qui, a *Rudolphi I*, Rom. Regis, temporibus inde, usque ad *Sigismundum*, Auſtriæ Archiducem, ſuppetunt: cui tractationi ſubjunguntur numi *Sigismundi*, Archiducis Auſtriæ, & Comitis Tyrolis: quos quidem numos ea cauſa ceteris numis præmittit Autor Rev., tum ne hi, ceteris interpoſiti, ſeriem propagatorum gentis Auſtriacæ confundant, tum inprimis, quod huic Duci, rei numariæ cauſa, præcipuus quidam honor atque nomen ab omnibus rei numariæ intelligentibus atque peritis tribuatur.

Ipſa autem numorum ſeries, ſive Numotheca hæc, in Partes diviſa eſt *duas*: propterea quod Gens Auſtriaca univerſa, *Carolo V* & *Ferdinando I* autoribus, in duas ſtirpes abiit, Hiſpanicam, atque Germanicam. In *priori Parte* ſeries numorum ſtirpis Hiſpanicæ, in *altera* Germanicæ ſtirpis numi, exhibentur. Ceterum plerumque, ubi res ferebat, numos, honoris, vel memoriæ, cauſa cuſos, quibus vel ipſe annus, ſed legitimus, adſcriptus eſſet, vel certe conjectura colligi poſſet,

 ceteris

ceteris omnibus præponendos putavit. His ſubjunxit numos ætatis dubiæ & reſtitutæ, his porro monetas ac numos, uſui communi datos, atque his denique numos, hiſtoriam autoris gentis, vel familiæ, illuſtrantes. Sequuntur numi uxorum, fratrum, ſororum, ac liberorum, qui nulli novo nomini originem dederunt. Cum denique monetis interdum factum aliquod hiſtoricum memoriæ proditum ſit, quod aliis moduli majoris numis demonſtrari vel plane non poterat, vel ſaltem non tam ſuaviter; quod item ad calculos, quos Itali *Jettons* vocant, nummosque *miſſiles*, pertinet: numis mnemonicis interdum inſeruit hujusmodi monetas atque numos, quos diximus. In explicandis numis autem eum modum tenuit, ut neque nimis evagari pateretur orationem ſuam, neque etiam nimia brevitate conſtringeret. Numis autem ſuum cuique pondus aſſignavit, aureis quidem ad rationem ducatorum, ceteris autem ad pondus argenti Vindobonæ uſurpatum. Numi in XLIX Tabulis æreis inciſi affabre atque ſcienter reperiuntur. Præfationem excipiunt ſex Tabulæ genealogicæ, eo conſilio comparatæ, quo facilius atque fructuoſius numi ipſi intelligerentur. Ceterum, cum in ipſo Operis contexto nemo diligentiam, aut eruditionem, Autoris deſideret, eoque ſolo hoc Opus ſeſe maxima commendet præſtantia, tamen acceſſit ei aliud commendationis genus a ſcribendi genere eleganti, quod, quo citius Lectorum animos ſuavitate ſua pellit, eo plus etiam ipſi Operi gratiæ addit.

HISTOIRE DES ROIS DE THRACE, &c.

hoc eſt,

HISTORIA REGUM THRACIÆ, ET BOSphori Cimmerii, illuſtrata numis a Dom. CARY, Academiarum Maſſilienſis & Cortonenſis Sodale.

Pariſiis, 1752, 4 maj.

Alph. 1, cum Tabb. æn. 6.

Conſu-

Confuderant adhuc illustris quidam doctrinæ & famæ Viri Thraciæ & Bosphori Reges, & annos, quos eorum numi præferunt, ad epocham haud veram retulerant. Agnito hoc errore, qui facile subrepere potuit ad plura & majora attentis, credidit Clariss. *Caryus* sibi datum, ut ambas Regum familias discerneret, quicquid de iis aut annales vetusti, aut numi superstites, testarentur, colligeret, & in ordinem digereret, æræque, quæ communis ambabus fuit, natales indagaret, atque definiret. Id quod hoc opere fuit executus, quod commode tres in partes dividitur, historiam Regum Thraciæ, tum Regum Bosphori Cimmerii, & ambabus præmissam Dissertationem de æra Bosphorica.

Post propositas igitur *Vaillantii*, *Harduini*, *Haymi*, & *Soucieti*, diversas hac de re opiniones, ipse figit initium æræ Bosphoricæ in anno U. C. 457, hac inductus ratione. Supersunt duo numi, unus *Cotyis II*, alter *Rhœmetalcis*, qui isti successit, ambo caput *Hadriani*, & annum eundem HKY, id est, 428, præferentes. Unde conficitur, illo eodem anno & *Cotyn* vivis excessisse, & alterum in ejus locum successisse. Si igitur annus, quo *Cotys* vita functus fuit, definiri potest, habemus quoque annum æræ primum. Atqui *Arrianus* in *Periplo Ponti Euxini* significat *Hadriano* Imp. ut casum recentissimum *Cotyis* obitum. Superest itaque, ut annus definiatur, quo *Arrianus Periplum* illum scripsit, & ad *Hadrianum* Imp. misit. Induxit ea res Nostrum, ut peculiari inserta Dissertatiuncula quæstionem hanc expediret. Demonstratum iverat *Dodwellus* in *Tomo I Geographorum minorum*, *Arrianum Periplum* illum anno *Hadriani* 20 exarasse. Quo posito, necesse esset, mortem *Cotyis* anno *Hadriani* 19 contigisse, id est, circa A. U. C. 888 - 889. Demtis igitur annis æræ Bosphoricæ 428, restat numerus 460, aut 461, initialis illius æræ. Sed calculos hos turbat numus *Rhœmetalcis* cum capite *Hadriani*, & anno ΓΛΥ, seu 433. Secundum superiorem calculum responderet annus 433 anno U. C. 894. Atqui eo anno non amplius in vivis erat *Hadrianus*, triennio jam ante exstinctus. Neque solius *Hadriani*, sed aliorum quoque Imperatorum, anni cum epocha

Bospho-

Bosphorica, qualem *Dodwellus* constituit, nequeunt conciliari. Difficultas hæc tolli non poterat alio modo, quam natales *Peripli Arrianei* in annum aliquem paulo anteriorem rejiciendo. Quamvis in ipso *Periplo* nullum prostet indicium perspicuum anni, quem illud opusculum natalem habuit, credidit tamen *Dodwellus*, eum se in illo loco reperisse, quo *Arrianus* ait se per urbes, quas in itinere suo trajiceret, militares copias in armis exercuisse, annonamque iis & stipendia erogasse. Cum nemini præter Proprætorem aut Proconsulem Provinciæ id licuerit facere, arguit Anglus ex eo, *Arrianum* tum, cum oras Ponti, ab *Hadriano* jussus, legeret, Præsidem Cappadociæ fuisse. Præses autem ejus provinciæ cum esset, profligabat Alanos, a *Pharasmane*, Iberiæ Rege, ad seditionem excitatos. Quod anno *Hadriani* Imp. vigesimo contigisse, certo constat. His fundamentis superstructa est *Dodwelli* sententia, quam Noster labefactare nititur. Ut igitur, citius in literas relatum fuisse, demonstret, illum *Periplum*, primo loco allegat silentium, quo *Arrianus Pharasmanis*, quem tamen attingit, seditionem involvit. Secundum, quod Anglo opponit, sed validius, argumentum demonstrat, unius anni solius ambitu omnia ea non potuisse ab *Arriano* peragi, quæ Anglus ipsum peregisse contendit. Primo quidem, missus ab *Hadriano* ad lustrandam omnem Euxini Ponti oram, Roma in Cappadociam proficiscebatur, (nam, Trapezunte evectum se fuisse, testatur ipse *Arrianus*,) urbium, quas adibat, præsidia lustrabat, ceteraque hiantia & labantia sarciebat & fulciebat, ut nulla urbs esset, in qua non aliquot dies hæreret, sæpe quoque adversi flantes venti satis diu ipsum morabantur. Missitabat per brevissima intervalla ad Imperatorem rerum, a se in urbibus Ponticis gestarum, rationes per literas. Confecto itinere, *Periplum* condebat; quo tempore *Pharasmanes* adhuc quievisse fingitur. *Arrianum* Roma, mari adhuc clauso, trajicere Ionium & Ægæum haud potuisse, in confesso est. Totam ergo æstatem in obitione Ponti fuisse consumtam, facile intelligitur. Superest, eum sub autumnum denique coegisse copias, quibuscum reprimeret Alanos; eodem denique anno adhuc præter

Periplum

Periplum, dispositionem aciei, contra Alanos a se instructæ, quæ mutila ad nos pervenit, & *Tactica*, non cito, neque super fluctibus æstuantis Ponti, aut inter armorum strepitus, natum, sed maturæ meditationis, opus, edidisse. Tot & tanta non videtur Nostro annus unus capere, & Ponti obitio cum bello Alanico tam arcte non cohærere, ut divelli nequeat. Nihil vetare, quo minus bellum illud itinere aliquot annis sit posterius; provinciarum præfectos illo tempore plures per annos earum administrationem continuasse, præsertim qui ab Imperatore legati essent; idem *Arriano* quoque contigisse in Cappadocia, quæ juris Augusti esset, si quis asseveret, eum refelli non posse. Efficit Cl. *Caryus* ex his conjecturas has probabiles, anno *Hadriani* decimo quinto, cum Imperator Cappadociam adiret & ordinaret, *Arrianum* Roma (illuc enim eum *Hadrianus* e Bithynia acciverat, & in familiaribus atque caris habuerat,) cum reliqua Græcorum Philosophorum turba comitatum fuisse Imperatorem, ab eoque Cappadociæ præfectum, jussumque Ponti oras lustrare, cum Legati, aut certe haud multum minore, autoritate. *Hadrianum* anno imperii 15 venisse in Cappadociam, versatum fuisse Trapezunte, ibique prospexisse in Pontum, & jussisse portum eadem in urbe confici, certum est ex historiarum testimonio. Portus itaque Trapezuntinus anno *Hadriani* 15 institutus fuit, cujus mentionem injiciens *Arrianus* in *Periplo* sic ait: ἐνταῦθα σὺ ποιεῖς λιμένα. *Hic tu portum fieri curas.* Liquet & eodem tempore laborasse Trapezuntinos in condendo portu, & *Arrianum* in *Periplo* suo. Maximum denique robur huic ratiocinio addit hoc, quod, admissa illa sententia, quæ natales *Peripli Arrianei* anno *Hadriani* Imp. 15 asserit, numorum Bosphoricorum æræ constanter Imperatorum annis, quorum vultus gerunt, respondeant. E. c. ut sunt numi *Rhœmetalcis*, nomen & vultum *Hadriani*, & æræ annum ΓΛΥ, seu 433, præferentes, sic sunt alii, a *Sauromate* cusi anno ΓΙΥ, seu 413, cum capite pariter *Hadriani*. Intercedunt ambo numeros anni 20. Necesse igitur est, quando quidem *Hadrianus* 21 annos regnavit, *Sauromatis* numos ineunte

eunte imperium *Hadriano*, *Rhœmetalceos* autem finiente, fuiſſe curſos. Quia vero Boſphorani, more omnium orientalium, annos a Septembri, Romani autem a Cal. Januariis, auſpicabantur, adeoque ſinguli anni æræ Boſphoranæ pariter atque imperii *Hadriani* binis Romanis reſpondent; dubium adhuc ſupereſt, cum anno Boſphorico 428 *Cotys* vivere deſierit, isque annus tam de anno 15, quam 16, *Hadriani*, itemque de A. U. C. 884 & 885, pariter participet, cuinam horum mors illa Regis aſſignanda ſit. Demonſtrat Autor, aſſignandam eam anno 884 eſſe. Nam, ſi ad annum *Hadriani* 16 referretur, qui annis U. C. 885 & 886 reſpondet, principium æræ Boſphoricæ incideret in A. U. C. 458, aut 459. Autor vero evictum it, principium id ad ſolum annum U. 457 pertinere. Supereſt enim numus *Sauromatæ III* cum vultu *Commodi* & anni ΘΠΥ, hoc eſt, 489, nota. Quodſi jam æra Boſphorica inciperet ab A. U. 458, proroganda eſſet vita & imperium *Commodi* ad A. U. 946 & 947. Atqui *Commodus* ſublatus fuit A. 945. Numi *Inintbimeri*, &, qui ei ſucceſſit, *Rheſcuporidis IV*, præferunt eundem annum ΑΛΦ (531), & vultum *Alexandri Severi*. Si jam æra Boſphorica incepiſſet ab A. U. 458, annus 531 inciperet ab autumno A. U. 988, & deſineret autumno A. 989. Atqui *Severus* menſe Martio jam A. 988 ſublatus fuit. Abſoluta hac diſputatione, diſcuſſum it Autor aliam quæſtionem: fueritne æra hæc Boſphorica gentium Boſphoricarum indigena, an adſcita. Poſterius Noſtro multo fit probabilius priori, facitque is cum aliis, qui in id conſentiunt, æram illam gentium Ponticarum communem fuiſſe. Anno enim U. C. 457, cui initium æræ attribuit, ignobilis regnabat apud Boſphoranos Rex, qui, ſi quid illuſtre geſſiſſet, quod novæ æræ adoptionem mereretur, facturus non fuiſſet *Diodorus Siculus*, diligens Hiſtoricus, & cui ſoli pæne debemus rerum Boſphoricarum notitiam, ut id ignoraretur. Eſt igitur admodum probabile, *Mithridatem M.*, regno Boſphorico potitum, cedente ultimo ejus Rege *Pæriſade*, æram Ponti in Boſphorum introduxiſſe. Hanc qui admittunt ſententiam, quæ ſtatuit, æram, in numis Regum Boſphoricorum expreſſam, Ponticam; & autore *Mithridate* uſur-

usurpatam, esse, necesse est, aut ejus improbitatem, aut *Vaillantii* errorem, agnoscant, qui epocham æræ Ponticæ A.U. C. 448 alligat. Quamvis hæc disputatio magis ad historiam Ponti pertineat, cujus e numis aliquando a se illustrandæ spem Autor nonnullam facit; utile tamen judicavit fore, si breviter exponeret, quamobrem *Vaillantii* calculis suum neget. *Vaillantium* in eam, quam modo exposuimus, sententiam litera Δ præcipue induxerat, quæ in numo *Pharnacis* aliquo una cum anno ZΜΣ, seu 247, conspicitur. Literam istam, Vir in numis vetustis interpretandis versatissimus sibi persuaserat, annum regni *Pharnacis* quartum designare, id est, A. U. 695. Nam is A. 691 regnare cœpit. Demtis ab hoc numero 691 annis 247, superant anni 448. Magis adhuc Virum doctum in ea sententia firmavit *Strabo*, qui *Mithridatem II* epochæ isti æqualem, κτίστην, conditorem gentis & dynastiæ, appellat. Verum est admodum dubium, regnine annum, an urbis, in qua cusus fuit ille *Pharnacis* numus, nomen initialis literæ compendium indicet. Imo pro posteriori sententia exempla militant numorum aliorum quamplurima. In *Mithridatis M.* numis, qui pater fuit *Pharnacis*, legimus annos ΒΙΣ, 212, & ΒΚΣ, 222, æræ Ponticæ. Plus decennio hi numi non differunt. Nihilo tamen minus in illo litera Α, in hoc Μ, conspicitur; quæ literæ, si numeros annorum exprimerent, indicarent primum & quadragesimum *Mithridatis* annum. Quod cum ratione pugnat. Sed liquido id argumento est, ut in illis *Mithridatis* numis numeri annorum, quos ille vir in regno exegit, haberi nulla potest ratio, ita neque in numo *Pharnacis* ob literam Δ de anno regni cogitari debere, sed aut nomen urbis, aut monetarii, aut officinæ monetariæ indicium, sub eo signo latere. *Pharnaces* in eodem illo suo numo, qui annum 247 exhibet, titulum βασιλέως βασιλέων μεγάλου Φαρνάκου gerit, quem sibi arrogasse vix videtur ante A. U. 703, quo Pontum rapiebat, Armeniam & Cappadociam incursionibus vexabat, intestinis bellis Romanos distringentibus. Ante illum annum vix videtur titulum tam splendidum usurpasse, angustorum finium, solius Bosphori, ex Romanorum beneficio possessor

 tribu-

tributarius. Quodſi ergo annus æræ Ponticæ 247 anno U. 703 reſpondet, ut *Vaillantii* computus corruat, neceſſe eſt. Demtis enim 247 annis a numero 703, remanent 457, non 448. Verum quidem eſt, A. U. 457 *Mithridatem* illum, quem κτίστην appellat *Strabo*, vivis jam exceſſiſſe. At opponit Noſter, potuiſſe illum alia de cauſa, quam de introducta in Boſphorum nova æra, ſic appellatum fuiſſe, & ſatis eſſe in *Mithridatis III* rebus geſtis, quod regnum ejus novæ æræ principium faceret. Illum enim a patre acceptos modicos fines Cappadocia & Paphlagonia auxiſſe, diuque pacatis populis præfuiſſe.

Viſum nobis fuit, hanc Diſſertationem paulo diligentius perſequi, quod illi rationes chronologicæ totius hujus Operis ſuperſtructæ ſunt. Ipſum opus attingere, & ſeriem texere regiorum nominum, pro maxima parte ignobilium, opus eſſe non exiſtimamus. Ordinari tamen ea debebant, & certis temporibus alligari, Chronologiæ Græcæ & Romanæ gratia. Neque dubitamus, doctiſſimum Gallo-Francum deſiderio eorum, quos hujus argumenti inquirendi capit ſtudium, feciſſe ſatis. Congeſſit de unoquoque Rege obſcuræ famæ, quicquid in vetuſtis monumentis cum Autorum, tum numorum, reperire potuit. Illuſtrium in hiſtoriis ſummas res geſtas delibat, quantum nempe ſatis continuando temporum filo. Numos ipſos in ære ſculptos explicat, &, unde eos nactus fuerit, indicat. Quandoquidem tamen eorum, præſertim qui ad Boſphori Reges pertinent, haud contemnendus numerus productus a Noſtro in lucem, oculisque noſtris ſubjectos, fuit, agedum, breviter horum quoque nonnihil afferamus. *Pag. 46* indagat, quid ſibi velint numeri 48, 24, & 12, numis diverſorum Regum Boſphoricorum inſcripti. Non temere illos exiſtimat poſitos, ſed conjicit, præter æram Ponticam annorum 48 orbem in uſu fuiſſe Regibus Boſphoricis tum, cum ab æra Pontica abſtinerent. *Pag.* eadem quæritur, ΑΣΠΟΥΡΓΟΥ, quod in numis *Sauromatæ* ejus nomini additum conſpicitur, ſitne patris nomen, (non enim inſolens eſſe, Regis nomini patris nomen addi,) an ipſius Regis pro Ἀσπουργιανοῦ. Gentem *Aſpurgianam* in Boſphoro Cim-

Cimmerio memorat *Strabo.* Non improbabile eſt, eos *Aſpurgos* fuiſſe dictos, & inde ipſos eorum Reges eodem nomine appellatos, ut *Sauromata* & gentis, & Regum gentis, nomen eſt. Videntur ab iſtis *Aſpurganis* Bulgari & Burgundiones proveniſſe. *Pag. 56* pertendit, literas N E P K. in numo quodam Boſphorico non ſignificare ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ, ſed ΝΕΡΩΝ ΚΟΤΥΣ, cum conſueverint Reges illi Imperatorum, quibus æquales viverent & regnarent, nomina ſibi tribuere, & ſuis præponere. Ita *Tiberium Rheſcuporin* inveniri, & *Tiberium Julium Sauromatem*, & *C. Julium Rhœmetalcen. Pag. 62* conjicit, literas ΚΑΠΕ, quæ in numo quodam *Cotyis* templi adſcriptæ ſunt imagini, ſignificare ΚΑΠΕΤΩΛΙΟΝ, & templum, *Jovi* Capitolino in Boſphoro dedicatum. Quid ſi vero nomen urbis ſit, quæ hodie capitalis Boſphori eſt, & nomen illi aliquando dedit? Totam certe Cherſoneſum Tauricam majores noſtri Seculo XV & XVI *Caſa* de urbe capitali appellabant. *Pag. 68* repetit opinionem ſuam de literis *καπε*, modo expoſitam, ejusque autorem laudat Virum clariſſimi nominis, P. *Frœlich*, additque, literas N O, quæ ſuper nominibus Regum conſpiciuntur, nihil penes ſe ſignificare, ſed eſſe lineam curvam, ornatus cauſa tantum additam. Sed clarius poſitæ ſunt literæ, quam ut nullo conſilio numis incuſæ fuiſſe videri queant. Nobis quidem compendium vocis *Νόμισμα* eſſe videntur. Unum adhuc monendum ſupereſt, Doctiſſ. *Caryo* in texenda ſerie Boſphoricorum Regum numos potiſſimum, Autores minus, profuiſſe, ut qui parum norint, aut curaverint, eorum res; diligentiores autem eos contra fuiſſe in rebus Regum Thracum enarrandis, quorum numi perquam pauci ſuperent.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIArum Imperialis Petropolitanæ, ad Annum 1739.

Tomus XI.

Petropoli, ex Typographia Imperiali, 1750, 4 maj.
Alph. 2 plag. 1, Tabb. æn. 8.

 In

Pag. 3. In *Claſſe mathematica* 1) *Eulerus* agit *de Productis, ex infinitis factoribus ortis.* Jam ſatis conſtat inter Analyſtas, quando ad tales pervenitur quantitates, quæ nec numeris rationalibus, nec irrationalibus, poſſunt exprimi, recurrendum eſſe ad expreſſiones infinitas. Ejusmodi ſunt ſeries infinitæ, in quibus jam diu multumque deſudarunt Mathematici. Aliud illarum genus ſunt expreſſiones eæ, quæ componuntur e factoribus innumerabilibus. Harum etſi jam plures ſunt cognitæ; tamen nec modus ad eas perveniendi, nec earum valorem dignoſcendi, adhuc ſatis innotuit. Eas igitur nunc ex inſtituto conſiderat Cel. Autor. Primus ejusmodi expreſſiones introduxit *Walliſius* in *Arithmet. Infin.*, ubi oſtendit, ſi circuli diameter ſit $=1$, fore aream $\frac{2.4.4.6.6.8.8}{3.3.5.5.7.7.9}$ &c., quam expreſſionem deduxit ex interpolatione ſeriei $\frac{2}{3}+\frac{2.4}{3.5}+\frac{2.4.6}{3.5.7}$ &c., cujus terminos intermedios demonſtravit a quadratura circuli pendere. Cum ergo tales expreſſiones interpolationi ſerierum originem debeant; Noſter ad hujus principia (de quibus jam commentatus eſt in *Comm. Petr. Tomo V*) regreditur. Oſtendit nempe ibi, progreſſionis hujus $(f+g)+(f+g)^2(f+2g)+(f+g)^3(f+2g)(f+3g)$ &c., cujus terminus generalis indicis n oritur e præcedente, per $f+ng$ multiplicato, terminum hunc generalem eſſe

$$\frac{g^{n+1}\int dx(-lx)^n}{(f+(n+1)g)\int x^{f:g}dx(1-x)^n},$$

utraque integratione ita facta, ut integralia evaneſcant, poſito $x=0$, tumque facto $x=1$. Hinc ſimul patet, a quanam quadratura ſinguli termini intermedii pendeant, e. g. termini, quorum indices $\frac{1}{2}$, $\frac{3}{2}$, $\frac{5}{2}$, &c. Cum enim progreſſio aſſumta tandem cum geometrica confundatur, termini hi interpolati evadent tandem medii proportionales inter contiguos ſeriei terminos. Exinde autem valor ipſorum horum terminorum inveniri poteſt. Reducitur enim integralis hujusmodi $\int dx(-lx)^{\frac{1}{2}}$ ad

ad quadraturam circuli, ita, ut, posita diametro $= 1$, peripheria $= \pi$, sit ea $= \sqrt{\frac{\pi}{2}}$. Hoc itaque modo quadraturæ reducuntur ad expressiones factorum infinitorum, & vice versa horum valor invenitur per quadraturas. Sed suffecerit, generalem dedisse ideam methodi, a Cel. Autore hic usurpatæ; cum absque expositione ipsorum calculorum longiori uberius declarari ea nequeat. Idem valet 2) de *Ejusdem Observationibus circa Fractiones continuas*. Harum indagationem jam suscepit Vir Cel. in *Tomo IX*, eamque hic ulterius continuat. Si nempe fractio continua convertatur in seriem infinitam formæ consuetæ; pervenitur ad varias hujusmodi series, quæ ipsæ iterum ad quadraturas redeunt. Vicissim ergo integralium valor exhiberi potest per fractionem continuam. E. g. $\int \frac{dx}{1+x^2}$, quæ, posito post integrationem $x = 1$, exprimit aream circuli ad diametrum 1, convertitur in hanc fractionem continuam: Pag. 52.

$$\cfrac{1}{1+\cfrac{1}{2+\cfrac{9}{2+\cfrac{25}{2+\&c.}}}}$$

; quæ est ipsissima formula, a *Brounckero* quondam exhibita, notante *Wallisio*. Hic & aliud ejusmodi theorema exhibet, non indicata tamen methodo, qua ad ipsum pervenerit *Brounckerus*, generatim saltem notando, id per interpolationem factum esse. Hanc itaque viam interpolationum ingressus Noster, invenit alias transformationes quadraturarum in fractiones continuas, etsi a *Brounckerianis* diversas. Omnia ista amplissime hic exponit, & ad variarum, tam formularum, quam & æquationum, differentialium integrationes traducit. Comparet nunc 3) *Ejusdem determinatio caloris & frigoris graduum pro singulis terræ locis ac temporibus*. Considerat hic gradus caloris & frigoris, quatenus a sola actione 82.

solis

ſolis proficiſcuntur. Ante omnia fixum quendam gradum caloris aſſumit, talem nempe, qualis in ipſa ſuperficie ſolis perpetuo viget, eumque deinde ſemper litera c deſignat. Concipit nunc corpus, ſuperficie plana prædirum, ſoli perpetuo ita expoſitum, ut radii ſolares normaliter in id incidant; quo fiet, ut id continuo majorem caloris gradum recipiat, donec ad ſummum aliquem pervenerit, quem ſemel acquiſitum in æternum conſervaret, quemque Noſter appellat ultimum, ſeu naturalem, caloris gradum. Cum jam radii ſolis, a quibus calor oritur, divergant in ratione diſtantiarum a ſole duplicata; erit, poſita diſtantia a ſole $= s$, ſolis ſemidiametro $= 1$, calor iſte ultimus $= c : ss$. Si vero radii ſolis oblique incidant; primo quidem, ſi angulus incidentiæ plane evaneſcat, ſatis patet, & effectum ipſum fore $= 0$. Hinc generatim aſſumit Autor, gradum caloris ultimum eſſe ſinui anguli incidentiæ proportionalem, ideoque, poſito hoc ſinu $= v$, eſſe $= cv : ss$; vel quoque, poſita tangente ſemidiametri ſolis apparentis $= x$, fore $= cx^2 v$. Hæc valerent, ſi terræ regio haberet jam eum caloris gradum, quem ſol cum ipſa communicare conetur, ſed, ſi calor hic ſit vel major, vel minor, quam ſolaris, tum ille augebitur, vel minuetur, donec tandem ſolari æqualis fiat. Veriſimile jam ponit, caloris augmentum, vel decrementum, dato tempore proportionale eſſe differentiæ calorum ſolaris & proprii, hoc eſt, poſito gradu caloris præſentis $= z$, tempuſculo dt, fore incrementum hoc $dz = \alpha dt\,(cx^2 v - z)$, ubi α eſt complementum homogenei. Ex hypotheſibus hiſce nunc pro quovis terræ loco, ad quamlibet horam datæ diei, gradum caloris determinat. Poſitis nempe elevationis poli ſinu $= P$, coſinu $= p$, declinationis ſolis borealis ſinu $= Q$, coſinu $= q$, anguli horarii t ſinu $= x$, coſinu $= y$; invenit caloris z incrementum $dz = \alpha dt\,(ck^2 pqy + ck^2 PQ - z)$, e cujus integratione habetur gradus caloris pro quavis diei hora; ſpeciatim vero pro tempore meridiei, ortus, & occaſus; nec non viciſſim hora, qua gradus ille eſt maximus; tandemque, quantum is quavis nocte diminuatur. Sed, ſi hoc modo, ex

inven-

invento gradu caloris uno die, investigetur, quantus ille futurus sit die proximo, atque ita porro; tum devenitur ad formulas adeo perplexas, ut ex iis vix quidquam concludi queat. Ut igitur tamen aliquid ad utilitatem ex iis derivet, a verisimilitudine parum recedendum esse, putat, & legem aliquam continuitatis assumendam, secundum quam gradus caloris mutentur. Quemadmodum nempe calores solis, supra horizontem existentis, sunt ut sinus elevationis; ita pariter calores solis, infra horizontem latentis, fore, ut sinus depressionis. Cum autem hoc pacto soli, sub horizonte versanti, vis refrigerans tribuatur; liquet, conclusiones, inde deductas, non posse non esse falsas. Nihilo minus, cum jam prævideatur, qua in parte conclusiones hæ a veritate sint aberraturæ, calculum instituit Autor, qui vero prolixior est, quam ut repeti hoc loco possit; & e quo tandem emergit, hypothesin hanc nequaquam usurpari posse, cum ex ea manifestum id absurdum prodeat, quod sub æquatore ipsa media nocte majus debeat esse frigus, quam rigidissima hieme sub polis; quippe cum secundum theoriam hanc, ob vim solis, sub horizonte latentis, frigefacientem, sub æquatore tempore nocturno calor maxime imminui debeat. Quare resumit priorem hypothesin de sole, tantum interdiu calefaciente, ex eaque deducit formulas, sed non minus valde compositas. 4) De *motibus oscillatoriis corporum, humido insidentium*, commentatur *Dan.Bernoulli*. Orsus jam est Cel. Autor hanc tractationem in *Tomo Commentar.* præcedenti, ibique principia posuit totius methodi. His nunc insistens, primo plana, humido verticaliter insidentia, considerat, & quidem, oscillationes in ipso plano proposito fieri, assumit. Duplex hic occurrit casus: alter, ubi, mutato plani situ, centrum gravitatis ipsius situm non mutat; tuncque illud simpliciter circa centrum hoc rotatur; quare oscillationes omnes fiunt necessario isochronæ; alter, quo centrum gravitatis simul situm mutat; tunc autem planum agitatur motu mixto, partim oscillatorio & rotatorio circa centrum gravitatis, partim verticali & parallelo, quo alternatim adscendit, descenditque; hinc & Pag. 100.

oſcillationes non fiunt iſochronæ, niſi certo caſu, ubi ambo hi motus fiunt tavtochroni. Poſterior hic caſus longe altioris eſt indaginis; ad eum tamen expediendum uſus eſt Autor methodo, in *Commentar. Tomo VI* pro oſcillationibus corporum oſtenſa. Addit dein quædam de oſcillationibus integrorum corporum. Ceterum poſſunt hæ diſquiſitiones uſum habere in Architectura navali, ad ſitum ſtabilitatis navium, motumque, ſi ex hoc deturbentur, illuſtrandum.

Pag. 116. que, ſi ex hoc deturbentur, illuſtrandum. 5) *Progreſſionem quandam, ad circuli quadraturam inveniendam idoneam,* conſiderat *Eulerus*. Satis conſtat, poſito radio $= 1$, tangente $= t$, eſſe arcum $= \int dt : (1 + tt)$. Si jam loco differentialium dt ſubſtituantur particulæ tangentis finitæ quidem, ſed valde exiguæ, & integrationis loco actualis earundem additio perficiatur, prodibit expreſſio, eo propius ad arcum propoſitum accedens, quo minores capiuntur hæ particulæ. Nempe, poſito harum numero $= n$, & ſubſtituto pro t ſucceſſive $\frac{t}{n}$, $\frac{t}{2n}$, &c. fiet arcus $= \frac{nt}{nn+tt} + \frac{nt}{nn+4tt}$ &c.

Quoniam autem hæc expreſſio ſemper a vero valore aberrat in defectu, inveſtigat hic Autor, quantus ſit ille defectus, quo addito, dein haberi poſſit valor arcus exactus. Fieri autem hoc poteſt per ſeriem vehementer convergentem; unde ſic habetur via nova ſatis facilis ad rectificationem circuli, e qua ſimul varia conſequuntur, ad ſummationem ſerierum, nimis divergentium, uſu venientia. Idem Vir Celeb.

128. 6) *de novo genere oſcillationum* agit. Anſam præbuit huic diſquiſitioni partim Cl. *Kraftii* Diſſ. de inſolitis quibusdam horologii portatilis ſuſpenſi motibus in *Tomo Comm. prac.*, partim conſideratio æſtus maris. In conſuetis nempe, & huc usque pertractatis, oſcillationibus vires tantum ponuntur applicatæ corpori, vel plane non a ſpatio, in quo corpus verſatur, (ut in pendulis, chordis vibrantibus, &c.) vel ſimul ab hoc ſpatio, corporisque celeritate, (ut fit in medio reſiſtente,) pendentes. At, ſi inſuper vires hæ determinentur per tempus, a termino quodam fixo motus elapſum, longe aliud inde oritur oſcil-

oſcillationum genus; idque eſt, quod ſibi in præſenti indagandum ſumſit Cel. Autor. Eſt autem ejusmodi oſcillatio ipſe maris fluxus & refluxus: præcipua enim vis, mare ad hunc motum ciens, a loco lunæ pendet, ideoque a temporis momento; præterquam quod urgeatur mare vi propria gravitatis, qua, ſi ſupra libellam ſit elevatum, deprimitur, ſi infra eam depreſſum, attollitur. Non poſſumus hic ipſam ſiſtere methodum, qua in nova hac indagatione feliciſſime uſus eſt Autor; hoc unum ſaltem addemus, redire eam ad integrationum caſus valde difficiles, pro quibus artificia varia nova hic edocet. Sequitur 7) egregia *ejusdem explicatio phænomenorum, quæ a motu lucis ſucceſſivo oriuntur.* Etſi nequaquam novum ſit argumentum præſentis tractationis; ipſa tamen maximopere ſeſe commendare poteſt, eo, quod a primis principiis repetat omnia Vir Cel. ſolita ſua perſpicuitate atque methodi præſtantia. Ideam ipſam propagationis lucis ſucceſſivæ, & phænomena, generatim inde conſequentia, cum hæc ſint nimis nota, non explicabimus; methodum ſaltem adumbrabimus, qua hic procedit Cel. Autor. Ante omnia quatuor hos caſus ſucceſſive evolvit: primo, quo tam objectum, quam ſpectator, quieſcit; ſecundo, quando illud movetur, hoc adhuc immobili; tertio, quando, illo quieſcente, hic movetur; quarto, quo ambo moventur. Motum vero conſiderat tam rectilineum, quam curvilineum. Quænam in ſingulis hiſce caſibus evenire debeant phænomena, ſigillatim explicat. Differt autem tertius caſus a ſecundo, vel non, ſed ad eum ſtatim reducitur, prout lucis propagatio ponitur fieri vel per actualem emiſſionem particularum lucidarum ex objecto, vel motu undulatorio, ſimili ei, quo ſonus per aerem propagatur. Harum hypotheſium etſi poſterior Autori videatur vero magis ſimilis; tamen priorem, ob facilitatem methodi, (quippe cum per principium compoſitionis motuum calculo ſubjici poſſit,) hic perſequitur pro allatis caſibus; ubi notandum, maximam oriri differentiam; prout motus diurnus tribuitur vel terræ, vel corporibus cœleſtibus. Omnia iſta, tanquam principia, appli-

Pag. 150.

 cat

eat dein ad phænomena, in ſideribus e motu lucis ſucceſſivo oriunda, & primo quidem in fixis, dein & in planetis, quippe cum in his nova correctio, ob motum ipſorum proprium, ſit adhibenda. Digniſſima eſt omnino, quæ tota evolvatur ab harum rerum ſtudioſis, hæc Diſſertatio; totam enim hanc doctrinam methodo vere analytica adeo plane expoſitam nondum meminimus. Ultimo loco oc-
Pag. 194. currit 8) *Ejusdem Methodus facilis, computandi angulorum ſinus & tangentes, tam naturales, quam artificiales.* Expoſuit nempe anno præcedenti methodum inveniendi valores ejusmodi expreſſionum, quæ ſint producta ex infinitis factoribus, certa quadam lege progredientibus, deductam e formulis integralibus, quarum integratio a ſe invicem pendet. Jam, cum in ſuperiori *Diſſertat. I* hujus *Tomi* quoque docuerit modum ſummandi talem ſeriem

$$\frac{1}{1 \pm p} \pm \frac{1}{4 \pm p} \pm \frac{1}{9 \pm p} \text{ \&c. per quadraturam circuli;}$$

ex eo nactus eſt commodam methodum, valores plurimorum productorum ex infinitis factoribus determinandi. Inprimis autem exinde conſequuntur ſeries valde convergentes pro inveniendis ſinibus, tangentibus, & ſecantibus. Harum ope ſupputavit Celeb. Autor ſinus & coſinus arcuum variorum ad 28 figuras decimales; præterea ex eadem methodo derivat rationem computandi logarithmos ſinuum & tangentium, quæ eo ſe commendat, quod ad horum inventionem opus non ſit noſſe ſinus & tangentes ipſos.

243. In *Claſſe phyſica* continentur ſequentia: 1) *Ge. Wolfg. Krafftii de vi venæ aqueæ, contra planum incurrentis, experimenta.* Inſerta eſt *Tomo VIII Commentar. pag. 99 Dan. Bernoullii* Diſſ. de legibus quibusdam mechanicis, quas natura conſtanter affectat, nondum deſcriptis, earumque uſu hydrodynamico pro determinanda vi venæ aqueæ, contra planum incurrentis. Theoriæ, ibi traditæ, confirmandæ addidit experimentum. Hoc repetere a Præſide Academiæ juſſus eſt *Krafftius.* Suorum vero repertorum antequam ſummam exponat,

ponat, primo, e re fore, putavit, ipſam theoriam *Bernoullianam* hic ſuccincte repetere. Sequuntur dein experimenta ſex; ſed quæ, fatendum eſt, cum theoria non perfecte conſpirare, ſed vim, a theoria aſſignatam, majorem eſſe, quam experientia docuit. Ceterum monere non poſſumus non Lectores, integram hanc tractationem præſentem jam exſtare in *Tomo cit. p. 253*, excepto, quod loco experimenti, quod ibi eſt quintum, hic exhibeatur ſextum. Sequuntur 2) *ejuſdem Obſervationes meteorologicæ, A. 1738 inſtitutæ.* Circa barometricos notat, ex ſubitaneo lapſu, vel adſcenſu, Mercurii in barometro ventos, ut notum, colligi, ob mutatum ſubito aeris noſtri cum regionibus vicinis æquilibrium. Sin itaque aer omnino quietus hac ratione commovendus ſit, ventusque excitandus; requiri plerumque integrum diem, & amplius, antequam cum tota maſſa aerea motus, in plagam aliquam conſpirans, communicetur. Porro haud contemnenda eſt obſervatio, accidere ſæpiſſime, ut nebulæ & nubes, totum diem obfuſcantes, diſpellantur ſtatim oriente circa veſperam luna, adeo, ut aer reddatur perfecte ſerenus. Hujus phænomeni cauſam in mutua lunæ & terræ actione poſitam eſſe, exiſtimat. Quemadmodum enim æſtus maris ab eadem oritur; ita multo facilius lunam valere tenues nebulas, in ſummo aere volitantes, attollere, hinc rarefacere, & diſpellere. Sequuntur auroræ boreales, anno dicto obſervatæ, congelatio prima, gradus caloris thermometrici, tonitrua, pluviæ & nives, procellæ, halones, irides, denique venti. Referuntur dein annotationes meteorologicæ, e Diario Clariſſ. *Gmelini*, in itinere, verſus Kamtſchatkam habito, excerptæ, ad mutationes barometri & thermometri Petropoli & Kirengæ, quæ diſtant 580 milliar. German., potiſſimum ſpectantes; inter quas occurrit aliqua de variatione barometri adeo ſubitanea, ut oculis diſtingui potuerit, quam e ventis vehementibus, ſubito exortis, derivandam putat. Has excipiunt 3) *ejuſdem Obſervationes meteorologicæ anni 1739.* Hac occaſione communicat Autor inſtrumentum, gradum frigoris præteriti maximi in loco quodam, obſervatore deſtituto, indicans; con-

Pag. 241.

254.

ſtans

ſtans thermometro vulgari *Drebbeliano*, ubi in latere tubuli ſunt plurima receptacula, quæ, aucto frigore, ſucceſſive replentur, repletaque manent, ceſſante quoque gradu iſto frigoris. Simile jam excogitaſſe A. 1698 *Jo. Bernoullium*, perſpexit dein e *Commercio Leibnitii & Bernoullii epiſtolico*.
Pag. 262. *Idem* adhuc 4) *de ventorum obſervatione quotidiana, per integrum ampliſſimum imperium Ruſſicum inſtituenda, cum maximo ſcientiæ meteorologicæ emolumento*, cogitata proponit. Inſtrumentis ſane non caremus, ad meteorognoſiam idoneis; inſtitutæ quoque jam ſunt cum iis obſervationes innumerabiles plurimis locis diverſiſſimis. Quærere jam poſſet aliquis: quidnam hactenus ex iis omnibus utilitatis ad ipſam ſcientiam meteorologicam redundarit. Reſpondet Noſter: 1) Barometrorum uſum inſervire cognoſcendo illi ponderi atmoſphærico, quo quavis hora & die pars aliqua ſuperficiei terreſtris premitur; 2) prævideri poſſe ex eorum lapſu, vel adſcenſu ſubito, exoriturum eſſe ventum aliquem vehementem, ſed, quis, aut qualis, ille futurus ſit, profunde ignorari; 3) ſi altiorem teneat in ſe mercurium ſuſpenſum, quam ordinarie fieri ſolet, ſerenitatem conſpici utplurimum, ſed prædici eam vix poſſe; 4) ſciri etiam, variationes barometricas majores eſſe in locis ſeptentrionalibus, quam meridionalibus; ceterum, ſi quis alius forte eorum uſus ſit, eum certe ita eſſe comparatum, ut tempeſtatum futurarum ne minima quidem inde hauriri poſſit ſuſpicio, quod tamen omnino in hac ſcientia eſſet deſideratiſſimum. Id adhuc magis valere de thermometro, alisque inſtrumentis, meteorognoſiæ inſervientibus. Hinc factum eſſe, ut fere incipiat vileſcere inter eruditos harum obſervationum valor. Si nunc de cauſa quæratur tanti defectus, eam non tam in tempeſtatum maxima varietate, quam in adhibita huc usque methodo obſervandi, poſitam, exiſtimat Autor. Aliter enim longe comparatum eſt cum Aſtronomia, in qua tamen non minor certe regnat ſiderum inconſtantia, ſed quam tam feliciter hodie ad certas & conſtantes leges revocarunt Aſtronomi; idque eam inprimis ob rationem, quod non ſolum ſummorum

rum imperantium jussu & clementia hæc scientia semper fuerit suffulta, sed & quod omnium observatorum in toto terrarum orbe sit quidem quasi nexus mutuus, quo devincti magnam quasi inter se societatem videantur constituere, in uno eodemque scopo conjunctim laborantem. Horum vero subsidiorum utrumque vix in ulla regione melius obtineri posse, recte judicat Noster, quam in amplissimo imperio Russico. Cum autem maximi momenti sit in cognitione tempestatum ventorum observatio; methodum hic proponit, qua hæc fieri possit per imperium Russicum, idque temporis spatio haud adeo longo, sed 5, aut 6, annorum. Suadet itaque, 12 urbes Russiæ eligi, hic enumeratas, ac ita sitas, ut in tribus parallelis 50°, 58°, & 64°, per satis magnum spatium observari possint ventorum cursus & vicissitudines. Domus dein, huic usui inservientis, exstructionem, & instrumenta idonea, describit, ad observandam nempe venti plagam, inclinationem ad horizontem, ipsumque impetum, & velocitatem; & quæ id genus alia ad hunc scopum requiri videantur. Optandum omnino esset, ut opere ipso perficeretur adeo laudabile institutum; quod tamen, cum jam A. 1739 propositum sit, veremur, ne adhuc diu inter pia latere desideria pergat. Legitur jam 5) *ejusdem Dissertatio de Machinis simplicibus.* Etsi jam in vulgus nota, & ad nauseam usque pertractata, videri posset multis hæc materia; invenit tamen Autor accuratiori examine duo adhuc in eadem desiderata haud contemnenda. Alterum est, quod divisio & enumeratio machinarum simplicium, ab antiquis tradita, adhucdum retineatur, neglecta tamen ea ratione, qua a priori solo ratiocinio inveniri potuissent; unde fiat, ut ea tenebris quibusdam sit involuta, nec enumeratio earum perfecta, demonstrationibus ex Statica petitis, institui queat, eum in modum, quo e. g. in Geometria fit circa corpora quinque regularia. Ad hoc tollendum, rem a primis principiis repetit Autor. Considerat nempe, post primas machinæ, vis, & oneris, ideas traditas, quot modis tres vires lineæ, aut superficiei, applicari possint ad producendum æquilibrium; hocque

Pag. 274.

que modo omnes machinas ſimplices reducit ad duas, vectem ſcilicet, & planum inclinatum; e quorum illo derivat trochleam, axem in peritrochio, & cuneum, ex hoc vero cochleam. Alterum deſideratum Autoris eſt theoria cunei, quam alii e natura vectis, alii e plano inclinato, repetunt, hincque diverſiſſimas regulas eliciunt. Ipſe cuneum conſiderat ceu vectem primi generis, ubi hypomochlium eſt in medio, vis & onus ad utrumque latus applicantur, brachia autem fiunt continuo longiora, quo magis percuſſione intruditur, manente ſemper eadem inter vis & onus ratione. *Idem* ad-
Pag. 288. huc 6) *ſpecimen emendationis theoriæ ordinum architectonicorum* exhibet. Haud ignotum eſſe poteſt omnibus, in ordinum architectonicorum contemplatione verſatis, theoriam ipſorum adeo adhuc eſſe obſcuram, ut, fatentibus ipſis celeberrimis architectis, vix dici queat, in quo character eſſentialis cujusvis ordinis conſiſtat, & quidnam illud ſit, quod quemlibet ab omnibus reliquis diſtinguat. Hoc aſſertum magis adhuc confirmat Noſter enumerando definitiones ordinum, in architectorum ſcriptis traditas, characteres, iisdem aſſignatos, proportiones tandem partium eſſentialium aſſumtas, quæ omnia enormi confuſione ſunt obvoluta. En ideas Autoris noſtri: Duos ſtatuit ordinum architectonicorum quorumvis characteres eſſentiales, quorum ope diſtinctiſſime a ſe invicem ſecerni poſſint: alterum *hiſtoricum*, ſeu *externum*, autoritate ſola introductum, ſolumque huc usque ab architectis conſideratum, e. g. columnas Caryatides dictas, volutas, & folia acanthina, cum cauliculis, ſtrias in ſcapis, &c., alterum vero *philoſophicum*, ſeu *internum*, ex natura intima humanæ mentis petitum, qui in proportionibus, & earum perceptione, ſenſibus haurienda, conſiſtit. Magna hoc in paſſu intercedit Architecturam inter & Muſicam ſimilitudo, ita, ut utraque in certa proportionum harmonia fundetur, &, quo ſimplicior eſt hæc proportio, a mente percipienda, eo major oriatur delectatio. Secutus itaque eſt Noſter Celeb. *Eulerum*, qui in egregio *Theoriæ Muſices Tentamine* ſonos omnes, qui in cognitis huc usque generi-

generibus muſicis recepti fuerunt, ex aſſumto quodam numero compoſito, & ejus factoribus ſimplicibus, eruit, eumque dixit *exponentem generis muſici.* Similem Autor numerum compoſitum aſſumit, cumque *canonem ordinis architectonici* nuncupat. Cum jam in qualibet columna 4 partes principales veniant conſiderandæ, modulus, ſtylobata, columna, trabeatio; ſeligit tales numeros compoſitos, qui primo ſint maxime ſimplices, dein haud in plures, quam quatuor, diviſores poſſint diſcerpi, ut nempe proportiones, inde eruendæ, ex uno aliquo canone deriventur, atque ut ſimul hoc canone proportionum, in aliqua columna adhibendarum, numerus exhauriatur, neque aliqua ſuperſit, aut deficiat. E. g. ſi capiatur numerus compoſitus 2×3, habet is diviſores ſequentes, 1, 2, 3, 6; unde non plures erui poſſunt proportiones, quam ſequentes quinque $1:1$, $1:2$, $1:3$, $1:6$, $2:3$. Generatim ſit numerus compoſitus $m \times n$, ubi m, n, ſunt primi, & $n > m$. Hujus diviſores ſunt 1, m, n, mn; unde emergunt proportiones ſequentes quinque, non plures: $1:1$, $1:m$, $1:n$, $1:mn$, $m:n$. Horum ut quilibet ſuam ſibi convenientem partem columnæ principalem nanciſcatur, aſſumit 1 pro modulo, m pro trabeationis, n pro ſtylobatæ, mn vero pro columnæ, longitudine; quia e regulis generalibus patet, has longitudines dicto ordine ſe debere excipere. Jam vero etiam id requirit, ut partes columnæ ſecundariæ nullam aliam inter ſe ſervent proportionem, quam quæ ex generali canone ordinis eruitur. Partes autem columnæ ſecundariæ comprehenduntur vel ſub ſtylobata, quæ ſunt baſis ſtylobatæ, truncus, & coronis; vel ſub columna ſtricte dicta, quæ ſunt baſis ejus, ſcapus, & capitulum; vel ſub trabeatione, quæ ſunt epiſtylium, zophorus, & coronis. Harum triga quælibet nullam aliam tenere debet proportionem, quam ex canone derivandam. Iis itaque ſingulis proportionem ex allato canone aſſignat. Sed in his non morabimur fuſius, monere contenti, Cel. Autorem hoc modo varios conſtituere ordines, prout pro m & n alii aſſumuntur numeri; ubi quidem hoc ſatis nota-

tu dignum & mirum eſt, quod poſt quinque ejusmodi hypotheſes factas perveniatur tandem ad certum limitem, dum nempe ſextus ordo præberet columnam 47 modulorum, ideóque magis altam, quam ut tolerari poſſit; adeo, ut hac ratione numerus ordinum quinario circumſcribatur, ſicque theoria idem præbeat, quod huc usque ex mero caſu, ſeu arbitrio, aſſumtum eſſe videatur. Sequuntur jam *Botanica* quæ-
Pag. 304. dam, nempe 7) *Jo. Ammani de fungo inſolitæ magnitudinis obſervatio.* Pileus diametro pedem, craſſitie 3 pollices, æquavit. Fuit e fungorum eſculentorum genere, quod Cl. *Mi-*
305. *chelius* ſub ſuilli titulo inſtituit. 8) *Ejusdem deſcriptio & icon novæ Bermudianæ ſpeciei.* Primo integram ejus culturam & vegetationem exponit. Poſtea characteres enarrat. Florum petalis & fructu convenit cum ſpeciebus Bermudianæ, a *Tourneſortio* in *Inſt. rei herb.* recenſitis; differt autem ſtaminibus, ſeminibus, fructus membranis, piſtillo. Diſcrepat quoque ab Ixiæ genere, a *Linnæo* in *Coroll. Gen. Plant.* inſtituto, petalis, piſtillo, &c. Verum enim vero putat Autor, ſi omnes has minutias ad conſtituenda genera adhibere vellemus, tot fore genera, quot plantarum ſpecies. Ceterum nomen ei tribuit ſequens: Bermudiana, radice carnoſa, floribus maculatis, ſeminibus pulpa obductis.

Claſſem hiſtoricam replent duo *Bayeriana* opera poſthuma:
311. alterum *de Veſtritio Spurinna, Lyrico, ejusque fragmentis.* Hæc primo edidit *Caſp. Barthius*, ut erant in MSto Martiſpurgenſi, inter Venaticos Scriptores, & poſt aliquanto in *Adverſariis.* Fuit *Veſtritius* familia equeſtri. Adoleſcentia & maxima pars virilis ætatis in fœdiſſima tempora *C. Cæſaris, Tib. Claudii*, & *Claudii Neronis*, incidit. Summum fere in amicitia locum apud *M. Salvium Othonem* tenuit, hujusque moribus eum quoque ſeſe accommodaſſe, nullum eſt dubium. Satis ex his patet, non adeo ſeſe commendare viris bonis hujus Poetæ memoriam. Unde plura de eo afferre ſuperſedemus. Odas ejus quatuor hic ſiſtit Autor, cum
330. emendationibus ſatis longis. Alterum *de Hyperboreis* eſt. Nulla alia res hos per omnem Græciam reddidit adeo celebres,

bres, quam ſacra, ab iis in Delum miſſa. Reperire eſt quædam de his apud *Herodotum* & *Callimachum*. Anſam præbuerunt iſta Autori, in ipſam Hyperboreorum ſedem, aliaque, ad eam gentem ſpectantia, inquirendi, id quod, pro maxima, quæ ipſi erat, in antiquitatibus cognitione, fuſe executus eſt; nil tamen certi de his omnibus poſt ſedulam adeo Autoris perſcrutationem ſtatui poſſe, inficias iri nequit.

Comparent tandem pro more *Obſervationes aſtronomicæ*, Pag. 349.
& primo quidem a *Jo. Nic. Delislio cum ſociis inſtitutæ Petropoli ab A. 1739 ad 1745*, quæ non niſi eclipſes ſunt ſatellitum
jovialium. Sequitur *Occultatio Palilicii a luna d.* $\frac{21\ Sept.}{2\ Oct.}$ 363.
anni 1738, obſervata a G. Heinſio. In hac, præter ea, quæ ad ipſa elementa eclipſeos pertinent, recenſet varia phænomena, generatim in occultationibus ſtellarum a luna obvia, dum ad marginem ejus perveniunt; eaque e principiis opticis, e motu nempe tremulo, in nervis oculi noſtri excitato, clare explicat; unde & alia deduci poſſunt circa variationes intenſitatemque luminis, augmentum, vel diminutionem, diame-
tri apparentis, &c. Finem imponit *ejusdem Obſervatio* 374.
tranſitus Lunæ ad Palilicium d. $\frac{2}{13}$ *Mart. A. 1739*, de qua, nil eſt, quod moneamus.

TRATTATO DI MEDICINA PRESERVATIVA, &c.

id eſt,

DE MEDICINA PRÆSERVATORIA LIBER,

in ſeptem Partes diviſus, in quo de ſex rebus, quas Medici non naturales dicunt, breviter agitur, & ſanitatis conſervandæ, vitæque prolongandæ, modus docetur, editus a CAROLO GIANELLA, Medico & Philoſopho.

Veronæ, ex typographia Epiſcopali, 1751, 4.

Alph. 1 plag. 15.

Etiamsi non desint, qui de mediis sanitatis tuendæ, & de senectute consequenda, pro diversa gentium indole, proque uniuscujusque singulari vivendi modo, egerunt, ex quibus fuerunt, qui omnibus, quique singulis quibusdam, peculiari aliquo vitæ genere utentibus, eruditis, artificibus, scripserint, ut propterea nova attulisse, quam dubitationem sibi ipse movet, Autor haud videatur; dici tamen satis nequit, quanta sit libri hujus vel in scriptione elegantia, vel in meditationibus perspicuitas, vel regularum, secundum quas regimen sanitatis vel *publicæ*, omnium scilicet, sub una societate viventium, vel *privatæ* ac singulorum, instituitur, excellentia, ut, quod nunquam satis discitur, scribi etiam satis nunquam possit. Sanitatem descripsit Cel. Autor, quod sit dispositio illa corporis, secundum quam instrumenta datis sibi actionibus, animalibus, vitalibus, ac naturalibus, ita respondent, ut, conspirantibus inter se aliqua harmonia viribus totius, non equidem ab aliquo inter partes solidas atque fluidas æquilibrio, quod omnem motum suffocaret, sed a mutua fluidorum in solida, ac solidorum in fluida, actione, aut ab alterno horum prædominio, vires adsint, quibus id, quod nos subinde destruit, superari, & vita, quousque per humanitatem datum est, produci valeat. Est igitur prophylaxis, seu medicina præservatoria, scientia rerum, nos ambientium, aut sponte in nobis nascentium, quarum regimine prædominium illud mutuum principiorum corporis nostri sustinetur. Aeris, cujus maximum in omnia corpora, adeoque etiam in animata, est imperium, qui corpus nostrum vario modo pervadit, ejusque liquidis sese immiscet, illisque motus intrinseci causa fit, summam curam, atque in ejus selectu & sinceritate conservanda magnam esse oportet providentiam. Duæ potissimum sunt aeris qualitates perpetuæ & constantes, *pondus* specificum, quo ille erga corpora sibi immersa nititur, veluti experimenta tubi *Torricelliani*, & machinæ *Boyleanæ*, confirmant, & *elasticitas*, seu virtus, qua, cum aer in angusto spatio clausus est, in immensa sua spatia reverti, inque aliquo cum ambiente aere æquilibrio perpetuo stare, ille annititur.

titur. Accedunt his aliæ qualitates mutabiles, *caliditas*, *frigiditas*, *humiditas*, *ficcitas*, quæ a particularum peregrinarum, cum aer omnium exhalationum aliquod veluti chaos ſit, acceſſu atque receſſu dependent. Percipit igitur corpus noſtrum, quod, ad leges ſtaticas, hydraulicas, pnevmaticas, ex minimis fibris, ſeſe ad aeris conditionem librantibus, ſtringentibus, tendentibus, confectum eſt, atmoſphæræ mutationes. Sunt etiam cava in corpore aere plena, *pulmones*, *ventriculus*, in quæ, tanquam in totidem thermometra & hygrometra, aer externus agit, ſuumque in illa pondus exercet, atque clauſi aeris elaterem excitat. Hinc viſcerum robur, & humorum rotatio, mutua actio & forma, ad motum expeditiſſima, id eſt, ſphærica, oritur. Omnis motus auctus cum, attritus lege, caloris cauſa ſit, evolvit occultum in humoribus noſtris aerem, eumque agitat; proinde, quo calidior externus aer eſt, eo etiam internus plus evolvitur ac intumeſcit. Igitur, in frigido aere vivere, ad ſanitatem excellentius utiliusque eſſe, Clariſſimus Autor monet. Calor pulmonum ad nonaginta tres gradus æſtimatur. In aere, eosdem caloris gradus habente, homo vivere propterea non poſſet, ſed aerem, qui nos ambit, illo calore noſtro interno oportet eſſe temperatiorem. Quodſi autem gentibus quibusdam calentiore per æſtatem cœlo vivere datum eſt; oportet illas, quicquid eſt auxiliorum, quo calor atmoſphæræ minui poſſit, in ſubſidium vocare, altos montes incolere, paludoſas ſtationes fugere, frigidioribus aquis, ſucco acido temperatis, pro potu uti. De alimentorum ſelectu ita ſentit: cibos nutriendis corporibus oportet eſſe ſimillimos; igitur, ex quo natus infans eſt, lacte materno illum nutriri fas eſt, vel, ſi tamen nutrici alendus traditur, ſeligenda illa eſt, quantum fieri poteſt, matri ſimillima. Cum ovis hædos lactat, hi lanas alunt; aſt agni, capra enutriti, pilos emittunt; tanta eſt lactis in alumni corpus efficacia, ut in illo deligendo magnam operam collocari omnino oporteat. Similiter per omnem vitam eo reſpiciendum eſt, ut cibus neceſſitatibus corporis nutriendi quantitate ac qualitate reſpondeat. Eſt aliqua viſcerum ac vaſo-

vasorum mensura, ultra quam alimentis extendi nequeunt; illa tamen est intemperantiæ vis, ut comessationum voluptatem sanitatis studio haud pauci præferant. Hos legibus coerceri fas est, quales contra Romanorum luxuriem latæ erant, *Cornelia*, *Licinia*, *Fannia*, *Didia*, *Lipidia*, *Antia*, *Archia.* Ast, unumquemque secum, qua lege vivendum sit, reputare, satius est. Unus enim omnibus satietatis modus esse nequit; aliquam desiderii particulam cibantibus superesse, quam penitus expleri ingluviem, semper repertum fuit, esse conducibilius. Ad selectum ciborum quod attinet, salubriores illi semper sunt, quo simpliciores fuerint, & usu magis comprobati, a quibus, longo ante tempore in consuetudinem, quæ altera natura est, adductis, subito recedere, periculosum est. Etiamsi autem excellentius, & ad robur acquirendum præstantius, est, *Pythagorico* & vegetabili victu uti, animalium tamen carnibus ac succis vescendum subinde est: sola carne sanus vivere nemo facile posset. Potus simplicissimus similiter est optimus, & ille quidem, quem quilibet usu cognitum, sibique familiarem, habet; nullibi enim, quam in potus optione, libera magis voluntas esse debet. Plurimi tamen mortalium aquas bibunt, maxime sub calentiore cœlo viventes, atque etiam ex illis, qui septentrionem respiciunt, haud pauci aquarum potu salubriter utuntur, cum sanguine pleni sunt, aut eum habent salibus acrioribus mixtum. Vino tanquam medicina utendum, certe illud ultra hilaritatem haud bibendum, nec illo solo victitandum unquam est, quod, quo tenuius atque ad acorem gratum proclivius, nec vetustum nimis, neque recens admodum, est, ad salutem servandam eo semper habetur excellentius. Somni atque vigiliarum illis, qui valere volunt, æqua sit ratio, & motui quies respondeat. Cum somnus stupor sit, a compresso per naturam cerebro natus; duæ etiam causæ sunt, quæ illius necessitatem & desiderium facere possint, vasorum plenitudo, & spirituum motu musculari facta dispulsio. Cum ventriculus cibo plenus est, tunc aortam, quæ prope est, premi, sanguinemque per arterias carotidas ad cerebrum rapi, hinc illud comprimi, atque

que ejus quoque vaſa chylo novello diſtendi, neceſſum eſt. Proinde ſomni appetentia a cibo liberalius capto major ſemper eſt; verum ſomno, qui ex plenitudine venit, indulgendum minus, aſt explendus ille tantum eſt, cujus neceſſitatem inducta laboribus debilitas facere potuit. Dormiendum omnino eſt, ut id, quod interdiu, aucta per motus transſpiratione, diſpulſum eſt, quiete reſarciatur; cavendum tamen, ne ſomnus in torporem abeat, qui humores ultra, quam vires ferunt, auget. Igitur plus vigiliarum, quam ſomni, eſto; qui valet, nocte dormiat libero gravioribus meditationibus animo; in ſiniſtrum latus, quod *Ariſtoteli* videtur, declive jacere, ſatius eſt, mutato tamen ſubinde ſitu, quod factu opus eſſe, propterea videtur, quod, qui eidem lateri incumbunt, concretionem pulmonis ad pleuram in illo ſitu experiri poſſint. Motum corporis ad ſanitatem conſequendam, & tuendam, plurimum facere, nemo eſt, quin ſentiat. Contrarium aliqua ex parte ſtatuit Clariſſimus Autor, atque, etiamſi ille motus pro valetudine ſervanda neceſſitatem dubiam haud reddat, vehementiores tamen exercitationes injuriam afferre corpori poſſe arbitratur, ut ita ſibi ſtatuendum eſſe putaret, aphoriſmo *Santoriano* permotus, qui, ab exercitatione fibras indurari, & ſenectutem, quæ in illarum rigiditate conſiſtat, provocari & accelerari, quiete autem illas molleſcere, & canales apertos ſervari, docet. Videntur etiam illi, qui laborioſum vitæ genus ducunt, uti appetentiores ſunt, pleniores quoque, quod ſanitati inimicum eſt, fieri debere. Neque adeo diſſentientes habiturus eſt illos, qui, ſub quibus conditionibus motus crebrior inſalubris eſſe poſſit, conſiderant: de quo enim ſermo ſit, quo ille vitæ genere detentus ſit, quamque ætatem agat, aut quibus viribus natus ſit, diſpiciendum eſt in omnibus. Igitur, ut, qua ratione corpus movendum, aut quieti relinquendum ſit, conſtare poſſit, ſecundum exquiſitioris Gymnaſticæ leges examen inſtituitur earum circumſtantiarum, quæ ſecundum ætatis, ſexus, viriumque, diſcrimen variæ variæque eveniunt. De animi affectibus ita judicat. Eſt aliqua inter animam atque corpus conſpiratio, qua

qua fieri aliter nequit, quam ut illius motus hujus statum integritatis vel servent, vel dejiciant. Igitur ad tuendam sanitatem, & longævitatem consequendam, virtutis exercitio, & exquisitiore, quæ ab ineunte ætate instituenda est, morum doctrina, &, quæ utrinque consequitur, mentis tranquillitate, & in turbidis fortunæ nutationibus constantia, nihil potest esse excellentius. Ut autem compescere pathematum æstus possis, opus est auxiliis, quæ animum exhilarant, liberalibus scilicet artibus & scientiis. Aliquando tamen magnæ animi commotiones saluti sunt. Terror sanguinem sistit, febrem fugat. *Herodotus* de *Athi*, *Crœsi* filio, illum, cum mutus esset, subitaneo terrore perculsum, vocem recuperasse, refert. Est etiam iracundiæ sua utilitas, quæ lentos humorum motus ad vigorem excitat. Enimvero, uti securus animi exagitationum effectus neutiquam est, ita satius est, Stoicum frigus, quantum licet, servare in omnibus. Denique excretorum atque retentorum suus debet esse modus, ne expellantur succi vitales, quos manere expedit, veluti saliva est ac sudor, vel seminalis materies. Illa enim liquida, etiamsi sub certo moderamine salubriter interdum ejici possint, debilitant tamen, postquam jactura eorum pro viribus major facta est. Minus nocet, abire liquida, quæ rejici oportet, utpote vel superflua, vel nocentia, ipsaque sua qualitate vitiosa. Talia sunt transpirabilis liquor, urina, & fæculenta alvi materies. Horum liquidorum vias omni studio servari oportet liberas usu auxiliorum, quorum copiam nobis cognita juvantium atque nocentium doctrina facit, quæ nos docet, qua ratione organa excretoria suis liquidis pervia servare, evitare autem illud, quod transitum liquidi per illa viscera impedit, debeamus, cujus scientiæ cardo in cognitione debiti regiminis rerum, quæ nos ambiunt, nosque pervadunt, *aeris*, *alimentorum*, *motus*, ponitur. Est igitur aliqua vitam prolongandi, si viscera valent, scientia, licetque homini seculum vivendo emetiri, si ad vitæ rationalis usum ab ipsa pueritia instituatur. His subsidiis unitis consequi licet senectutem placidam, nec quidquam virtutis in pharmacis, hunc in finem excogitatis, est, si ab illis recesseris, quibus

quibus morbi destructivi, hominem præcocius abripientes, curantur. Sunt tamen etiam ex morbis aliqui salutares, uti febres ordinatæ, quibus vitæ salubris impedimenta tolluntur, & vita prolongatur. Singularis denique senum cultura est, quam *Gerocomicam* Græci dicunt. Hos quies juvat animi atque corporis, jucunda præteritorum recordatio, mens hilaris, cum juvenculis consortium, atque, ex victu, omne id, quod fibram rigidam emollit, & organa suis succis reddit pervia. *Super his omnibus*, ita finitur eruditus liber, *opus est, vitam inter timorem Dei & amorem proximi ita transigere, ut Domino non displiceat, nos hac etiam in vita bonis istis beare, quorum tenemur desiderio.*

LETTERE FISICALI, &c.

hoc est,

EPISTOLÆ PHYSICÆ, DUOQUE BREVES Discursus Academici, P. JOANNIS CHRYSOSTOMI SCARFI, Doctoris Theologi Basiliani, Acad. Cæs. Nat. Cur.

Venetiis, impressit Bonifacius Riezzeri, impensis Autoris, 1740, 4.
Plag. 10.

P*rima* Epistola de Dyssenteria tractat, qua Seminaræ, in civitate Calabriæ ulterioris, homines numero multi A. 1714 perierunt. Causam nitro, sulfuri, bitumini, adscribit, quibus terra fœta est, densisque arboribus, ne aer ventilaretur, impedientibus.

Secunda in causas inquirit, cur sanguis calore mediante adscendat in canaliculis rectis, aqua vero in curvis descendat. Id sine figuris intelligi nequit, totaque inquisitio non admodum difficilis videtur.

Tertia palpitationem cordis frequentem & vehementem, sibi incommodam, describit Autor, rationemque redditurus, ea recenset, quæ hunc effectum producere possunt,

 tumo-

tumores in vasis, sanguinis motum impedientes, spasmos, a ventriculo & mesenterio ad cor propagatos, &c.

Quarta describit insecta varia, sed non ita distincte, ut cognosci res descriptione sola, figuris nullis additis, possint. Maxime notari meretur vermis, Autore referente, a lapicida, eo praesente, intra lapidem, venis nigris, albis, rubeis, variegatum, repertus. Longior erat, & hirsutus, caput coloris chalybei, gula, pectus, venter, ferrei, dorsum aerei, a capite ad caudam plenus pedibus, qui instrumentis, lapidi caedendo aptis, similes erant; ex ore larga aquae quantitas effluebat, dentibus autem quatuor exiguis, cultellis similibus, repetitis vicibus petram feriebat; deinde lingua hirsuta & spongiosa loca illa, quae ante humectaverat, sugebat; tum saliebat, aut ore caudam prehendens, circulum formabat, subitoque se velut elastrum expandebat. Erant in petra venulae albae splendentes, per quarum invisibiles meatus, existimat Autor, vermi aerem subtiliorem accessisse, uti lux eo intrare poterat. Quomodo intraverit vermis, explicare Autor distincte non potest, etsi dubitare non liceat, a seminibus, quae lapidem intrarunt, ortum.

Quinta de iis agit, quos tarantula momordit, illorumque curationem ita explicat, ut, fibras aegrotorum a tonis musicis ita ad motum concitari, dicat, uti chordae instrumenti musici, similibus alterius pulsatis, moventur.

Sexta, quomodo se habeant thermometra in cryptis subterraneis, explicat. Existimat vero, re ipsa calidiorem esse aerem in subterraneis regionibus hieme, quam aestate, idque deducit ex igne in medio terrae reperiundo, cujus indicio habet montes ignivomos. Sensus hic nos non fallere, probat, quia nix tactui aeque frigida sentiatur hieme & aestate.

Septima catarrhum epidemicum explicat ex lympha corrupta. *Octava* agit de verme in cortice Limonii mortuo reperto. *Nona* talpae oculos considerat, & bombyces in Calabria ulteriore. Incredibile est, quod narrat ovula papilionis sine maris conjunctione foecunda esse. Papiliones foeminas, cum primum ex chrysalidibus emerserunt, a masculis

sculis separavit, ova illarum custodivit, viditque ex illis sequenti anno egredientes bombyces.

Decima de creatione naturaque mundi tractat; *undecima* de plantis; *duodecima* de aeris æquilibrio, ignisque levitate; *decima tertia* phænomenon aliquod emphaticum, Venetiis observatum, ad causas revocat.

Decima quarta denique Epistola fortalitii a bombis securi ideam exhibet, additis ichnographia & orthographia. Tecta ædificiorum bis fornicata vult, & superne terra cespiteque onusta, ut irruens bomba nec vim multam in terram mollem exserat, nec consistere possit in plano inclinato, sed delabatur. Similiter opera fortalitii sic instruit, ut declivitate illorum bombæ in fossas delabantur.

Sequuntur Discursus Academici, de Zelotypia alter, alter de Sphæra armillari, qui nihil novi hic excerpendum nobis obtulerunt.

Neque uberius dicemus de adjecto opusculo plagularum 10, cui titulus est: *Il Neosofo* &c. h. e. Neosophus; Dialogus pastoris & nymphæ, in qua a D. *Jo. Chrysost. Scarso* novum penitus & speciosissimum systema scientificum stabilitur, admirabilique claritate, brevitate, & elegantia, pulchro lusu mentis, ut a puncto solo linea oritur, sic a luce & glebositate, primis corporum principiis, & physicis & symbolicis, activo illo, hoc passivo, idearum verisimillimarum philosophicarum theologicarumque cognitio deducitur. Liber usui puerorum nobilium, fœminarumque illustrium, destinatus est. Forte plurimi Lectorum nostrorum jam ex titulo hoc, quem integrum adjecimus, de ipso libro quodammodo judicabunt. Nos vero profitemur, nec satis perspicua nobis visa esse in eo omnia, quæ passim offendimus, nec, Epistolis physicis sollicite magis perlectis, esse nobis potuisse insignem in mysteria Neosophi penetrandi cupiditatem.

FRANCISCI MARIÆ SPINELLI, PRINCIPIS Scaleæ, de Origine mali Dissertatio.

Neapoli, ex typographia Bened. & Ignatii Gessari, 1750, 4.
Plag. 3.

EJUSDEM DE BONO DISSERTATIO.

Ibidem, apud eosdem, 1751, 4.

Plag. 3 ½.

Præfatio historiam doctrinæ de origine mali recenset, ab Asiaticis Sapientibus ad Græcos, & hinc ad Christianos ipsos, translatæ, *Bælii* & illorum, qui eum confutarunt, conatus, ubi satis versatur in iis, quæ hac de re scripta sunt, Autor ostendit, sed nemini nostratium persuadebit, quod *post* Lutherum Calvinus *deblateraverit*, *peccatorum omnium*, *quæ in mundo perpetrantur*, *nullam penes eos*, *qui illa perpetrasse dicuntur*, *residere culpam*, *sed totam in Deum refundi*. *Leibnitio*, dum, non nisi optimum a Deo proficisci posse, affirmat, fatalismum objicit, quæ objectio quoties jam confutata sit, Autor Præfationis, P. *Ignatius a S. Cruce*, Augustinensis Discalceatus, Sacr. Dogm. Theol. Prof. ignoravit. *Spinelli* vero mathematicarum rerum & philosophicarum peritiam laudat, eumque in hac Dissertatione punctum omne tulisse affirmat. Ipsum vero *Spinelli* opus, aliquibus de mente & corpore, de facultatibus mentis, de attributis constitutivis voluntatis, &c. præmissis, de libertate Dei & omnium creaturarum agit, statuitque, Deum non esse autorem mali, sed illam voluntatem creatam, quæ usum boni pervertit, tota adhærens bono cuidam finito, quod illam sustinere non potest. Libertatem in indifferentia æquilibrii ponit, sed ita, ut voluntas ab intellectus lumine regatur; qua de re, ut sententia ejus subobscura rectius intelligatur, addemus, quæ habet de ea conditione mentium creatarum, qua non possunt amplius a summo bono sejungi. Quando erat in ejusmodi mente beata, inquit, libertas indifferentiæ, hoc est, inhærendi Deo, vel sibimet ipsi, ut ultimo fini, cum Deo inhærere voluerit, quomodo possit ab ipso amplius separari; illa in actu indifferentiæ, cum esset in perfecto æquilibro, voluit lancem sui actus versus Deum pendere, ideo, quomodo amplius potuerit in aliam partem illam deflectere. In isto actu, illa cum se a lumine intellectus duci siverit, in Deo invenerit illud forte, illud infinitum, objectum desideriorum duorum, quod semper & continuo illam sustentabit, in sua deficientia, quam uti termina-

terminata, debet semper in semet ipsa sentire. Jam ad lapsum *Adami* progreditur, eoque primo natum malum affirmat, quod in posteros propagatum sit, ut morbi hæreditarii generatione propagantur; educatione vero, aliisque, pravæ cupidines augentur. Nunc tribus *Balii* quæstionibus respondet: *Cur impeccabiles nos Deus non fecerit*; hominum hanc culpam esse, qui, dum contra conscientiæ stimulos agunt, impeccabiles esse nolunt; *cur creaverit eum, qui damnari debebat*, cui hæc regerit: En aliam objectionem prima viliorem, scilicet velle ex nihilo non eductum fuisse, cum ultimum omnium vilissimum sit, non esse; sed esto, tibi minus malum non fuisse, ergo tu Dei præscientiam introspicere ea parte tantum affectas, ut insultes ei? cet. Tertia *Balii* quæstio hæc est: *Cur æterna sit damnatio.* Respondet, hanc voluisse peccatorem, respuendo auxilium divinum. Uno verbo igitur originem mali in abusu libertatis quærit, in quo quidem recte sentit, sed vix quæstionibus his: unde nascatur hic libertatis abusus; cur creaturas, libertate abusuras, produxerit Deus, &c. satisfecerit. Ceterum eleganti & ornato sermone utitur, ingenii multum prodens.

Subjunctæ sunt Epistolæ aliquot, ad idem negotium pertinentes. Inter alia illis, qui, quod revelatione usus sit, ipsum carpserunt, regerit, tribus illis *Balii* quæstionibus ex natura voluntatis responderi.

De Bono Dissertatio negat, optimum, quod *Leibnitius* affirmavit a Deo semper esse, sequendum, quo Deus *Jovis Homerici* instar fato alligaretur, illique superius quid optimum illud præponatur (quasi esset optimum illud extra Deum, cogereturque, qui sapientissime agit, contra libere agere esset stulte agere,). Hinc ad universalium divisionem in *Substantiva*, ut substantiæ, hominis, & *Adjectiva*, ut bonum, verum, &c. delabitur, cumque bonum ad universalia secundi ordinis pertineat, illud in se non existere, adeoque nec melius, nec optimum, affirmat, (quasi hoc quisquam somniasset!) bonumque Dei summum, quod idem est optimum, infinitam ejus perfectionem esse, dicit; hinc de lapsu *Adami* verba

 facit,

facit, de ſocietatibus, inter homines inſtitutis, de redemtore Chriſto, variisque aliis, quibus plurima vera affert, ſed, quantum nos videmus, boni ideam parum illuſtrantia, multo minus profundiorem & ſolidiorem Philoſophiam ſpirantia, nedum, quod in Approbatione libri dicitur, *Leibnitium* jaculo confodentia, cujus eſſet illud ſatis impie dictum, Deum ad opera ad extra fatali quadam neceſſitate adigi. Quod ſi illi in clariſſimis & perſpicue ſcriptis *Leibnitii* operibus reperiunt, illa ſe non intelligere fatentur, cum tamen, Scholaſticorum tricas intelligere ſe, credant, hoc eſt, noctuarum more, in crepuſculo muſcas acute venantur, in luce plena cæcutiunt.

SPECIMEN, DECADEM SIGILLORUM complexum, quibus hiſtoriam Italiæ, Galliæ, atque Germaniæ, illuſtrat ADAMUS FRIDERICUS GLAFEY, JCtus, Potentiſſimi Polon. Regis & El. Sax. a Conſiliis aulæ atque juſtitiæ, ut & ab Archivis ſecretioribus, Hæreditarius in Stætteriz & Laue, &c.

Lipſiæ, 1749, 4 maj.

Plag. 12, cum aliquot fig. æn.

Quam Illuſtris Autor formarum ſignatoriarum collectionem a ſocero Celeberrimo, *Euchario Gottlieb Rinckio*, Anteceſſore Altorfino, hæreditate relictam, acceperat, ejus hoc opere ſplendidiſſimo decadem cum orbe literario communicat, eamque in nomine Purpurati Eminentiſſimi, *Dominici Paſſionei*, apparere jubet. Collegerat eas formas primo *Sertorius Urſatus*, forte etiam hujus majores, quia non unius Seculi eſſe labor videtur, a quibus ex deinceps ad *Strickerum*, confœderati Belgii apud Venetos Conſulem, ab hoc autem ad *Geiſelium*, mercatorem Norimbergenſem, ac rerum rariorum, & ad memoriam inſignium, apprime ſtudioſum, pervenerunt, a quo eas *Rinckius* ære

ſuo

ſuo redemit, easque tandem filiæ unicæ, uxori Illuſtris *Glaſeii*, reliquit. *Keyslerus* jam in *Itiner. P. II pag.* 1208 collectionem hanc ſummis laudibus extulit, quæ, trecentas, amplius, ſignandi formas, e Germania, Gallia, Italia, inprimis vero ex agro Romano, republica Veneta, Archipelago, Morea, aliisque regionibus, callide coactas, complexa, vix usquam parem, certe apud privatos, habebit. Unde, quanto eruditos beneficio affecerit doctiſſimus Autor, præcipuas illarum cum ipſis communicans, facile eſt intelligere. Idem vero, ut in ampliſſimo, quo fungitur, munere ſatis ad eam rem facultatis nactus, tres alias fecit ſigillorum collectiones, & ipſas luce publica inprimis dignas: unam cereorum, documentis olim & Diplomatum exemplis appenſorum; deinde principum virorum, noſtra memoria per Europam ſummorum, quæ literarum involucris detraxit; tandem ſigillorum originalium, quæ ex tabulario Saxoniæ, cui præeſt ipſe, magnis ſumtibus deformanda curavit, eorumque ſeriem, a primo Marchione Miſnenſi ac Landgravio Thuringiæ, ad Potentiſſimum usque Regem, *Auguſtum III*, inſtruxit. Id unice dolemus, Illuſtrem Autorem ſpem eruditis non facere, fore, ut hoc opus continuet, niſi bibliopola ſe offerat, qui, ſumtibus minime parcens, impenſas, in ſigilla, accurate deſcribenda, faciendas, ſuo periculo ferre velit. Jam totum hoc opus in *tres Partes* deſcriptum eſt, quarum *prima* ſeptem ſigilla Italica, *altera* duo Gallica, *tertia* unum Germanicum ſiſtit: in quibus ſingulis illuſtrandis ita verſatur Autor ampliſſimus, ut primo regionem, quæ in ſigilli nominatur inſcriptione, deinde autorem formæ, ſive qui ea uſus ſit, ac denique figuram, in ſigno exhibitam, contempletur, atque unumquodque *Caput* ideo in *tres Sectiones* dividat.

Jam in *Parte prima Cap. I* ſigillum *M. G. Car. S. M. & Patriarc. Aquilej.* hoc eſt, *Marini Grimani*, Cardinalis S. *Marcelli* (aut S. *Mariæ*), & Patriarchæ Aquilejenſis, exhibetur; *Cap. II* ſigillum *S. Ugolini, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Electi Peruſini; Cap. III.* ſigillum *S. Capituli Peruſini ad cauſas eccleſia*

Pag. 26. *ecclesia vacante*, quod tempore magni interregni, ad tempus quoddam, usurpatum fuisse, ex literarum ductu conjicit Illustris Autor; *Cap. IV* sigillum *Francisci Pisani*, *Archiepiscopi Nuxiensis*, & *Episcopi Clugiensis*; *Cap. V* sigillum *fratris Jacobi*, *Dei gratia Feltrensis* & *Belunensis Episcopi* & *Comitis*, quem Comitis titulum ad Comitatum Cæsanum refert Autor, quem, teste Diplomate *Caroli IV*, Bellunenses Episcopi, Imperatorum beneficio, ab antiquo inde tempore tenuere. Vid. *Ughellus* in *Italia sacra T. V pag. 160.* Usus vero est eo sigillo *Jacobus*, ex Ordine Minorum, a *Nicolao IV* ad Bellunensem Feltrensemque sedem promotus, & A. 1298 a tumultuantibus *Alberti Scaligeri* militibus obtruncatus. Quo in sigillo cum stans repræsentetur
37 seq. *Jacobus*, agit, occasione inde sumta, Illustris Autor de variis modis, quibus se sistant Episcopi in signis suis: conspiciuntur nempe in iis modo stantes, modo sedentes; qua in re Imperatores & Reges Romanorum, ex gente Teutonica, imitentur, qui jam inde a temporibus *Henrici Sancti* eo habitu corporis in sigillis comparuerint, ita quidem, ut, quo hæc antiquiora sint, eo simpliciores sellas repræsentent, donec paulatim in thronos, variis decorationibus ornatos, abierint; modo provoluti in genua, sanctumque quendam adstantem adorantes. Simul de variis etiam mitræ speciebus exponit, eamque vel *pretiosam*, hoc est, vel gemmis, vel laminis aureis argenteisque, contextam, vel *auriphrygiatam*, sine gemmis & aureis laminis, sed vel aliquibus parvis margaritis compositam, vel ex serico albo, auro intermisto, vel ex tela aurea simplici, sine laminis & margaritis, consutam; tertia, quæ *simplex* vocatur, sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam lintea, & ex tela alba confecta, rubeis laciniis, e vittis pendentibus, ornata est. *Cap. VI* conspicitur sigillum *Matthæi Sanuti*, *Episcopi Concordiensis*; *Cap. VII* sigillum *Conradi*, *Comitis Montis Feretri* & *Urbini*. *Partis alterius Cap I* exhibetur sigillum *Jani Fregosi*, *Episcopi* & *Comitis Agenensis*; *Cap. II* sigillum *Capituli Monasterii S. Mariæ de Grignano*. *Partis tertiæ*

Cap.

Cap. I sistit sigillum *Conventus Fratrum Benedictinorum in Nurenberg*, cujus Abbatiæ, quæ nomen a S. *Ægidio* habuit, fata docte enarrat Autor, & deinde etiam *Jo. Mullerum*, in *Annalibus Norimberg.* ea persequentem, laudat, ejusque verba subjicit. Neque vero satis habuit, hæc Sigilla ex omni, quam late patet, historia illustrare; sed, occasione ab iis accepta, multa immiscuit, partim ad historiam, partim ad Jus publicum imperii, partim ad alias disciplinas, pertinentia: ut controversiam de jure nominandi Patriarchæ Aquilejensis, rationibus in utramque partem allatis; excursum de Præsulibus electis, at nondum infula sacra ornatis, ex legibus ritibusque Germanorum; de mitrarum varietate & usu; de jure Summi Pontificis, nominandi Duces ac Principes, & aliis rebus, quibus tam oblectationi, quam utilitati, lectorum consulere quam maxime studuit. Pag. 5 seq. 15 seq. 37 seq.

MAXIMUS HIERONYMUS VITÆ SUÆ scriptor, sive de moribus, doctrina, & rebus gestis, divi Hieronymi Stridoniensis, Catholicæ ecclesiæ doctoris maximi, Commentarius, ex ipsismet ejus operibus decerptus, editus, illustratus. Accedunt ejusdem S. Patris vindiciæ adversus Dallæum aliosque, Autore P. F. SEBASTIANO DOLCI, Rhacusino, Ord. Min. Francisc. Concionat. Generali, S. Theologiæ Lectore Jubilato, Coloniæ Juliæ Hyspelli Academico, &c. ad Eminentissimum & Reverendissimum Principem D. HIERONYMUM DE COLUMNA, S. R. E. Cardinalem.

Anconæ, typis Nicolai Bellelli, 1750, 4.

Alph. 1 plag. 7.

Satis index tam longus significat, quid in ipso præstitum sit opere. Triennio ante foras dederat Autor *historica monumenta de rebus Minoritico-Rhacusinæ provinciæ*, unde eum vir quidam Dalmatarum doctissimus, concepta de ejus doctrina

 opi-

opinione præclara, rogare cœpit, ut D. *Hieronymi*, Illyrici doctoris, vitam Latine conscriberet. Quam provinciam etsi jam *Bollandi* continuatores, *Marianum Victorium*, Reatinum Episcopum, *Baronio* probatum, & *Ribadeneiram*, *Cornelio a Lapide* laudatum, administrasse noverat; manum tamen admovere tabulæ statuebat, ideo maxime, quod virorum summorum, quos diximus, opera Bibliothecas tantum occuparent, quarum infrequens esset Illyriis suis usus. *Fabricii* igitur, vitæ *Ciceronianæ* Autoris, ingressus vestigia, *Tullii Christiani* vitam ex ejusdem libris pæne totam decerpsit, neque imaginem solum ejus, diligentissimamque controversiarum enarrationem, quas cum *Rufino*, *Joanne Hierosolymitano*, *Pelagio*, aliis, habuit, exhibere studuit, sed etiam temporum rationes ad limam revocavit. In *duas* vero *Partes* divisum est totum opus, quarum *altera*, in 40 *Capita* descripta, ipsam *vitam*; *altera*, *undecim* constans minoribus *Sectionibus*, *vindicias*, complectitur. Atque, ut uno quasi conspectu, quomodo provinciam suam Autor administraverit, intelligi queat, *Capitum* argumenta hic subjiciamus. Agit itaque *Partis prioris Capite I* de *Hieronymi ortu*, quem, secutus *Vallemontium*, anno A. C. N. 345 adscribit. *Cap. II* de *Hieronymi patria*, quam Stridonem esse constat, hanc æquato jure ad Pannonios Dalmatasque pertinere, Illyricisque regionibus, sed neutiquam Istriæ, accenseri debere, docet. *Cap. III* differit de ejusdem *parentibus & consanguineis*; *Cap. IV* de ejusdem *primis studiis ac baptismo*; *Cap. V* de ejusdem *post baptismum vita sanctiore, & in Gallias peregrinatione*; *Cap. VI* de ejusdem *diutina commoratione in Aquilejensi urbe*; *Cap. VII* de ejusdem *in Orientem peregrinatione*, cujus caussam fuisse contemtionem in patria, ex *Epist. ad Heliod. de vita solitaria praeconiis* Autor suspicatur, non exclusa tamen, qua alliceretur, religiosorum cœlibum, per Orientem dispersorum, fama. *Cap. VIII* audit *Apollinarem Antiochiæ, & in eremum concedit*; sed, illud factum esse, Autor judicat, quod mira vafritie obtexerit errores suos *Apollinaris*, atque alios etiam ecclesiæ doctores, ut magnum *Athanasium*,

ut

ut *Basilium*, ut *Epiphanium*, aliosque, deceperit. *Cap. IX* agit de ejusdem *in eremo tentationibus & sociis*; *Cap. X* de *Arianorum in eadem vexationibus*; *Cap. XI* de mira ejusdem *a studio secularium literarum distractione*, ubi somnium illud, notum in vulgus, fabulis accensere non vult; *Cap. XII* de ejusdem *presbyteriatu*; *Cap. XIII* de *Hieronymo*, *auditore Gregorii Nazianzeni in urbe Constantinopolitana*; *Cap. XIV* de eodem *Romam a Damaso advocato*, quo eum A. C. 382 pervenisse credit. *Cap. XV* idem *scribit Romæ contra Helvidium & Luciferianos*; quorum hi, a *Lucifero*, Calaritano Episcopo, censebant, Episcopos, Arimini lapsos, nulla alia pœnitentia, nisi Episcopatu deposito, purgari posse: ille autem eo sceleris, ut ait Autor, prolapsus erat, ut non solum nuptas fœminas iis, quæ castæ erant, coæquaverit, sed negarit quoque, deiparam Virginem ejusmodi fuisse post partum. *Cap. XVI* memorat *de matronis, D. Hieronymi discipulis*. *Cap. XVII* idem *regreditur Hierosolymam*, quo, variis adductus calumniis, ut Roma discederet, anno 385 ferme exeunte, pervenit. *Cap. XVIII* audit idem *Didymum, & lustrat monasteria Nitriæ*. *Cap. XIX Barrabano Judæo utitur præceptore*. *Cap. XX* scribit *librum de Viris illustribus*, & *Cap. XXI adversus Jovianum*, qui præsertim curæ habuit, ut virgines Deo sacræ abigerentur in nuptias, quibus passim inculcabat: *Tu ergo melior, quam Sara? melior, quam Susanna? melior, quam Anna? Cap. XXII occasio controversiæ cum Joanne Hierosolymitano* hæc ponitur, quod *Rufinus* & *Melania* hunc ad *Origenis* partes pelliciebant. *Cap. XXIII scribit adversus eundem. Cap. XXIV scribit adversus Vigilantium & Montanum*, quorum ille, Martyrum, negabat, sepulcra veneranda esse, impugnabat virginitatem, vigilias damnabat, jejunia despiciebat. *Cap. XXV* ejusdem *cum Augustino primum amicitia, deinde simultas aliqua*, narratur. Hæc autem ideo orta est inter viros pios, quia *Augustinus* sententiam *Hieronymi*, de simulata *Petri* reprehensione, minus probaret. *Cap. XXVI gravis cum Rufino controversia*; *Cap. XXVII* ejusdem *res aliæ gestæ*

contra Origenistas, *exponuntur*. *Cap. XXVIII scribit rursus adversus Rufinum*. *Cap. XXIX* ejusdem laudatur *in peregrinos pietas*, *dum interim explanat Ezechielem Prophetam*, quod anno circiter 411 factum esse ostendit. *Cap. XXX* ejusdem *prima in Pelagium velitatio ostenditur*, *dum libros interpretatur Prophetæ Jeremiæ*; *Cap. XXXI* idem *insignes scribit Dialogorum libros adversus Pelagium*, & *Cap. XXXII tanquam sacratius Christianæ religionis oraculum undequaque consulitur*; sed *Cap. XXXIII lingua & gladio a Pelagianis impetitur*. *Cap. XXXIV* agitur de *Pammachio*, *Oceano*, *Eusebio*, *nonnullisque aliis insignibus viris*, *summa Hieronymo necessitudine conjunctis*; *Cap. XXXV* de *Paula & Eustochia*, *nonnullisque aliis illustribus fœminis*, *quarum curam Hieronymus Hierosolymæ gessit*; *Cap. XXXVI* de *libris*, *quos Hieronymus post librum de Viris illustribus elucubravit*: hoc enim A. 392 scripto, nunquam vir pius manum amovit a tabula; sed plura confecit volumina, quorum hic index satis longus exhibetur. *Cap. XXXVII* de *apocryphis*, *seu suppositititiis ejus libris*, Autor disserit, quo, *Bellarmini* atque *Alexandri* secutus autoritatem, refert 1) Quæstiones Hebraicas in libros Regum & Paralipomenon; 2) annotationes in Acta Apostolorum; 3) *Commentarium in lamentationes Jeremiæ ad Eusebium*; 4) *Commentarium in Jobum ad Vecterium*; 5) *Commentaria in Psalmos omnes*; 6) *Commentar. in Proverbia Salomonis*; 7) Epistolam quandam ad *Demetriadem*, quæ *Pelagium* habet autorem; 8) Symboli explicationem ad *Damasum*; 9) Commentaria in omnes Epistolas *Pauli*; 10) Explanationem in *Marcum* Evangelistam. *Cap. XXXVIII* de *virtutibus ejusdem & sanctissimis moribus*; *Cap. XXXIX* de *crebris ejusdem ægritudinibus*, *obituque sanctissimo*; *Cap. XL* de *illustrium*
Pag. 216. *aliquot virorum de eodem elogiis*, agitur. Sequuntur *vindiciæ*, quibus scripta ejus a *Dallæi*, *Blondelli*, aliorumque, asseruntur censuris, quæ quales sint, ex ipsis horum virorum scriptis cuivis facile constabit. Ut autem, qualem se patronum illius præstiterit Noster, appareat, agite, videamus,

mus, quomodo eum a *Dallæi* defenderit crimine, arguentis, ac si negasset in *Commentar. Epist. ad Titum*, eam fuisse altaris Atheniensis inscriptionem, quam dixerit *Paulus Act. XVII.* Negat primo, *Hieronymum* mendacii arguere Apostolum, sed tantum: *non ita erat*, dicere: aliud enim esse mentiri, aliud opportune pluralem numerum singularis numeri efferre terminatione. Deinde, eundem etiam rationem dare, ait, ob quam recte riteque Christi legatus pro plurativo usus sit singulari numero: *quia* nempe *non pluribus Diis indiguisset ignotis; sed uno tantum ignoto Deo.* Ex quibus ad reliqua facile poterit conjectura fieri. §. IV.

PUBLII VIRGILII MARONIS BUCOLICA, Georgica, & Æneis, illustrata, ornata, & accuratissime impressa.

Londini, impensis J. & P. Knapton, in vico Ludgate, & Gul. Sandby, in vico Fletano, 1750, 8 maj.

Alph. 1 plag. 12, Tabb. æn. 58.

Eodem prorsus consilio, & eadem omnino ratione, ac *Horatius*, de quo proxime dicemus, *Virgilius* in lucem editus conspicitur. Eadem est charta, idem atramentum, iidem sunt typi. Præfixa est *Vita Virgilii*, *Carolo Ruæo* Autore, & in fine variantes additæ sunt lectiones; sed nullæ, ut in editione *Horatii*, conjecturæ. Tabulæ, quæ hic conspiciuntur, majorem adhuc laudem, majorem etiam merentur attentionem. Nec enim ex impressis libris & operibus omnes sunt desumtæ: sed quædam etiam noviter accesserunt, tum ex Museis *Richardi Meadii*, Comitis *de Oxford*, Domini *de Bourdaloue*, & *Caroli Frederick*, Armigeri, tum etiam ex antiquissimo Codice Vaticano sub *num. 3225*, quem *Emanuel a Schelstrate* descripsit, cujus ex archetypo

 desumta

desumta verba præfatiunculæ, proximum hic a *Virgilii* Vita locum occupanti, inserta reperiuntur. „Continet „ille Codex ubique imagines coloribus effictas, quæ „seculo *Constantini* superiores videntur, & forte ad „tempora *Septimii Severi* spectant, cum in iis non so„lum conspiciantur templa, victimæ, ædificia, biremes, „pilei Phrygii, habitus, aliaque, ad Trojanorum & Ro„manorum sacrificia ac arma pertinentia; sed etiam li„neamenta perfectiora, quæ melioris & superioris ævi „ætatem indicant. Quin imo pictor harum imaginum „videtur secutus fuisse ideam nobilioris & antiquioris „pictoris, nihilque in iis exhibetur, quod primam Ro„mani imperii majestatem non redoleat.„ Afferuntur hic ex allegato & descripto Codice: *Virgilius* sedens, *Tab. I*; Medicorum habitus antiquus, *Tab. XXII; Dido*, ad templum *Junonis* sacrificans, *Tab. XXVIII;* orandi gestus, *Tab. XXIX; Dido*, Diis inferis sacrificans, *Tab. XXXV; Centauri* & *Chimæra* in orci faucibus, *Tab. XXXVI; Cerberus* colubris intortis, *ibid.*; *Tisiphone* ad portam domicilii pœnarum in Tartaro sedens, *Tab. XXXVII;* Trojani, *Latinum* adeuntes, ubi Trojanorum habitus, scil. tunicæ cum manicis, & mitræ cum redimiculis, depinguntur, *Tab. XL*; *Iris*, *Tab. LI.* Ex Museo *R. Meadii* adest *Julii Cæsaris* caput cum corona laurea, ex anaglypho. *Carol. Frederick*, armiger, exemplaria quædam suppeditavit marmorum antiquorum. Huc pertinent: *Orpheus*, ad ripam fluminis Hebri a bacchantibus discerptus, e marmore Regis Sardiniæ, *Tab. XVIII;* Scythæ bacchantis caput, sertis coronatum; corpus pecudum, setis velatum, *Tab. XLI; Jupiter*, *Juno*, & *Venus; Jupiter Veneri* arridet, quæ eum permulcet; *Juno* autem incensa est, e marmore Taurinensi, *Tab. LIV.* E Museo Domini *de Bourdaloue* adsunt: *Jupiter*, *Venus*, & *Mercurius*, *Tab. XIX;* e Museo autem Comitis *de Oxford: Cacus*, qui, *Hercule* dormiente, boves furatur, *Tab. XLIII; Caci* regia detecta,

detecta, boves ab *Hercule* recuperati, *ibid.* Reliquarum satis magnus numerus est figurarum: nam in una Tabula non raro sex figuræ diversæ conspiciuntur.

NOVA LITERARIA.

Edidit nuper *Lucas Venturini*, Typographus Lucensis, ad *Eruditos rei Conciliaris studiosos*, brevem Epistolam, docentem ipsos, quousque processerit nova *Conciliorum* Collectio, a Rever. & doctissimo *Jo. Dominico Mansio* instituta. Hanc, quia est brevior, damus integram:

Jam tandem, propitio obsecundante Numine, ad exitum felicem perducta est Supplementorum ad Labbei Concilia *editio, Lucæ ante hoc quadriennium incepta, P.* Joanne Dominico Mansi, *e Congregatione matris Dei Lucensi, Autore. Optatum nuntium gratis auribus excepturos eruditos credo, siquidem intellexerint, opere isto* Labbeanæ *Collectioni accessionem fieri omnium, quotquot prodierint, amplissimam. Veneta enim, quæ proxime huic præcessit, quatuor tantum adjecit; hoc non nisi senis Voluminibus absolvi potuit. In his vero Concilia nova, nondum in Collectiones generales invecta, ad 560, si recte supputavi, censentur. Horum ultra 200 nedum a* Labbeo *absunt, verum nec repetenda fuerant ex iis, qui singularum nationum Concilia coadunarunt; puta ex* Wilchinsio, *qui Anglicana*, Peterffy, *qui Hungarica*, Martene, *qui Gallica multa, pauca Germanica in vetustis monumentis, a se editis, complexi sunt; sed ex centenis Autoribus, immensisque voluminibus, arcessenda fuerunt. Attamen &, quæ nova idem* Wilchinsius, *quæ* Peterffy, *quæ* Martene, *dederunt, hic integre repræsentantur, iis tantummodo exceptis, quæ Autor in sua ad totum Opus Præfatione excepturum se præmonuit. Reliqua ad 300 ipsa sunt* Labbeana *Concilia Venetæ editionis, non quidem iterum reproducta, sed novis tantummodo eorum accessionibus, emendationibus, animadversionibus, exhibitis; interdum quidem*

dem brevibus, longioribus sæpius, & non raro prolixis adeo, & amplificatis, ut Labbeana *acta superent, ac pæne obruant. Ita Concilium Basileense, quod in* Labbeo *dimidium volumen vix tenet, hic duo ferme Volumina complet. Tantam enim struem suffecerunt, præter edita multa, ex omnibus Latinis Græcisque Autoribus collecta, insignes Europæ Bibliothecæ, & Archiva Cathedralium Ecclesiarum, symbolas conferentes singulæ suas, Vindobonensis Cæsarea, Taurinensis Regiæ Universitatis, Florentinæ S. Laurentii, & Medicea, Patavina S. Justinæ, Ravennatensis, Ferrariensis, Veneta S. Marci, Pistoriensis, Tarvisina, Lucensis. Ex his omnibus anecdota scripta promuntur ultra quinquaginta. Inter hæc micant* Joannis de Turrecremata *opuscula sex, in lucem hic primo prolata;* Æneæ Sylvii *Orationes geminæ, nondum editæ, ejusque de rebus Concilii Epistola, ne nomine quidem antehac nota; Abbatis Panormitani Oratio duplex, in Concilio Basileensi habita;* Joannis de Ragusio *historica narratio rerum a se gestarum Constantinopoli, quo missus erat a Concilio Basileensi; &, ut de vetustioribus aliquid tangam, Innocentii IV Constitutiones, ab aliis decretalibus sejunctæ, & in Concilio Lugdunensi I lectæ, atque acceptatæ, Guidonis de Baysio Apologia pro Bonifacio VIII, & alia sexcenta. Hoc rerum specimine demonstratur rerum Conciliarium studiosis, nunquam se plenam Conciliorum scientiam assecuturos, nisi, cum* Labbeana *Collectione, hac ipsa Lucensi accessione potiti fuerint. Æqui bonique faciant illi monitum hoc meum, ex re ipsa petitum, cœptisque meis faveant.*

De *primo* egregii, & insignes suas dotes habentis, Operis *Volumine* jam dudum a nobis dictum in his *Novis Actis*, meministi, Lector; de ceteris autem, quæ proxime ventura in manus nostras speramus, hoc diligentius deinde dicemus, quo minus dubitandum est, contineri in his multa, quæ iis omnibus, qui Historiæ ecclesiasticæ studia haud segniter tractant, cognitu quam maxime utilia sint judicanda.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCLIII.

Pars II.

SANCTA ET BEATA AUSTRIA, SEU ACTA & Vitæ Sanctorum eorum, qui a primo inde Christi Seculo ad hunc usque ætatem Austriam illustrarunt. Edidit, & judicium adjecit, BERTHOLDUS, Mon. Mellicensis, Professor & Philos. D Accessere tres Dissertationes, 1) de Expositione Symboli Austriaci A. E. I. O. U.; 2) de accurata totius Austriæ seculorum & populorum historia; & 3) de primis Austriæ Apostolis.

Tomus I.

Augustæ Vindelicorum, impensis Joannis Danielis Herzii, 1750, fol.

Alph. 3 plag. 4, cum Tabb. 13, quibus figuræ in æs incisæ sunt.

Regio Serenissimo Principi juventutis *Josepho* Pl. Rev. Autor *Tomum* hunc, quem excipient plures, consecravit, pium laborem esse eum ratus, quo referuntur patriæ facta & laudes. Ipse enim in Austria usuram lucis primam hausit. Voluit itaque gloriam cœlitum Austriacorum, & per hæc Sanctorum Acta ipsam Austriæ regionem, illustrare ac concelebrare. Martyrum

fastos colligere, jam ævo *Tertulliani* in more Christianorum erat positum. *Constantinus Maximus* justit *Eusebium* vitas ac mortes Martyrum literis memoriæ prodere. *Carolus Magnus Usuardo* fuit autor, ut Martyrologium componeret, quod adhuc exstat. Græci habent sua *Menæa*, *Menologia*, *Triodia*, quibus Martyrum dies emortuales consignarunt. Nec minus Austria suis gavisa est hominibus, sanctitatis laude eximiis, qui ibi vel nati sunt, vel sacris laboribus vires impenderunt, vel diu vixere, vel exspirarunt. Horum iconas, in æs incisas, adjecit Operi suo Autor, ita elaboratas, ut artis sculptoriæ videantur esse cimelia. Annotationes passim suas Vitis adspersit modestas & modicas. Ordinem secutus est chronologicum. Stilo oratorio, phaleratisque verborum lenociniis, abstinuit, ne scopo suo esset impedimento. Iconas hic habes, Lector, Regii Principis *Josephi*, 24 Martyrum Laureacensium, S. *Floriani*, S. *Emmerami*, S. *Quirini*, S. *Maximiliani*, SS. *Syri* & *Eventii*, S. *Lucilli*, S. *Severini*, S. *Antonii*, S. *Ruperti*, S. *Constantii*. *Dissertatione prima* memoratur, *Fridericum III*, antequam solio Imperatorio admoveretur, condere diarium vitæ suæ cœpisse A. 1437, & in eo scripsisse, symbolum A. E. I. O. U. fore & esse ipsius qua conditoris, vel autoris, monumentum. *Lambecius* dedit XXXVIII hujus symboli expositiones, acquiescens in ea, quam *Fridericus* ipse in Diario suppeditavit, scilicet hac: *Austria est imperare orbi universo.*
Pag. 3. Nostro placet hæc: *Austria erit in orbe ultima*, quæ priori est superstructa & innixa, & ab ipso comtissimis elogiis & illustrationibus historicis exornatur.
13. *Dissertatio II* statum Austriæ exponit per omnia Secula *Capitibus novem* succincte. A Cetio olim monte usque ad amnem Jeytham *Pannonia superior*, a Cetio monte usque ad Oenum flumen *Noricum*, pertinuit. Norici, pars Celtarum, a montibus dicti *Taurisci*, a septentrionali situ Nordici, seu *Norici*. Pannones contra Thraces & Illyrici erant, vitæ rigidissimæ homines, ab oleo vinoque alieni, solis armis assueti, pro terra sua, tanquam pro Helena, decertantes.

tantes. Reges Norici, *Critasirus* & *Vocion*, apud *Strabonem* & *Cæsarem* memorantur. Austriam trans Danubium, eamque septentrionalem, ante Romanorum adventum tenuerunt Quadi ac Marcomanni, illi ad Orientem, hi ad Occidentem & Septentriones. Quadi supra montem Lunam habitarunt. Marcomanni a Bojis, seu Bojohemis, quos expulerunt, fuere diversi. *Augustus* Pannones subegit, qui denuo cum Noricis anno C. N. 8 ad certas servitutis leges pacem iniere. Laureaci tunc fabricam exstruxere suam. Carnuntum, Siscia (*Sissek*), Æmona (*Laubach*), jam floruerant antea. Laureacum A. 737 funditus fuit eversum, initio Seculi decimi contra Hungaros instauratum, bello autem Hussitico, quo ibi munimentum surrexerat, penitus exstinctum. Norico præsidem Romani imposuerunt, tum ripensi, tum mediterraneo, seu montano. Regio ultra Danubium septentrionalis erat Germaniæ Magnæ limes. Seculo V Noricum ripense decurrit a Cetio monte versus Occidentem Passavium usque; a Cetio monte usque Jeytham fluvium patuit Pannonia superior. Tunc Heruli regionem Quadorum occuparunt, Rugii eam, quam Marcomanni insederant, tenere cœperunt, Rugilandiæ nomen nunc nactam. Populis his, in Italiam progressis, substituerunt se Hunni, ac Austriæ nomen hæsit *Hunniæ* & *Avariæ*. Langobardi circa A. 568 annis 40 tenuerunt Pannoniam. Eis demigrantibus successerunt rursus Hunni ad *Caroli Magni* usque tempora. Austria inferior ad tempus a Gothis dicta fuit *Ostrogothia*. Boji Seculo V revixere, appellati postea *Bajobari*, *Bajuwarii*, *Bajoarii*, *Bojarii*, *Bavari*. Austria superior ad annum usque 1156 comprehensa fuit jure & nomine Bajoariorum. Post Ostrogothorum adventum Heruli, Rugii, Thuringi etiam, in Austriam, a Danubio versus meridiem sitam, irruperunt, teste *Vita S. Severini*. *Carolus M.* Hunnos A. 791 ultra Arabonem profligavit, eisque duces suos opposuit. Bajoarios ibi substituit *Carolus*, ejectis Hunnis. Winadi, seu Sclavi, illis permixti, habitarunt Austriam inferiorem. Hunnos invitavit annus 887 in Austriam. Ipsi A. 927 Austriam penitus

Pag. 17.

insederunt. Austria inferior Seculo IX *Pannonia* fuit dicta. Seculo X Austria vulgo cœpit appellari *orientalis plaga* (Bajoariorum), *marka*, *marchia*, *marchia orientalis*, *provincia oriens*, *Wawaria orientalis*, *Ostriche*. Decimo circiter Seculo Austria habuit Imperatorum Regumque Germaniæ *Comites* & *Marchiones*, e stirpe Babenbergica procreatos. *Fridericus I* Imperator Austriam superiorem a jure & nomine Bavarico divulsit, & Austriæ singularem condidit Ducatum,
Pag. 20. *Austriæ* vocabulum inde ex Seculo XI ad hanc usque ætatem perstitit. *Hermanno*, Duce, seu Marchione potius, Badensi, exstincto, victo deinde *Ottocaro*, Austria cessit stirpi Habspurgicæ, & tandem gloriosissimi *Caroli VI* Augustissimæ hæredi, *Mariæ Theresiæ*, seculorum gloriæ & ornamento sempiterno. *Dissertatio III* versatur in origine doctrinæ Christianæ, in Austriam delata. Primi Christianæ rei per Austriam doctores difficulter exquiruntur. Probabilissima eorum sententia est, qui referunt, *Syrum* simul & *Eventium*, discipulos S. *Her-*
22 *magoræ*, Episcopi Aquilejensis, qui *Marcum* Evangelistam dicitur habuisse magistrum, doctrinam Christi primos Laureaci nuntiasse. Seculo II circa annum 182 S. *Lucius* propagandæ Christi doctrinæ in Norico operam dedit. Seculo III advenit S. *Maximilianus*, Seculo IV S. *Quirinus*, Seculo V *Valentinus*, Pataviensis, seu Passaviensis, Episcopus, eodemque S. *Severinus*. Post hos *Rupertus*, ejusque discipuli, *Emmeramus*, aliique, sementem Evangelii jam factam porro excoluerunt. Hisce præmissis, Autor exhibet vitam *Syri* & *Eventii*, seu *Juventii*, S. *Laurentii*, quem nonnulli primum reputant Laureaci Apostolum, S. *Lucii*, S. *Maximiliani*
37. Martyris, Episcopi Laureacensis, tum vero S. *Floriani*, Principis Officii & Martyris A. 297, 19 Maji. Succedit his vitis *Vita & Passio Sanctorum 40 Martyrum Laureacensium* omnino brevis. An fuerint ipsi milites, est in incerto. Traduntur Seculo III exeunte constantissimam mortem pro Jesu
59. doctrina oppetiisse. S. *Quirinus* fertur Sisciano Episcopatui præfuisse, & supplicii loco submersus. Vitam S. *Severini* scripsit hujus discipulus, *Eugipius*, qui in monasterio Fabianensi

nensi maximam vitæ partem sub illius disciplina exegit. Eam primus edidit *Laurentius Surius Hist. Sanctor. Tom. I.* Ex Pag. 71.
Eugipio Baronius & Noster sua depromsere potissimum. In
Actis ejus mentio fit Regum Rugiorum, *Flaccitbei* & *Odoacri*, 75.
quibus *Severinus* eventa varia prædixisse dicitur, porro *Fevæ*, qui patri *Flaccitbeo* successit, & *Gisæ*, quam *Feva* in uxorem duxerat, Christianis infestæ. Celebrantur miracula, per eum edita. *Giboldum*, Alemannorum Regem, a popu- 82.
lationibus absterruisse dicitur. Prædicantur ejus vaticinia. Sepultus fuit inter Neapolitanos in Lucullano castello, & tandem Neapolin translatus. *Astura*, celebre illud S. *Severini* domicilium, videtur inter Cæcium & Comagenum prope locum, qui nunc vocatur *Greifenstein*, situm fuisse. Enuclea- 114.
vit præterea Noster plura vitæ S. *Severini* momenta geographica. Addidit his *brevem digressionem ad Ven. Martianum*, 119.
seu Marcianum, presbyterum monachum, & discipulum S. Severini, tandem Abbatem in monte Felethem, nunquam Episcopum Viennensem. De S. *Lucillo*, *Severini* discipulo, *Eugipius* tradidit paucula; Noster vero de S. *Constantio*, Archiepiscopo Laureacensi, copiosa attulit, ejusque Episcopa- 127.
tum anno 427 adstrinxit. S. *Antonius*, qui hic describitur, fuit S. *Severini* in Austria discipulus, & postea Benedictinus Lerinensis in Gallia. S. *Rupertus*, a pluribus descriptus, 131.
fuit Wormatiensium, & postea Salisburgensium, Episcopus circa A. 628, *Theodoni*, Bojorum Principi, ætate suppar, a quo pertulit dura, & quem, uxore *Reginotrude* Franca maritum flectente, Christo postea aggregavit, defunctus tandem A. 628, quem annum *Hansizius* aliique iverunt oppugnatum. Subjuncti sunt *Ruperto* discipuli ejus, *Chunoaldus* & *Gisilarius*, 159.
Benedictini, nec non S. *Vitalis*, successor *Ruperti* in Episcopatu Salisburgensi. Vitam S. *Emmerami*, circa A. 652, 10 Cal. Octobr. defuncti, diligentissime conscripsit Autor, dignam monasterio Benedictino Ratisbonensi, quod in honorem ejus excrevit; digressus deinde ad S. *Corbinianum*, Episcopum Frisingensem, defunctum A. 730, 8 Sept. In fine *Tomi* apparet *Compendium philosophicum*, quod Autor 233.

 per

per biennium in monasterio Mellicensi exposuit & illustravit, Peripateticorum gustui accommodatum.

P. Gregorius Rothfischers, des Fürstl. Reichsstifts St. Emmeram in Regenspurg Benedictiners und Professors der Gottesgelahrheit, Ablaß und Jubel-Jahr, rc.

id est,

P. GREGORII ROTHFISCHERI, ABBATIÆ Principalis S. Emmerami in urbe Ratisbonensi Benedictini & Theologiæ Professoris, Indulgentia & Annus jubilæus, methodo mathematica oppositus scriptis adversariorum, qui occasione ultimi anni jubilæi Romani lucem adspexerunt, Pars prima, quæ est historica.

Ratisbonæ & Viennæ, apud Emericum Felicem Bader, 1751, 4.

Alph. 4 plag. 17.

Liber hic, si quis alius, sive argumentum, sive effectum, quem in Autore produxit, respicias, profecto est commemorabilis. Tempus erat, quo P. M. *Benedictus XIV* celebrationem anni jubilæi publicis literis indicabat, multa cum solennitate postea acti. Illis prolixam gratiam, peccatorum veniam, & pœnarum, illa consequentium, remissionem, omnibus largiter offerebat, qui eandem ratione convenienti petituri essent. Exsurgebant illico ab una parte, qui institutum illud summo commendarent opere, maxime salutare illis, qui peccatorum onere pressi fatiscerent; ex adversa parte non deerant, qui asseverare nulli dubitabant, a sanctioribus literis illud omnino alienum esse, in quibus illius neque vola, neque vestigium, inveniatur, a consuetudine primæ ecclesiæ, quamdiu puritas illi sua constitit, prorsus abire, pietati esse adversum, nec afflictis opem atque solatium afferre.

afferre. Priorum partes defendendas suscepit Cl. *Rothfi-fcherus*, qui magno labore omnia ecclesiæ tempora pervasit, eaque omnia collegit, quæ ad causam suam ornandam aliquid facere judicabat, hæcque tanta concinnavit arte, ac talem illis colorem dedit, ut oculis hominum incautorum caliginem facile offundere possint. Hac forte via fecit satis aliis, non sibi ipsi. Cum enim veritatis esset amantissimus, illamque quæreret, tanta luce se ea per animum ipsius diffudit, ac illos nodos atque vincula ipsi injecit, ut victas huic manus dare cogeretur, Pontificiorum societati vale ultimum diceret, seque ecclesiæ puriori, publica fidei suæ confessione ante edita, addiceret. Opus hoc in *tres* tributum est *Partes*, quarum *prima*, quam præ manibus habemus, sistit historicam narrationem indulgentiarum & annorum jubilæorum; *secunda* complectetur argumenta, quibus hunc ecclesiæ Romanæ morem ex ratione pariter atque Scriptura propugnare Autor constituit; *tertia* adversariorum objectionibus diluendis & refellendis est destinata. Quoniam spes est, fore, ut mentem suam super iis, quæ in præsenti *Volumine* in favorem ecclesiæ Pontificiæ dissertavit, ipse aperiat, nobis præcipua illius momenta attulisse sufficiet, ingenue fatentibus, multa in illo haberi, quæ ad accuratiorem disciplinæ ecclesiasticæ notitiam, illius exercitium, ac ejusdem diversis temporibus mutationes, modo singula circumspecte pensitentur, facere queant.

Præsens *Volumen* inscriptum est Illustrissimo Salisburgensium Præsuli, *Andreæ Jacobo*, Comiti *Dietrichsteinensi*, cujus & progenitorum in rempublicam & ecclesiam merita collaudantur. In Præfatione Autor nominat præcipuos, qui occasione Jubilæi, a Pontifice *Benedicto XIV* publice indicti, calamum strinxerunt, quorum nonnullos immodestius se gessisse queritur, de se professus, veritati ac modestiæ litaturum esse. Unam *Sectionem* toti huic dedit Operi, quam in *tres* minores dispertitur; quarum *prima* enarrat rationem disciplinæ ecclesiasticæ primorum Seculorum ad Concilium Nicænum usque; *secunda* eandem complectitur usque ad Secu-

Seculum XI; *tertia* illam prosequitur a Seculo XI ad nostra tempora.

Antiquissimis temporibus disciplinam ecclesiasticam ad negotia civilia se protendisse, affirmat Autor, idque probat ex *1 Cor. VI*, quam etiam post *Constantinus* & *Theodosius* peculiaribus constitutionibus confirmarint, quamque, ubi pietas antistitum ac Clericorum, itemque plebis sacræ, decreverit, instaurarit *Carolus M.* & *Ludovicus Pius*, Episcopos Principes imperii constituendo, eisdemque integras terras regendas dando. Qui cum tanto oneri ferendo non essent pares, circa A. 1100 instituisse dicuntur, ut sacerdotes in confessionum locis judicium internum, senatus ecclesiasticus (Consistorium) externum, exercerent. Inde de initio corruptionis ecclesiæ differitur, & post factam operis partitionem ostendi-
Pag. 1-15. tur *Sect. I*, primum exemplum exercitæ disciplinæ ecclesiasticæ haberi *1 Cor. V*, ubi legatur, *Paulum* hominem incestus reum satanæ tradere decrevisse, cui autem, posteaquam ecclesiæ per pœnitentiam fecerit satis, intercedente cœtu sacro Corinthiaco, absolutionem indulserit. Per interitum carnis non morbum aliquem corporis, sed jejunia, abstinen-
16-28. tiam a rebus, quæ corpus fovent, Autor intelligit. Alterum exemplum est juvenis, ad doctrinam Christi per *Joannem* Ephesi adducti, de quo *Eusebius H. E. Lib. III Cap. 23*, qui vero post latronibus associatus, quorum caput factus erat, præsentia Apostoli in tantum terrorem est conjectus, ut resipiscentiam multis lachrymis fuerit testatus: verum, hoc non
28-35. obstante, Ephesum redux, pœnitentiam ecclesiasticam subire debuit, quæ vero non diu duravit. Ex Seculo II producit Autor historiam Martyrum Lugdunensium & lapsorum, uti dicebantur, qui, ubi, fervente vexatione sub *M. Aurelio*, fidem abnegaverant, errore agnito, multa cum lætitia in communionem cœtus Christiani fuerint recepti: quam historiam autoritatibus firmare annititur. Rigidiores existebant Montanistæ, quorum dogmata & instituta exhibentur, itemque *Tertullianus*, ex quo locus de pœnitentia ecclesiastica adducitur, &, quid per ἐξομολόγησιν intellectum velit, demonstratur,

ſtratur, per illam Deo ipſi ſatisfactionem præſtitam eſſe, qui tamen poſt in *Montani* traductus caſtra, omnem remiſſionem quibusdam peccatis negavit. In eccleſia per illam tempeſtatem hanc dominatam fuiſſe opinionem, illi jus competere, non quædam ſolum, ſed omnis generis, peccata remittendi. Colligit hinc, Seculo jam II pœnitentiam, ſive ἐξομολόγησιν, quæ haud exiguam diſciplinæ eccleſiaſticæ partem conſtituebat, in uſu fuiſſe. Idem probat ex *Conſtitutionibus Apoſtolicis*, *Irenæo*, *Herma* Paſtore. Ex Seculo III adducuntur *Origenes*, qui de pœnitentia & confeſſione peccatorum occultorum loquatur, Martyres item Alexandrini, qui lapſos, ubi ſeriam reſipiſcentiam animadverterant, receperunt, quorum tamen judicium autoritate Epiſcoporum confirmandum fuerit. Cum, ſæviente furore *Decii*, alii a fide defeciſſent, vel libellos a præfecto ſibi expetiiſſent, alii fuga ſe ſubduxiſſent, quod & *Cyprianus* fecit; quidam lapſorum, benignitate Martyrum abutentes, Epiſcopos cogere laborarunt, ut in eccleſiæ ſocietatem reciperentur, nonnulli in partes ſeceſſerunt Novatianorum. Enarrantur hinc motus, qui hac ſuper re exorti ſunt, quibus *Cyprianus* in Concilio I Carthaginienſi finem imponere contendit, in quo de renovanda priſca diſciplina eccleſiaſtica cogitatum eſt, quod ipſum Romæ tentavit *Cornelius*. Sed, cum, nova imminente perſecutione, animo proſpicerent, multos periculo expoſitum iri, in Concilio Carthaginienſi II, pariterque Romæ, eſt decretum, ut lapſis pax daretur, quibusdam etiam ſine pœnitentia eccleſiaſtica, dummodo certa veræ reſipiſcentiæ ſigna ederent. Ex iis, quæ *Cyprianus* habet, elicit hæc corollaria: 1) ipſum ſermonem facere de pœnitentia eccleſiaſtica; 2) ab illa ſolos Epiſcopos, vel quibus id ob certas rationes fuerit commiſſum, immunitatem dare potuiſſe; 3) Martyres non niſi ut interceſſores ſpectatos fuiſſe; 4) populo judicium modo ſignificatum fuiſſe. Ex doctrina *Cypriani* ſatisfactionem pro peccatis levioribus etiam & occultis dari debuiſſe, atque illam non *politicam* ſolum, verum etiam *divinam*, reputandam eſſe. Inde ſe convertit ad Seculum IV, in cujus initio

Pag. 35-61. 64-73. 73-87. 87-91. 91-108. 108-115. 116-124. 127-129.

initio cum vexationis *Diocletianeæ* causa multi vacillarent & deficerent, diversi Canones de pœnitentia sunt cusi, qui ex scriptoribus illius temporis atque Conciliis, speciatim Niceno, adducuntur, ex illisque efficit, in pœnitentia non solum satisfactionem ecclesiæ, verum etiam Deo, datam, adeoque illam non mere politicam esse. Quando autem diserte dicit, veniam pœnitentibus ab ecclesia datam non fuisse, nisi post justificationem impetratam, in justificatione vero plenariam peccatorum veniam peccatori obtingere, contraria sibi loquitur, nisi quis dicat, Deum duplicem ab homine flagitare satisfactionem, alteram, quæ rationem in merito Christi habeat,
Pag.129-162. alteram in hominis actibus. *Sectione II*, viam ad sequentia straturus, agit de diversis pœnitentiæ gradibus, *fletu*, *auditione*, *substratione*, *consistentia*, qui gradus, illorum ratio, effectus, & proprietates, quoniam ex Patribus, & illorum temporum Conciliis, cognoscendæ, doctores & Concilia Se-
162-175. culi IV, V, & VI, ordine chronologico nominat. Contra Arianos in Conciliis Niceno, Alexandrino, & speciatim ab *Athanasio*, est decretum, ut redeuntes ad ecclesiam a disci-
175-178. plina ecclesiastica essent immunes, modo fidei confessionem ederent. Idem de Donatistis in Concilio Arelatensi est statutum, ut Episcopi redeuntes, absque pœnitentia publica, confessione edita, prævia manuum impositione, ecclesiæ
178-194. de novo associarentur, inque dignitatibus suis permanerent. Cum inde Donatistæ ad Imperatorem *Constantinum* provocarent, hic indignationem suam est testatus, decreta Concilii confirmavit, ac graviora remedia contra refractarios ordinavit; qua re effectum fuerit, ut plures ad ecclesiam redierint. Intersperguntur quædam: 1) impositionem manuum pro baptismo habitam fuisse; 2) Clericum, disciplinæ ecclesiasticæ subjectum, ad ordinem suum redire non potuisse; 3) omnes orbis terrarum ecclesias in societate quadam cum Romana fuisse. Quid præterea de Donatistis, nondum acquiescenti-
194-215. bus, fuerit constitutum, in sequentibus exponit. Quod ipsum quoniam Patres Africani ex consensu Episcopi Romani decreverint, hinc efficitur, Pontifices Romanos pro universalibus judiciis

judiciis & disciplinæ ecclesiasticæ custodibus ac præsidibus Seculo IV agnitos fuisse. Quid porro *Pacianus*, *Gregorius Nyssenus*, *Basilius*, *Augustinus*, de pœnitentia docuerint, monstrat, qui, peccatis invalescentibus, pœnitentiam ad plura peccata protenderint, & graviores illius gradus constituerint. Erant, qui sese legibus his subjicere renuebant; quare legibus civilibus & magistratuum jussibus sunt coacti. Aliquando privata pœnitentia pro iis, quæ circumstabant, sufficiens habebatur, aliquando sequebatur publica. Quoniam per pœnitentiam peccata expiari judicabantur, non per solam fidem hominem justificari, existimabatur. Absolutio sequebatur pœnitentiam, quæ in ecclesia Mediolanensi die memoriæ mortis Christi sacro, in Græca die memoriam ejusdem ex mortuis excitati proxime antecedente, in Romana die sic dicto Viridium, peragebatur. Ex antiquo ri- Pag. 215-269.
tuali, A. 1591 edito, quod Seculo VI ex Concilio Agathensi mutuatum putat, rationem, qua absoluti in societatem ecclesiæ fuerint recepti, explorat Autor. Anniversariam hanc expiationem juri naturæ, imo gentium, & Judæorum, qui anniversariam solennitatem piacularem celebraverint, institutis, convenire, judicat. Absolutio primis temporibus competebat sacrorum antistitibus, successu temporis, crescente cre- 269-280.
dentium numero, & peccatis invalescentibus, demandata est sacerdotibus: cujus rei vestigia jamdum in Concilio Nicæno offendantur; quæ qua in re constiterit, & secundum quas regulas fuerit instituta, traditur. Publicam absolutionem Episcopi sibi servabant, nec a sacerdotibus, nisi ipsis ab Epi- 280-286.
scopis concederetur, poterat administrari. Seculo IV pœni- 286-288.
tentiarius constituebatur. Pœnitentiam Sacramentum habitam fuisse, asseverat, externum signum fuisse manuum impositionem, quæ quia in singulis obtinebat gradibus, illa, quæ post substrationem fiebat, sacramentalis reputabatur, antecedentes præparatoriæ, ac proinde non mere politicæ, censebantur. *Indulgentiam* definit per remissionem pœnæ 288-305.
temporalis, quam pœnitens etiamnum post absolutionem sacramentalem Deo debeat. Progressu temporis pœnitentia

 ecclesi-

ecclesiastica est collapsa, maxime quoniam honoratiores &
ditiores pudore ducebantur, se illi publice exponendi: intro-
ducta igitur est *pœnitentia semiplena*, quæ exercebatur a mo-
nachis, ad quos se recipiebant, quorum aliqui mitiores im-
Pag. ponebant pœnas: qua occasione de origine ascetarum, anacho-
306-324. retarum, & monachorum, Autor commentatur. Hi alios inclu-
debant conclavibus, sic dictis, pœnitentiariis, aliis peregrina-
tiones ad loca sancta injungebant, quæ inde originem suam
sumunt, & secutis temporibus cum reliquiarum cultu,
indulgentiis, igne purgatorio, tandemque anno jubilæo, ar-
ctissime conjunctæ fuerunt. Hujus generis peregrinationes ex
Vet. pariter atque Novo Test. ad Seculum usque IV adstruxit,
inque locis illis sacris multa miracula facta fuisse contendit.
324-349. Idem probare laborat de reliquiis. Queritur, Clericos, ec-
349-354. clesiæ opibus locupletandis nimium intentos, munia sua ne-
gligentius tractare cœpisse, ut hinc in plebis voculas incide-
rint; cui malo ut obviam iretur, Seculo IV œconomos
354-357. bonorum ecclesiasticorum fuisse constitutos. Nec negat, ali-
quos ex Clericis, qui quæstum ex peregrinationibus ad reli-
quias captarent, falsas pro veris venditasse, aliquando furto
sustulisse, quin illarum causa graves sæpe concertationes ac
bella exorta fuisse. Ignem purgatorium primo jamdum
357-363. tempore creditum fuisse, docet ex *Dionysio Areopagi-
ta*, & *Tertulliano*; oblationes pro mortuis ad altare
delatas. De Montanistis notat, ipsos cœnam sacram porre-
xisse defunctis, vel in illorum locum alios substituisse, quod
ante fecerint Cerinthiani & Marcionitæ, quorum errorem
notet *Paulus 1 Cor. XV, 29.* Unde etiam fluxit, ut tempore
sequenti panis sacer mortuis in os ingereretur, vel panis &
363-373. calix loculis immitteretur, sacerdotum potissimum, quo
etiam refertur osculum demortuis fixum. A sanctis, fato
functis, etiam auxilium aliquod exspectari posse, probat ex
Origene, *Cypriano*, *Ambrosio*; unde consuetudo exorta, ut in
templis prope Sanctos sepeliri cupiverint, quo illorum
precibus ac meritis juvarentur: epulas etiam sepulcrales in
373-384. mortuorum emolumentum cessisse, affirmat. Preces pro
defunctis

defunctis elicit ex desiderio *Monicæ*, matris *Augustini*, ut
sui inter offerendum mentio fiat, quod cum probet *Augu-*
stinus, & oblatio, ut ipsi videtur, non nisi sacramentum al-
taris fuerit, quod hodierno die missa dicatur sacrificium mis- Pag.
saticum, illo jam tempore obtinuisse, putat. Cantus, qui in- 384-389.
stituebantur, dum exequiæ ducerentur, mortuis prodesse ju-
dicabantur. Adhæc recenset ritus sepulcrales, superstites
adhuc in ecclesia Pontificia, quos ægre fert a Protestantibus
abolitos fuisse. Preces pro illis, qui in igne purgatorio
erant, ut vel liberarentur, saltem cruciatus eorum levaren-
tur, ex prima ecclesia repetere non veretur. Inde de libris 390-408.
pœnitentialibus sermonem facit, qui consignari cœpti tum, cum
munus pœnitentiariorum in humeros monachorum est devo-
lutum. Primum exaravit *Joannes*, *Jejunator* dictus, Secu-
lo VI, qui tamen se nimium lenem præbuit; qualem librum
etiam consarcinavit *Theodorus*. Per illos fere omnem disci-
plinam ecclesiasticam pessum ivisse, Autor queritur, ut tantum
remanserit exclusio a sacra cœna, & confessio auricularis.
Ab illo tempore invaluerunt abstinentia a certis cibis, jeju- 408-4
nia, quæ vero post in certorum Psalmorum recitationem,
vel alia devotionis exercitia, fuerunt conversa. Sed enim, qui-
bus & hæc minus arridebant, pecuniam certam solvebant,
impendendam vel redemtioni captivorum, vel altari, & Cleri-
cis, vel pauperibus. Abusus irrepsisse, non diffitetur, qua ra-
tione, quod rectum suberat, defendi posse, ostendit. Fœdi- 422-437.
tatem sic dictæ simoniæ, quæ omnis ordinis homines invaserit,
eosque, qui pecunias, in absolutionem, pro pauperibus, ac in
alios usus, datas, sibi vindicant, atro notat carbone: con-
tra quem abusum etiam Canones in diversis Conciliis sint facti. 437-471.
Illo item tempore obtinuerunt peregrinationes versus urbem
Romam, quo absolutionem a supremo pœnitentiæ judice obti-
nerent; quod institutum confestim sequebantur abusus: teme-
re enim sibi persuadebant homines, si urbem vidissent, a peccatis
suis se immunes esse. Adversus abusus istos leges in Conciliis
sunt perlatæ, sed tolli non potuerunt. Inter monachos vel pro 471-475.
propriis, vel alienis, peccatis *flagellatio* est introducta, de qua

aliqua ex *Boilavio* adducuntur. Verbum ὑπωπιάζω 1 *Cor. IX*, 27, non notat *flagellationem* ex mente *Gretseri*, sed *afflictionem* corporis per jejunia. Apud Patres altum de ea est silentium, post species aliqua pœnitentiæ ecclesiasticæ est facta, quæ ad monachos transiit. Seculo VIII prostat exemplum
Pag. *Pardulphi*, Benedictini. In moralitatem illius inquiritur.
475-497. Spontanea flagellatio vel maxime Seculo XI vigere cœpit, ac illa etiam progressa est ad homines non ecclesiasticos, qui vel se ipsi flagellarunt, vel quibus a sacerdotibus pœna hæc est injuncta, quæ, quoniam durior videbatur, ab ecclesia est abrogata. Verum Seculo XIII flagellatio spontanea primordia duxit, quæ in Italia propter bella, aliasque calamitates, quo ira Dei averteretur, omnis ordinis ac sexus homines invasit, quam eo tantum nomine improbat Rev. Autor, quoniam eam sine consensu Pontificis susceperint, quare etiam *Alexander IV* eandem condemnarit. Recruduit, cum
497-515. A. 1340 sævissima pestis Europam affligeret; quoniam autem a superstitione ad hæresin declinabant, *Clemens VI* A. 1349 his hominibus interdixit sacris, quorum cum aliqui adhuc in Thuringia & alibi locorum deprehenderentur, *Gregorius* IX A. 1372 illos de novo condemnavit. Tandem sub finem Seculi XV tota hæc secta evanuit. Quoniam autem flagellationes ad desideria carnis supprimenda, vel exstinguenda, facere videbantur, *Henricus III*, Rex Galliæ, a Pontifice A. 1583 impetravit, ut certis temporibus flagellantium processiones fierent, quem morem aliæ regiones sunt secutæ, ac inde adhuc superesse processiones, quæ die Veneris ante Pascha instituantur, docet
515-528. Autor. Quæ dixerat, per brevem ἀνακεφαλαίωσιν repetit, abusus non reticens, qui tamen ob intentionem ecclesiæ, & ut graviora mala evitarentur, splendori ejusdem non officiant.
528-537. *Sectione III*, justificatione facta, ex sententia ecclesiæ Romanæ pœnas temporales remanere, tradit, per pœnitentiam expiandas, quæ expiatio procurabatur per peregrinationes in urbem Romanam, vel alios locos. Occasionem præbuerunt Saraceni, qui, ubi variis provinciis imperii orientalis essent potiti, in ipsam Italiam impressionem fecerunt, ac terris Pontificiis terre-

terrorem incusserunt: ubi quædam de ortu Mohammedanismi, & interitu imperii orientalis in Occidente, immiscentur. Quæ res *Joannem VIII* coegit, ut A. 880 non solum auxilium *Caroli Crassi* imploraret, verum etiam illis, qui in hoc bello perirent, plenariam indulgentiam & liberationem ex igne purgatorio indulgeret. Indulgentiæ dispensantur a Pontifice, Pag. 538-553. quam potestatem sibi post arrogarunt Episcopi. Hæ dividuntur in *imperfectas*, *perfectas*, *perfectiores*, & *perfectissimas*, quam distinctionem jam Seculo XI obtinuisse, ait Autor. In lo- 553-562. cum peregrinationum in terram sanctam successerunt peregrinationes versus certa templa, & preces in illis, ac Psalmorum decantationes. In indulgentiis censet *essentiale* ab accidentali distinguendum esse, quorum illud in sincera animi ad Deum conversione consistat, hoc autem pro ratione ecclesiæ variare possit, adeo ut graviores gradus in leviores converti possint, quod pluribus deinde declarat. De indulgentiæ efficacia pronuntiat, illam pendere a conditionum impletione, de qua cum pauci sint certi, paucis quoque persuasum esse posse, num illius participes sint facti. Quid illa præ- 563-584. stet in statu naturæ & gratiæ, evolvit. Inde explicat doctrinam de *merito ex congruo*, & *condigno*, item quid sit *opus operantis* & *opus operatum*, atque illam sese protendere ad peccata, quæ Pontificiis dicuntur *venialia*. Thesaurus ecclesiæ est meritum Christi & Sanctorum; in indulgentia locum habet applicatio partis alicujus hujus thesauri, quæ quomodo ad alium transferri possit, restrictionibus adhibitis, indicatur. Mortuis dispensat ecclesia indulgentiam non per mo- 584-611. dum *absolutionis*, sed *suffragii*; quæ autem mortuis, in purgatorio existentibus, applicantur, sunt vel *immediatæ*, vel *directæ*, & *applicabiles*. Indulgentias pro mortuis primus dedit *Joannes VIII* A. 878, quæ protendebant etiam sese ad illos, qui in statu naturæ decesserant; speciatim illos, qui templa & monasteria exstruebant. Et, quoniam *Gregorius VII* plenarias indulgentias illis pollicebatur, qui ad structuram templi cujusdam Romani aliquid collaturi essent, hujus vitam describit, cui multas tribuit virtutes. Hic, cum Sara- 611-629. ceni

ceni & Turcæ provincias orbis Christiani infestarent, Principes Europæ contra illos sollicitavit, quod, quoniam, morte præventus, perficere non potuit, *Urbanus II* continuavit, maxime ubi *Petrus Eremita* rem hanc strenue ursit. His am-
Pag. plissimæ promittebantur indulgentiæ, innumerabilis colligeba-
629-640. tur exercitus, sed effectus non æque fortunatus fuit. Hujus generis post concessæ sunt cruce signatis, qui adversus Valdenses, Græcos, Wiclefitas, & Hussitas, belligeraturi essent; porro illis, qui terras Pontificias contra hostes defenderent,
640-647. nec minus Regibus Hispaniæ adversus Saracenos. Ad publicationem indulgentiarum constituti sunt *pracones*, *quastores*, item sic dicti *prædicatores quæstuarii*, qui cum commodis suis velificarentur, ac inde multi murmurare inciperent, in
649-651. Concilio Lateranensi A. 1215 offendiculis istis obviam est itum. Agit hinc Autor de *indulgentiis, a portiuncula* nuncupatis, item indulgentiis *stationum*, & quæ templo Vaticano sunt concessæ. Episcopis quidem jus hoc fuit datum, ut indulgentias dispensarent, gravioribus causis Pontifici reservatis; cum autem modum excederent, præceptum est, ne ultra annum illas extenderent, & quidem ubi templum aliquod initiare-
651-661. tur, & 40 dies in memoriis initiationis. Disseritur deinde de peregrinationibus versus Compostellam, Romam, Hierosolymam, de indulgentiis, quæ datæ sunt altaribus, speciatim 7 templis primum Romæ, inde aliis in locis. Pergit ad altaria privilegiata, in quibus sacrificium missaticum ad immediatam remissionem peccatorum hominum demortuorum peragebatur, quorum tamen vis post a *Paulo V* A. 1605 est
661-668. restricta. In diebus etiam festis Sanctorum indulgentiæ sunt dispertitæ; cum autem etiam hic abusus aliqui irreperent, modus ipsis est statutus. Precum recitationi, Credo, Pater noster, Ave Maria, & rosario, rebus etiam consecratis, v. c. clavibus, fragmentis catenarum *Petri*, indulgentiæ sunt datæ, numis item, figura S. *Mariæ* notatis, aliis quoque rebus, quæ ad spiritualem hominis perfectionem aliquid conferre judicabantur. Quoniam autem etiam his multi se abusus im-
669-699. miscebant, obex illis est positus. Præter reales indulgentias

tias erant etiam *perſonales*, & hæ vel *univerſales*, vel *particulares*. Hujus generis erant indulgentiæ Principum, qui de eccleſia bene meriti erant, verbi divini miniſtrorum, judicum, juſtitiam recte adminiſtrantium, quibus adduntur indulgentiæ jejunii & eleemoſynariæ, quæque illis ſunt datæ, qui ſua virtute ac pietate alios excitant. Animadverterat, in Pag.
ſcriptis anti-jubilæis lupanaria, Romæ publice tolerata, notari. 699-705.
Dolet quidem, talia proſtare, ſimul tamen obſervat, multos Pontificum illa evertere ſtuduiſſe, ſed ob majora incommoda, inde oritura, fine ſuo excidiſſe. Certis monachorum or- 705-709.
dinibus indulgentiæ ſunt conceſſæ, quæ ubi ad alios extendebantur, *communicatio indulgentiarum* dicebatur. Pontifex pro poteſtate ſua indulgentias dilargitur, quæ quoniam vel ſcripto, vel ore, tribuuntur, priores *bullatæ*, poſteriores *vivæ vocis oracula*, dicuntur; quæ vero ob lites, inde ortas, a *Sixto IV* A. 1478 omnes ſunt revocatæ: quod decretum a ſequentibus Pontificibus ex parte confirmatum, ex parte mitigatum eſt. Etiam quibusdam *Congregationibus* & *Confraternita-* 709-722.
tibus indulgentiæ ſunt additæ, quibus poſt *Clemens VIII* ob abuſus medelam attulit. Indulgentiæ, morituris conferendæ, cum tempore tam late ſunt extenſæ, ut non facile aliquis Pontificiorum inveniri poſſet, cui, ultimum ſpiritum ducenti, applicare non licuerit. Per multitudinem indulgentiarum diſciplinam eccleſiaſticam proſtratam fere, ac peccandi licen- 722-730.
tiam fuiſſe introductam, Autor ingenue fatetur; quare in gravioribus caſibus hoc ſibi reſervarunt Pontifices, ut peccantes Romam contenderent, ac ſententiam Præſulis Romani exſpectarent; cujus rei memorabile exemplum in *Welphone*, Duce Sueviæ, notat. Ob reſervationes illas *taxa Cancellariæ pænitentiariæ* Romæ eſt conſtituta, cujus moderatores cavere debebant, ne pecuniæ male collocarentur. Per indul- 730-745.
gentias ex eccleſiæ Romanæ ſententia veniam peccatorum aliquis impetrat, adeoque plus accipit, quam dat: lepide igitur infert Autor, dici minus poſſe, illas pro pecunia emi. Tandem venit ad annos jubilæos, quibus pleniores indul- 745-747.
gentiæ diſpenſantur, quorum primus actus eſt A. 1300 Ponti-

fice *Bonifacio VIII*, qui publica quasi lege edixit, ut idem intra centesimum quemque annum renovaretur, quem vero *Clemens VI* ad annum quinquagesimum reduxit ad morem anni jubilæi Judaici. *Gregorius XI* annum tertium & trigesimum, in memoriam Christi, tot annos in orbe nostro versantis, sacrum esse voluit, verum, illo, pariterque successore ejus, morte interceptis, *Bonifacius IX* A. 1390 ipsum illum celebravit, a quo tempore etiam in aliis regionibus agi est coe-

Pag. 747 - 787. ptus. *Sixtus IV* primus anno quoque 25 Jubilæum haberi voluit, ac totum illud institutum certis præceptis adstrinxit. *Alexander VI* portam sanctam templi *Petrini* primus ritu solenni aperuit. De collectoribus pecuniarum in post - jubilæo graves passim auditæ sunt querelæ. *Tezelii*, nundinatoris, impudentia, quæ nec ipsis cordatioribus Pontificiis placuit, multis fuit offendiculo, & occasionem sacrorum emenda-

787 - 803. tioni dedit. Anni jubilæi, inde ab A. 1525 ad nuperm usque, A. 1750 habitum, ordine enarrantur. Alii jubilæi

803 - 810. extraordinarii memorantur. Tandem brevis ἀνακεφαλαίωσις, & singularum partium nexus, instituitur. Ex omni-

811 - 814. bus, quæ allata sunt, satis apparet, antiquam disciplinam ecclesiasticam ita cum tempore immutatam & inversam fuisse, ut semper in commodum ecclesiæ Romanæ redundarit, indeque illius opes, autoritas, & potentia, fuerit aucta. Toti Operi Index rerum memorabilium est subjectus. Stilo insunt peculiares quidam idiotismi, ceterum clarus est & perspicuus, nec omni elegantia destitutus. Charta & typi non sunt contemnendi.

LUDOVICI BOLOGNINI, NEC NON FELINI SANDEI, Tractatus de Indulgentiis. Recudendos curavit, atque utplurimum ex ipsis Romanæ ecclesiæ positionibus illustravit, JO. RUDOLPH. ANTON. PIDERIT, in alma Marburgensi SS. Theol. Lic. Phil. D & P. Phil P. O p. t. Ordinis sui Decanus.

Marbur-

Marburgi Cattorum, apud Phil. Casim. Mullerum, 1750, 4.

Alph. 2 plag. 7.

Non sane inutilem, sed multa laudabilem ex parte, operam S. Rev. Editor suscepit, in lucem revocando libellos, in sinu ecclesiæ Romanæ progenitos, atque ex domesticis ejusdem religiosæ societatis legibus nunc profligatos. Textum ipse accurate describendum curavit, atque diligenter cum avthentico contulit, licet, scribendi compendia, quæ *abbreviaturas* dicunt, quibusque scriptio originaria scatebat, negligenda esse, satius duxerit. Præter tamen ea orthographiam ipsam, tunc temporis usitatam, retinuit, ut vetustatis quædam indicia apparerent. Hæc sunt, quæ generatim Autor monuit. Integer titulus prioris Tractatus hic est: *Tractatus solennis & quotidianus de indulgentiis, tam generalibus & plenariis, quam particularibus & simplicibus, per Clarissimum Jurisconsultum, Equitemque dignissimum,* Dominum Ludovicum de Bologninis *de Bononia in almo Bononiæ studio A. D. 1489 feliciter incipit.* Inquirit hic statim Venerabilis *Piderit*, ut in reliqua, ita etiam in hanc denominandi libelli rationem, qua Tractatus *solennis & quotidianus* audit, ubi exemplis confirmatur, Tractatum talem indicari, qui ex professo de quodam argumento, quotidie certa ratione obvio, agit. Commemoratur deinde, *Ludovicum* hunc celeberrimum fuisse Jureconsultum, cum acutissimo *Alciato* ordinando Juri inprimis deditum. Floruit Seculo decimo quinto, &, stabiliendæ autoritatis Pontificiæ causa, plurima scripta edidit. *Studium Bononiæ* indicat Academiam Bononiensem, cujus rei peculiaris affertur ratio. Deinde mentionem facit Clarissimus Editor dedicationis & summarii Tractatus *Ludoviciani*. Ponitur hic primo definitio indulgentiæ, quæ in remissione pœnæ temporalis, quæ pro peccatis debetur, concessa a Papa, vel ab alio, potestatem habente, consistit. Mentem Romanæ ecclesiæ ut explicet Noster, ostendit hic clare atque dilucide, quare indulgentias

Pag. 1. 2. 9. 23. 26.

 remissio-

remiſſionem pœnæ temporalis Pontificii nominent, quamque diſtinctionem peccatorum, inter illos uſitatam, hic ap-
Pag. 45. plicent. In doctrina Pontificia de ſufficientia meriti Chriſti, idem docet, Romanam eccleſiam affirmare, quod Chriſti meritum in ſe habeat ſufficientiam ad tollenda quæcunque peccata, & conſequenter ſufficientiam *extenſivam*, non
56. autem *applicatam*. Ergo hoc meritum Chriſti in plenaria indifferentia ponunt, & hinc futilem indulgentiarum doctrinam adſtruere laborant, ubi ſcilicet ſemper adſunt peccata in homine baptizato, venialia ſcilicet, ex mente Pontificia, pro quibus ipſe peccator ſatisfacere debet. Sed hoc loco fictiones Romanæ eccleſiæ minime ſibi conſtant, baptiſmatis etiam efficacia tanta prædicatur, ut homo per illud, quatenus in eo ſtatu eſt, & manet, ſtatim ipſis cœlitibus aſſociari
57. poſſit. Eſt autem maxime improbanda ſententia hæc Pontificia, ubi Pontifex Romanus, niſu antiſcripturario, redemtorem verum e throno dejicere, & ſatisfactoris locum occupare, conatur. Ampliſſime perſequitur No-
133. ſter doctrinam de contritione, ut dicunt, evangelica & legali, ubi Autoris cujusdam Anonymi librum fere rariſſimum excerpit, & denique finem dictorum hunc
143. facit, quod Evangelii Domini noſtri Jeſu Chriſti dogmatibus id plane contrarietur, quando agnitionem peccati ex lege, per *Moſen* promulgata, tanquam viam ſaltem pædagogicam, nos ad Chriſtum vel ducentem, vel, ut ducamur, diſcupere facientem, prædicare velimus. Hoc enim ſi concederetur, nullum, præter alia rerum argumenta, agnoſcendi ſtatus gratiæ eſſet principium, eidem genuinum & domeſticum. Eſt vero, quod pace S. Rev. *Pideritii* monemus, omnino agnitio peccatorum ex lege peccatoris ſalvandi, & quidem ſalutaris, per Spiritus ſancti gratiam, ſecundum ordinem divinum, directa atque affecta: ubi vero Spiritus ſancti gratia negligitur, pœnitentia legalis eſt naturalis, &
162. non ſalutaris. Illa ad Chriſtum ducit; hæc vero minus. Alia itaque pœnitentis peccatoris eſt ratio ſecundum gratiam, alia vero ſecundum naturam, conſiderati. Sed mittamus

hæc,

Hæc, ad præſentem libellum non omnino pertinentia. Referenda huc potius ſunt, quæ Editor noſter Romanæ eccleſiæ circa contritionem objecit, ubi contritio Pag. 167.
vera ſine gratia concipitur, quod, niſi gratia ſine fide ſumatur, non intelligi poteſt. Hæc vero ſunt repugnantia. Hujusmodi doctrinæ in reliquis contritionis partibus apud 168.
Pontificios non raro ſunt obviæ. Paulo poſt e re nata canones pœnitentiales deſcribuntur, a Presbytero tenendi, ut, 174.
facta peccatoris confeſſione cordis atque carnis, ſatisfactionis præſtandæ inde regula & ſumma conficiatur. His enarratis, 187.
circumſtantiæ & cautelæ, circa hos canones obſervandæ a Pontificiis, recenſentur, & denique confirmatur, quod ea 217.
ſub ratione & forma, qua confeſſio auricularis in Romana eccleſia docetur, ſit merum hominum, nullum ad id mandatum habentium, inſtitutum & figmentum, ita quidem, ut ex principiis & doctrinis, ab Autore prolatis, tuto colligere liceat, nullo modo fieri potuiſſe, ut Chriſtus hancce confeſſionem mandaverit. His peractis, reliqua etiam momenta 225.
auricularis confeſſionis Pontificiæ dijudicantur. Lectu etiam digniſſima ſunt verba, quæ ſequuntur, de vicario Chriſti, ubi 226.
Autor, præter alia, ſcribit, a perſona legati, qui eſt vicarius Principis, plane abhorrere, mandatis mittentis domini contraire. Quodſi etiam pro certo ſtatuatur, Principem ipſum, ſeu caput, tanta, quanta eſſe poteſt, præditum eſſe potentia, eundem eſſe omniſcium, ſtatum eccleſiæ ſuæ melius, quam alium quempiam, ſcire, uniuscujusque animum perſpectum, imo in manibus, ut regere eum poſſit, habere; quem, ſi 227.
mittere velit, vicarium ablegabit, atque conſtituet? Nec Pontificii, ſi legerent Scripturam, tale quid hominibus obtruderent; ſiquidem ex tabularum ſanctiorum lectione convicti eſſe poſſunt, quod vicaria Pontificis adminiſtratio eccleſiæ apertis Scripturæ teſtimoniis contradiceret, ita, ut ſecure colligi poſſet, Pontificem, Pontificatui ſuo inhærentem, non vicarium Chriſti, ſed hoſtem ipſius, eſſe. Quid enim invenies in Pontifice, qua tali? Avaritiam, & ſuperbiam, omnium malorum radices. Hinc fere nullus illorum 245.
ipſis Romanis probatus eſt, quod ex *Platina* conſtat. Lectu

 dein-

deinde jucunda sunt, quæ Autor de convenientia moris ecclesiæ Romanæ cum depravato Judaismo, & quidem non generatim, sed speciatim etiam, ex sen-
Pag. 246. tentia quadam judiciali, a doctore Judaico, in causa præma-
248. turi concubitus, collata, scribit. Non ovum ovo est similius, quam hæc Romanorum pœnitentium, & Judæorum, praxis inter se conveniat. In quantum deinde tota, de confessione, & eam subsequente absolutione, atque satisfactione, Pontificiorum doctrina veritatibus divinis, & inprimis parabolæ, de operariis in vineam missis, sit contraria, pulchre atque accurate Noster exponit. Omittimus reliqua, atque ad alterum convertimur Tractatum, cujus hæc est inscriptio:
297. *Tractatus compendiosus de Indulgentia plenaria per modum prædicationis, per præstantissimum doctorem D.* Felinum Sandeum *editus, incipit. Felinus Sandeus*, seu, ut alii scribunt, *Felinus Maria Sandeus*, Lucensis Episcopus, & Rotæ Romanæ auditor solennis, fuit, cujus scripta nostris temporibus, ut *Cotta* scribit, post Abbatem Siculum, multum frequentantur. Eandem industriam, doctrinam, atque utilitatem dictorum, Lectores hic invenient, quam in priori libro. Dedicatio, e præmissa, lectu est dignissima, ad Pontificem Romanum nunc regnantem, *Benedictum XIV*, directa, in qua animose eum Autor alloquitur, ut indulgentiarum nundinationem destruere laboret, præsentem opellam instar doni leviusculi accipiat, & rem Domini sui eadem sinceritate gerat, qua Autor eam gessit. Hoc etiam nos in votis nostris ardentissimis habemus, curiæ Romanæ, ejusque societati integræ religiosæ, meliorem & incorruptiorem suarum rerum statum, voluntatem nempe divinæ magis conformem, animo non odii, sed amoris, pleno comprecantes.

INSTITUTIONES ANALYTICÆ, EARUMque usus in Geometria, cum Appendice de constructione Problematum solidorum, Autore PAULINO A. S. JOSEPHO, Lucensi, Cler. Reg. Scholar. Piar. & in Archigymn. Romano Eloqu. Professore. Editio altera.

Romæ, 1745, 4.

Alph. 2, Tabb. æn. 4.

Quan-

Quamvis Institutionum Algebraicarum copia jam fere laboremus, ipsique Autori non incognitum fuerit, *Vietam*, *Cartesium*, *Wallisium*, *Wolffium*, aliosque complures recentiores, fundamenta egregiæ hujus artis solide & perspicue tradidisse; tamen Clariss. Autor, cum, illorum, quos diximus, egregia scripta, partim ob exemplarium paucitatem & justo majus pretium, partim ob multam ea percipiendi difficultatem, paucorum in manibus versari, eaque maximam partem viris potius in calculi scientia exercitatis, quam tironibus, faciliora & pauciora petentibus, conscripta esse, animadverteret, his saltem librum hunc non inutilem fore arbitratus, eum non olim tantum publici juris fecit, verum etiam, vendita editione priori, suasu typographi, alteram hancce, politius limatam, & correctam, in lucem edidit, conatu eo magis laudando, quo uberiores fructus ex institutione tironum in hac incomparabili scientia in rempublicam literariam redundare certum est, & quo minus negari potest, haud deesse compilatores ejusmodi Compendiorum, qui obscuritatem quandam affectare, tironibusque hæcce præcepta, per se satis ardua, difficiliora reddere, soleant, illa vero, quæ perspicuitate sese commendant, in omnium manibus versari non posse, præsertim cum pleraque sermone peregrino, tironibus Italis vel plane non, vel non satis, cognito, conscripta, ideoque iis instituendis minus accommodata, sint. Ceterum hæ Institutiones doctrinas fundamentales Algebræ, naturali ordine dispositas, comprehendunt, & magnam ubique perspicuitatem præ se ferunt, regulæque exemplis jucundis pariter ac utilibus illustrantur. Et, quamvis præter parabolam ceteras quoque sectiones conicas explicare, calculique differentialis & integralis rudimenta addere, Autori non placuerit, tamen, has Institutiones etiam in Gymnasiis nostris commode adhiberi posse, haud dubitamus, inprimis cum sermone etiam tam casto scriptæ sint, ut vel hoc nomine commendari omnibus, elegantiæ etiam in rebus tam subtilibus studiosis debeant. Bene enim agnoscimus hic *Paulinum* illum, cujus politissimæ *Orationes*, duobus Voluminibus Romæ primum, deinde in urbe nostra, editæ, magni Oratoris dudum ei nomen pepererunt.

PHYSICA EX RECENTIORUM OBSERVAtionibus, accommodata usibus Academicis a JOSEPHO KHELL, Soc. Jesu Sacerdote.

Tomi II.

Vindobonæ, ex officina Trattneriana, 1752 & 1753, 4.

Tom. I Alph. 2 plag. 19, Tabb. æn. 14, Tom. II Alph. 2 plag. 8, Tabb. æn. 15.

Præfixa Operi toti legitur dedicatio *Antonii* L. B. *Sandor de Slavnicza*, qui, Præside *Khellio*, in Regio Thereſiano Philoſophiam univerſam propugnavit. In hac dedicatione, quanti cum Auguſtiſſimo ſuo Conjuge faciat Phyſices ſtudium Imperatrix Regina, recenſetur. Neque enim tantum civitate velut donata eſt, & ipſa in aula regiis ſumtibus comparata rerum naturalium inſignis collectio, ſed miſſi etiam in neglectos huc usque Auſtriacarum provinciarum angulos naturæ ſcrutatores, ipſe vero Imperator manus, ſceptro natas, machinis phyſicis adhibere, minima quæque luſtrare, ſermones cum viris in hac ſcientia verſatis, in horas productos, miſcere, ſolet, tam parum infra majeſtatem ſuam hos eſſe arbitratus, ut vel in deliciis habeat.

De libro ipſo generatim dici poteſt, illum rerum copia & utilitate, ordine, perſpicuitate, ſoliditate, inter tot Syſtemata phyſica, quæ tanta jam multitudine eduntur, ſe commendare. *Primus Tomus* generalem Phyſicam continet, *alter* ſpecialem. Diſputationem & articulorum indicem non deſcribemus, ſed paſſim quædam excerpemus, unde ſententiæ Auctoris, & varietas doctrinæ, cognoſci poſſint. Ab eſſentia corporis orditur, quam in impenetrabilitate ponit, ceterum plura attributa corporum, cauſasque illorum, nos ignorare, lubens fatetur. Deinde ad Syſtemata metaphyſica *Pythagoræ, Platonis, Leibnitii*, progreditur, quorum duo priora ob obſcuritatem refutatione indigna judicat, ultimo plura objicit, inter quæ hoc eſt contra electionem optimi: Num egens *Leibnitianus* oblatos ſibi duos numos aureos, ambos in gratiam

ſectæ

fectæ fuæ relicturus fit. Ex quo fpecimine fatis patet, quomodo contra *Leibnitium* Autor difputet, cum quo ipfi fine dubio, ut perfpicacibus viris omnibus convenit, conveniret, fi accuratius penfitare *Leibnitii* afferta, & propofitiones, formula forte, qua enuntiantur, ipfi infueta, maxime offendentes, examinare curatius, ei placuiffet. *Newtoni* vim attractricem explicat, fed calculum ei nullo modo addit. Ita palmaria fyftemata Philofophorum, quæ huc usque novimus, examinat, fuam vero fententiam propofiturus, nomine materiæ in fenfu phyfico primæ, afferit, optime intelligi minima P. *Fabri*, & de illis fufe difputat, non omiffis Stagiritæ, quæ eo pertinent, locis. Deinde generales affectiones corporum pertractans, plurima curiofa experimenta immifcet, ut microfcopia, dum de figuris & exilitate corpufculorum agit. Vitri poros oftendens, experimentum P. *Franz*, Soc. Jefu, affert. Is, infcriptas creta armorica, feu lapide Saponis, *Tuffftein*, mundiffimo fpeculo literas, cum delere juffiffet, ut ne veftigium adeffet, rediverunt tamen iterum, & poft menfes redeunt, ubi halitum immittis, nempe pinguiores cretæ particulæ, foffulas fpeculi implentes, non finunt, ut aquei vapores ex ore adflati adhæreant. *Boylii* experimenta de ignis ponderabilitate pro veris fumit. Antiquos, aeri gravitatem denegantes, carpit, tum quod ad tacitam naturæ vocem non attenderint, tum quod ipfum magiftrum *Ariftotelem* non audiverint, qui, utres inflatos graviores effe vacuis, *Lib. IV de Cœlo Cap.* 4 afferat.

Jam & ex *fecundo Tomo* quædam producamus. Hujus initium fit ab Aftronomia. De mundi fyftemate hæc habet: *velle fe, problema effe, ftetne fol, an moveatur terra, ita tamen ut alteram partem per modum hypothefeos faltem tractet; fi quæratur, in quam partem magis ipfe pendeat, fatetur, præfcindendo a probibitione, fe a fimplicitate Copernicani Syftematis, & quæ funt alia pro hoc argumenta, multum allici.* Ad ftructuram corporis humani, ejusque adeo phyfiologiam, pertinentia palmaria proponit. De reliquorum etiam animalium mirandis tractat, etfi

ob argumenti vastitatem in naturæ historiam non excurrat. De anima brutorum systema nullum sibi satisfacere, ait. Dæmones esse has animas, brutorum corporibus intrusas, asseruerat P. *Bougean* in libro: *Amusement philosophique sur le langage des betes*; quam sententiam ab impietatis saltem nota liberam vult Noster, ceterum juridice impossibilem pronuntiat ob retractationem Autoris. De insectis, testaceis, &c. obiter agit, neque plantarum obliviscitur. Sicque Physices systema condit, unde possint, qui illo doctore usuri sunt, naturæ cognitionem, ut recentissimorum annorum inventis exculta est, magno cum fructu addiscere. Libris usus est optimis, &, nullis facile caruisse se, ostendit, etiam nostris.

INSTITUTIONUM PHYSICÆ PARS PRIMA, SEU Physica generalis, conscripta in usum suorum D. D. Auditorum, a CAROLO SCHERFFER, e Soc. Jesu, Phil. P. P. O. & Examin. in Universitate Viennensi.

Viennæ, typis Jo. Thomæ Trattner, Cæs. Reg. Maj. Aulæ Bibliopolæ, & Univers. typographi, 1752, 8.

Alph. 1 plag. 8, Tabb. æn. 9.

Eodem ergo fere tempore duæ Institutiones Physicæ Viennæ prodeunt, ut non possit non hoc studium ibi florere. Et hoc Opus meritis pollet egregiis, cui edendo occasionem præbuit Augustæ mandatum, ne dictarent amplius Philosophi, sed ut formis expressos libros adhiberent. Igitur, quæ ante dictarat, jam typis Noster commisit. Præcipue vero in geometrica profundius penetrat; nam Mathesin etiam, antequam moderatorum imperio Philosophiæ admoveretur, explicavit, parum tum, ut ait, de Philosophorum tricis sollicitus. Præmissis igitur quibusdam, Exercitatione *prima* de corpore, loco, & tempore, agit, *secunda* de motu, *tertia* de gravitate & attractione, *quarta* de aliis quibusdam qualitatibus corporum. *Secunda* Exercitationis *Pars prior* tota mathematica est.

est. Collisionis leges, aliaque, cum demonstrationibus exponit; mensuræ virium *Cartesianæ* favet, gravitatis phænomena, cognitarum hypothesium nulla, explicari posse, contendit, attractionem, quatenus phænomenon notat, admittit, calculoque subjicit, in his vero ita versatur, ut plerumque satisfacturus sit Mathematico, Physicæque studiosos, si a Geometria instructi sint, meditandique laborem, sine quo proffici nihil potest, ferant, ad veram solidamque naturæ cognitionem ducturus.

ACTA SOCIETATIS LATINÆ JENENSIS, edita ab ejus Directore, JO. ERNESTO IMMAN. WALCHIO, Philos. Doct. & Prof. Publ.

Volumen I.

Jenæ, apud viduam Crœkerianam, 1752, 8.
Plag. 18.

Quantis cum literarum incrementis conjunctum sit, si studiorum laborisque sui societatem viri excellentis ingenii doctrinæque ineant, dici satis vix potest. Quamobrem, neminem, putamus, rerum hujus superiorisque ævi tam ignarum esse, qui, talibus præsidiis Italos, Gallos, Britannos, Lusitanos, Danos, Sueones, & Moschos, literis suum decus vel conservare, vel restituere, vel augere & amplificare, studuisse, ignoret. Neque vero, cum dignitate imperii principem locum obtineat nostra Germania inter Europæ regna, inde a tempore satis longo ceteris nationibus hac in parte quidquam concessit. Longum foret, majorum instituta eam in rem persequi, neque, nunc quidem, necessarium; præsertim cum satis ab eruditis hominibus ostensum sit, tanto facilius nostros potuisse ea in re palmam exteris præripere, quanto citius, quam reliquis, in mentem iis venerit, literatas sodalitates aperire; dumne, ut aliis fere in rebus, præmia & honos, acerrimi ingeniorum stimuli, defuissent. Neque tamen nihil est, quod ea in re præstiterint

riut Germani. Ut enim omittamus ſplendidiſſimas illas Societates, quæ excolendas perficiendasque artium diſciplinas ſibi ſumſerint, plures compluribus in regionibus urbibusque adhuc exſtiterunt, quarum induſtria lausque in excolendo ſermone vel patrio, vel Romano, maxime fuit illuſtris. Illius enim dignitati caſtitatique ut conſulerent, vel ipſa ejus ratio, vel aliarum gentium ſtudia, noſtros facile monebant; hujus autem decus ut conſervandum ſibi putarent, plura erant, quæ ſuaderent, in quorum commemoratione multi jam eſſe nolumus. Maxime vero in conſervando Latinæ linguæ flore elaborat, ſumma ſui gloria, Societas Jenenſis Latina, cujus acta hic lectoribus noſtris commendamus. Tria ſunt, quæ iis continentur: *Hiſtoria Societatis*, a *Chriſtiano Wilh. Franc. Walchio*, Societ. Ephoro & Prof. P. conſcripta; *XII Diſſertationes*, a Collegis conſcriptæ, & *tria Elogia* defunctorum Collegarum. Autor ineundæ ſocietatis fuit *Georg. Ludov. Herzogius*, ex Friſia orientali, in cujus ædibus, ſingulis Saturni diebus, homines politi elegantisque ingenii conveniebant, &, quæ domi, oratione vel proſa, vel ligata, elucubrati erant, recitabant, de quibus modeſtum ferretur a Societate judicium. Qui cum leges * ſibi poſtea ſcriberent, facile his autoritatem adhibuit Senatus Academicus, cujus tum princeps erat *Frid. Andr. Hallbauerus*, Eloquentiæ & Poeſios Profeſſor ordinarius. Quo facto, A. 1734 rite dedicata eſt Societas, ejusque præſidium ad Illuſtriſſimum Comitem *Henricum IX* Ruthenum delatum; *directorium* autem *Jo. Henrico Kromayero* mandatum. A quo tempore frequentes ſtato die convenerunt Socii, &, quas diligentius conſignaverant literis, Commentationes publice prælegerunt. Tum A. 1737 d. 27 Januar. novæ leges latæ ſunt. Maxime vero glorioſum fuit Societati, cum Sereniſſimus juventutis Princeps *Fridericus*, Gothanarum Altenburgenſiumque terrarum hæres, Pro-Rectoris munus imponi ſibi, haud invitus pateretur: quam rem non ſolum Jenæ feſtis cerimoniis proſecuta eſt, ſed

* Quas vide, ſis, *Tomo I Exercitationum Soc. Latinæ*, olim editarum.

ſed pietatis hujus ſuæ erga novum Pro-Rectorem internuntios, *Eckhardum*, *Walchiumque*, V. V. C. C. Gotham quoque ablegavit. Præſidium vero, poſt *Henricum IX*, *Wolfg. Richard. Honorius* Comes *ab Auersberg*, *Aug. Guil.* Comes *ab Hohenloh & Gleichen*, ac denique *Henricus XXVI* Comes Ruthenus, in ſe ſuſceperunt; *Directores* autem, poſt *Kromayerum*, habuit Societas *Hallbauerum*, *Eckhardum*, & *Walchium*, qui poſtremus hodie doctrina meritisque ſuis illuſtrare illam maxime ſtudet. Ephori dati ſunt eidem, poſt *Herzogium*, *Eckhardus*, deinde vero *Walchii*, fratres. Ab epiſtolis ejus, poſt multos alios, viros clariſſimos, hodie eſt *Frid. Aug. Tœpferus*, A. M. elegantis Vir ingenii. Sociorum alii ſunt *honorarii*, alii *ordinarii*; illi fere Viri ſunt nominis clariſſimi, ac munerum dignitate ampliſſimi, non per Germaniam modo, ſed Italiam quoque & Belgium: quorum index, ſatis longus, Hiſtoriæ Societatis ſubjicitur; hi autem juvenes politiſſimi, qui ſtudiorum cauſa Jenæ commorantur. Sed hæc de Hiſtoria Societatis dixiſſe ſufficiat; veniendum nunc ad Commentationes Collegarum, quæ ordine hæ ſunt: 1) *Jo. Matth. Geſneri de nomenclatura Latina, ad linguas hodiernas accommodanda, diſquiſitio.* Hortatur Autor, ut, cum ipſi ſubrepſerit ætas, quæ ſpem vetet inchoare longam, juniores, qui poſſint, vel orbem pictum præſtent, qualem hic delineat, vel certe operam dent, ne bono nomenclatore, in quo, quicquid vel natura, vel ars, habet ita comparatum, ut non, niſi ſenſus unius, aut plurium, ope diſtincte cognoſci, patrio autem, & cum ipſo ſenſu hauſto, nomine ſignari facile queat, diu careat adoleſcentia; cujus conficiendi & præſidia & difficultates docte, ut ſolet, exponit, ac, dum ita operis formam ſcite, quo eſt ingenio doctrinaque, deſignat, neminem, arbitramur, fore, quin optet nobiſcum, ut tantus Apelles Venerem ſuam ipſe perficiat. 2) *Jo. Rud. Kieslingii, S. Th. D. & P. P. in Acad. Lipſ. de peregrinarum linguarum in re literaria uſu, cultura linguæ Latinæ maxime noxio.* Vocat Ven. Autor peregrinas linguas, quæ cum

Latinæ indole, ſtructura, flumine orationis ac pulchritudine, nullam habent cognationem, licet ex illius fonte manarint: quarum deinceps & uſum & damnum, quod Latinæ afferant, oſtendit, ac denique curam eorum, qui Scholis illuſtribus præſint, doctorum Academicorum vigilantiam, ne quis cruda ſtudia in forum ipſorum propellat, ac ſtudium eorum, qui ad clavum ſedeant, arcendi Latinæ linguæ ignaros ab honoribus muneribusque Academicis, velut tot præſidia decoris ejusdem ſervandi, laudat. 3) *Jo. Gottfr. Hauptmanni, Dir. Illuſtr. Ruth. Gerani, Obſervationes ſelectiores in Baſilii Fabri Theſaurum Latinæ linguæ.* Placuit Cel. Autori mos eruditorum, obſervationes ſingulares in *Fabri* Theſaurum communicandi cum aliis, donec perfectum aliquod, omnibusque numeris abſolutum, Lexicon Latinum prodeat. Quorum ingreſſus veſtigia, docte plurima de multarum vocum & notatione & poteſtate exponit, ut: *aciem* ab *ἀκὶς*, cum variis cognatis ſignificationibus ſuis, ducendam ſibi videri, & *cuſpidem* indicare; particulæ *ad* variam vim a ſignificatione cognata illa pendere, qua eſt *zu, bey, nach, an, gegen; adulterum* dici vel maritum, qui ad alteram ſe conferat, vel vile rei pretioſæ admiſceat; *ævum* duci ab *αἰὼν*, quod ſit *χρόνος ἀεὶ ὢν*; fuiſſe olim nomen, nunc obſoletum, *pos*, ad *ἀναλογίαν τοῦ ſors*, unde *potis*, *poſſum*, *potentia*, *poteſtas*, recte ducantur, ut & *compos*, *impos*, alia. Sed, plura perſequi, & ipſa talium obſervationum ratio prohibet, quas debilites, ſi quid ab iis recidas; & integras anguſtiæ, quibus circumſcripti ſumus, non capiunt. 4) *Jo. Mich. Heuſingeri, Illuſtr. Gymn. Iſen. quondam Direct. Diſſertatio de Scriptoribus Græcis & Romanis, nondum ad veterum exemplarium fidem ſatis emendatis.* Cum novus *Ciceronis* Operum editor Pariſienſis perſuaſum ſibi haberet, nullum usquam in Bibliothecarum angulis latere Codicem MStum, ex quo non jam pridem ab aliis in medium allatum fuerit, quicquid emendando inſtaurandoque Oratorum principi faciat; oſtendendum ſibi contrarium putavit Vir literarum elegantiorum apprime intelligens,

telligens, ne multæ non tantum membranæ, quæ vix aliquando in transcurſu fuerint inſpectæ, abjicerentur, ſed eæ quoque, quæ in tenebris adhuc neglectæ jacuerunt, tineis, blattis, muribusque, depaſcendæ plane relinquerentur. Idque ut perficiat, oſtendit primo ex Officiis *Ciceronis*, cum membranis Gothanis collatis, quarum ætas 300 annos non multum ſuperat, (*Fabric. Bibl. Lat. Vol. II pag. 136*,) multa in iis inveniri, quæ Criticorum effugerint oculos, ut: *Lib. I Cap. III numquid* (non, *numquod*) *officium aliud alio majus ſit*; *Lib. I Cap. XV etiamſi is* (non, *ille bis*) *non eget*; in verſu *Ennii Lib. I Cap. XVI* vocabulum *ſuo*, recte & metricis rationibus accommodate, omiſſum eſt; *Lib. I Cap. XVII interior eſt etiam* (non, *inferius etiam eſt*,) *ejusdem eſſe civitatis*: &, *multa enim ſunt civibus* (non *civitatibus*) *inter ſe communia*; *Lib. I Cap. XIX*: *ex quo ſit*, *ut neque diſceptatione vinci ſe*, *aut ullo publico ac legitimo jure*, *patiantur*, (non, *nec ullo publico a. l. j. p.* connectenda enim ſunt, *ut neque exiſtantque*, ut *Lib. II Offic. Cap. XII*, *Lib. III Cap. XIV*, & *Cato de R.R. Cap. CXXIX*, *Seneca de Ira Cap. VIII*,) *Lib. I Cap. XXVIII natis ſepulcro ipſe ſit parens*. Deinde magnam Criticorum temeritatem & accuſat, & probat; tum, plerosque alienis oculis, ſed parum fidis, uti, commonſtrat; tandem exemplo *Himerii Sophiſtæ*, hujusque λαλιᾶς εἰς βασιλέα, illuſtrat, quam *Ebingerus* ex Auguſtano Codice deſcriptam *Uſſerio* miſit: quem vero cum ipſe *Heuſingerus* oculis ſuis luſtraret, ſingulis prope verſibus alium a vulgata lectione deprehendit; quamobrem eundem denuo cum ea, quam *Fabricius Vol. IX pag. 426 B. G.* repetiit, & contulit, & veram lectionem indicavit. Quo facto, literatiſſimos quosque non adeo lynceos ac plane divinos fuiſſe, ut fugientium etiam & exoleſcentium literarum ductus aſſequi, & quævis librariorum ænigmata ſolvere, potuerint, multis exemplis comprobat. Immo, eos, qui ſuperiore memoria bonos Scriptores ederent, non omnia, quæ reperirent, evulgaſſe, ſed quæ probabilia ducerent, oſtendit. Adhæc, ſingulorum

rum Codicum lectiones ambiguas, aut discrepantes, esse, in iisque annotandis non parem esse omnium curam, multis exemplis evincit. Immo, *glossas* plurimos adhuc libros bonæ notæ obsidere, vel e *Cicerone* ostendit. Nam *Lib. I Offic. Cap. XVI: omnia autem communia hominum videntur ea, quæ sunt generis ejus, quod ab Ennio positum,* pro, *generis ejus*, reperitur etiam *generis ejusdem*, vel *hujus*, ex qua varietate jam suspicari liceat, *ejus* non esse a *Cicerone* adjectum. Nunc Cod. Goth. etiam accedit, qui illud delendum suadet. *Orat. Phil. II Cap. 16: Q. Fusii, honestissimi equitis Romani, suique (sibique* F. Ursini liber) *amicissimi, quem palam heredem semper factitarat, ne nomen quidam perscripsit:* (al. *ne meminit quidem*, quidam *ne nominat quidem*,) *te*, &c. quis non videt, verba: *ne nomen quidam perscripsit*, insititia esse? Sic *infortunitas* apud *Gellium Lib. VI N. A. Cap. I*, ex *Epitome Lactantii Cap. XXXIX*, mutanda est in *importunitas*, ideoque illud vocabulum & e *Longoliana* editione, & e *Gesneriano* Thesauro, ejiciendum erat. Apud *Quintilianum Orat. Institut. Lib. Cap. I, 12, quia Latinum, qui pluribus in usu est, perhibet*, legendum censet, vulgatam lectionem obelo notans. Idque ut fiat probabile, tandem observat, levissimum aliquando prioris librarii errorem innumeros alios, ac multo etiam graviores, peperisse: quamobrem inprimis animadvertendum esse, quid prius, quid deinde, scriptum fuerit: quia illud, si non ipsam Autoris manum reddat, propius tamen ad eam accedat. Exstare vero in Gothano antiquiore *perhibet*, docet, unde in veterem Cod. *Almelovenii* & *Obrechti perhibet* irrepsisse, ac sic deinceps voces mutatas esse, appareat. Sub finem *Longomarsinum*, V. C. quem *Ciceronem* denuo cum priscis exemplaribus conferendi consilium cepisse acceperat, hortatur, ut promissis stet, eique precatur, ut summa ad perficiendum munus facultas ei contingat. Singula, quæ vix delibare potuimus, ita sunt comparata, ut magnum hominis ingenium, incredibilem industriam, limatissimumque judicium, facile prodant, magnumque ideo ejus defuncti desiderium excitent.

5) Jo.

5) *Jo. Salom. Semleri*, Hist. Profess. in Academ. Altorf. Commentatio *ad Irenæi locum de nomine Jesu Ebraico* (ישוע). Est ille *Lib. II advers. hæreses*, in quo explicando primum *Lightfooti, Massueti, Danzii*que, sententias refellit; deinde illam *Drusii* sic amplectitur, ut simul, quæ corrupta sunt, restituantur. Legit itaque: *Jesus autem nomen secundum propriam Ebræorum linguam est duarum & dimidiæ; sicut periti eorum dicunt, significans dominum eum, qui continet cælum & terram: quia* ia Dominus *secundum antiquam Ebraicam linguam; cælum* Samaim; *terra autem* vaarets, *dicitur.* Cujus emendationis ratio tam docta redditur, ut facile lectoribus se approbet. Neque minus erudita est ac probabilis alterius loci explicatio, ex eodem *Libro* & *Capite*, sed paulo longior, quam ut huc transscribi plane possit. Multum, putamus, Viro doctissimo literatus debebit orbis, si porro scriptori, tam male habito, lumen aliquod affundere voluerit. 6) M. *Jo. Frid. Grunzri*, in Gymnas. Coburg. Profess. Publ. *de Honore & Virtute, Diis assessoribus, Commentatio.* Dii, quorum numina essent in una æde, aut duabus, ita junctis, ut una videretur, *assessores contubernalesque* Romanis; Græcis *πάρεδροι, σύνοικοι, σύνναοι, ὁμότοιχοι*, dicebantur: de quibus exstat Commentatio *Georg. d'Arnaud de Diis παρέδροις, seu assessoribus*, Hagæ Com. 1731. Qui cum *Honorem* & *Virtutem* omiserit, probat Autor Clariss., fuisse eos assessores Deos, ex *Symmachi Lib. I Epist. 21, Servio* ad *Virgil. Æn. I, 12*, ac, *Marcellum* iis ædem primum constituisse, ex *Plutarchi* vita *Marcelli Tom. I pag. 314*, & *de Fort. Romana Tom. II pag. 318, Livio XXVII, 25, Valerio Max. Lib. I Cap. 1 n. 8, Lactantio de fals. rel. Lib. I Cap. 8*, filium *Marcelli* autem eam dedicasse, ex *Livii XXIX, 11*, ostendit, horumque fidem *Ciceronis Lib. II de natura Deorum Cap. 23* merito præfert. Aliam præterea ædem *Honori & Virtuti* a *C. Mario* de manubiis Cimbricis & Teutonicis exstructam fuisse, inscriptio quædam apud *Gruterum pag. 336 n. 3* docet; quanquam, *Marium Marcelli* ædem modo instaurasse, *Cellarius*, sed nullo idoneo teste usus, existimet. Præterea tabula marmorea apud *Gruterum*

pag. 29 *n.* 4, 8, lapides, numi, gemmæque, testes sunt satis luculenti, fuisse *Honorem* & *Virtutem* quodam tempore contubernales Romæ. 7) *Ejusdem contemplatio Gemmæ antiquæ e selectis Jacobi de Wilde n.* 127, in qua amans, (*Psychen* esse, putat Doctiss. Autor, & ex alis, quas habet, ostendit,) manibus post terga retortis, a *Cupidine* columnæ alligatur; quam *Cupidinis* victoriam ex *Ovidii Lib. I Amor. Eleg. II vers.* 31 doctissimus *de la Chausse* in *grand Cabinet Romain P. I Fig.* 49, & *Apuleji Lib. IV Metam. pag.* 155 edit. *Elmenhorst.* eleganter illustrat: ac tandem, *Cupidinis* cum *Phyche* conjugium, a *Jove* impetratum, in ea exhiberi, confirmat. 8) *Frid. Heusingeri, Sereniss. Ducis Sax. Goth. Administrat. Ducatus Isenac. ab Epistolis, de numo Gortyniorum disquisitio.* Vulgavit eundem numum *Bergerus Thes. Brandenburg. Tom. I pag.* 400. Exhibetur in eo caput, diademate ornatum, quod *Jovis* esse, contendit Autor, quia Gortynia urbs Cretæ fuit mediterranea. In aversa ejus parte est *Minerva*, serpentem dextra præferens, sinistra tenens hastam: quam *Salutarem* esse *Minervam*, remotis aliis sententiis, eleganter confirmat, atque, ejus sub nomine Solem quondam cultum esse, probat. Gortynios enim in numo eam finxisse putat, quoniam tum in universa Græcia, tum in portu ipsorum, maxima *Æsculapii* viguerit veneratio. 9) *Jo. Ernesti Imman. Walchii*, Profess. Publ. Soc. Direct. *Cicero Herculanensis.* Dedit statua *Ciceronis Herculanea*, quam pictor aliquis Anglus suis de *Herculaneo* literis exhibet, Clariss. Autori occasionem, perquirendi causam, quare *Herculanenses Ciceroni* statuam fecerint. Eamque positam esse, judicat, vel in familiaritate, cum *Herculanensibus*, ob crebrum ejus, ad villas *Campanas*, transitum, contracta, *Lib. VII Epist. ad Div.* 4, & *ad Attic. XII*, 17, 18, 19, & *VII*, 3, vel in admiratione ingenii ejus, qua ducti, statuam ejus in Gymnasio, aut Bibliotheca, certe privata, (utrumque enim *Herculaneo* vindicat,) haberent; vel in aliis causis: nam viri bene meriti sæpe ab amicis, a patronis, aliis, statua honorabantur; vel denique in eo potissimum, quod summa ejus in agrum Herculanensem exstarent beneficia, unde ipse a Capuanis inaurata statua

dona-

donaretur, *in Pison. Cap 12.* Quam tanquam veram caussam probans, docte de agraria *Rulli* lege, & liberationis ab imminenti ejus periculo beneficio, quod Campanis præstabit *Cicero*, disserit: ac, reliquas civitates ea in re Capuam æmulatas esse, veri admodum simile efficit. Ceterum, marmoream eam fuisse, in foro stetisse, & anno U. C 699 vel 698 positam esse docet, ac, quæ contra possint dici, erudite refellit. 10) *Christ. Wilh. Franc. Walchii Historia Afranii Burrhi, ad Act. XXVIII, 16.* Exposita *Burrhi* historia, tandem docet Cel. Autor, στρατοπεδάρχην, cui *Paulus* traditus est, *præfectum* esse *prætorio*, & quidem *Burrhum* eum, propterea, quia, cum diversæ sint eruditorum de anno, quo *Paulus* est Romam delatus, sententiæ, tamen in eo plerique conveniant, intra annum Christi 52 & 62 eum ad urbem venisse. Cuicunque igitur accedas, parum referet, cum per omne illud tempus *Burrhus* prætorio præfuerit. Accedit, quod *unus* tum fuisse στρατοπεδάρχης dicitur, cum ante & post eum essent *duo*. Vid. *Tacitus Lib. XXVI Annal. Cap. 51 n. 4.* 11) *Ludov. Guilielmi Ballhorn Spicilegium ad Jo. Vorstii libellum de Latinitate selecta, vulgo vero neglecta.* *Cap. I, de quorundam substantivorum significationibus, vulgo fere non observatis*, hæc complectitur vocabula: *architectus*, pro *inventore* & *auctore*, quod tamen an vulgo negligatur, dubitamus; *cerimonia* pro *religione* & *sanctitate*; *consternatio* pro *seditione* ac *tumultu*; *descriptio* pro *charactere*; *hiems* pro *tempestate*; *homo* pro *aliquo*; *jactura* pro *munere* ac *sumtu*; *natura* pro *forma* & *statura*; *nomen* pro *dignitate* ac *gloria*; *numerus* pro *honoris præstantia*; *observantia alicujus* pro *ea, qua nos alius colit*; *possessio* pro *re, quam possidemus*; *sors* pro *capite*; *stomachus* pro eo, quem *gustum* hodie dicimus; *stupor* pro *carentia sensus*; *usus* pro *necessitatibus vitæ*. Cap. II, *de nominum quorundam adjectivorum significationibus, vulgo neglectis*, docet, *habilem* dici modo eum, qui sit *natura aptus*; *multos* opponi eleganter *principibus* (quod de *multitudinis* appellatione etiam valet,); *priores* etiam dici *majores*; *proclivem* esse etiam *facilem*; *tristem* vero *gravem* interdum ac *valde severum*;

rum; vocalem, qui *crebra exercitatione vocem ad dicendum conferat.* Ad *Cap. V Vorstii, de verborum significationibus, vulgo neglectis*, varia quoque non incommode observat. Sed satis jam ex iis, quae attulimus, apparet, laudandam esse Autoris diligentiam, etsi non omnia ea, quae profert, aeque adhuc neglecta fuerint, nisi ab iis forte, qui sordes in stilo & rusticum amant: quod idem de nominibus, vulgo neglectis, valere debet, quae ad *P. III Cap. 1 Vorstii* attulit. 12) *Car. Frid. Walchii Commentatio de religione M. Aurelii Antonini Imp. in numis celebrata.* Docta haec est disputatio, sed talis, quae in compendium mitti non facile possit; quamobrem integram eam iis legendam commendamus, quibus volupe est, reconditiorem vetustatis elegantiam penitius intelligere. Sequuntur tria Virorum Clarissimorum elogia, nempe *Hallbaueri*, a *Brieglebio*, *Eckhardi*, a *Ballhornio*, & *Heusingeri*, a *Tœpfero*, conscripta, de quibus plura commemorare, instituti ratio non fert. Id potius monemus, differre horum Actorum descriptionem ab ea, ad quam *duo Volumina* Exercitationum hujus Societatis accommodata, & jam A. 1741 & 1743 foras data sunt. Neque enim breves sodalium declamationes, neque Epistolae, neque Carmina, multo minus inscriptiones, hic reperiuntur, quod, tantum abest, ut vitio verti debeat, ut potius emendati saporis, ut dicunt, elegantiaeque sensus indicium sit certissimum. Propediem tamen Carmina, singulari comprehensa volumine, edentur, quae quin politioris humanitatis studiosis grata sint futura, minime dubitamus.

GER. NICOLAI HEERKENS, GRONINGENSIS, DE Valetudine literatorum Poema.

Lugduni Batavorum, apud Joannem Luzac, 1749, 8 maj. Plag. 2.

EJUSDEM DE OFFICIO MEDICI POEMA, DEDICatum Eminentissimo S. R. E. Cardinali ANGELO MARIÆ QUIRINO. Accedunt duae Epistolae: 1) ad Illustriss. Virum, JAC. LE FRANC, supremum Curiae Montis Albani Praesidem, 2) ad JACOBUM DE BUNTING, Equitem Germanum.

Gro-

Groningæ, typis Jacobi Bolt, bibliopolæ, 1752, 8 maj. Plag. 4.

Dum vulgarium Poetarum canticis, Saturniisque recentium linguarum versibus, nostrorum hominum ingenia legendis condendisque detinentur, illaque res, captis perverso studio animis, valde placet populo; fieri non potest, quin e diverso veræ ac severæ, pulsatis ac jacientibus Musæ Latialis sacris, frigeant literæ Poetarum. Accidit igitur, ut non modo rarior, & obscurus, & neglectus vulgo in paucissimis hominum studiosorum, hoc seculo appareat subtilis ille artium videndarum sensus, quem felicitatis temporum certum comitem elegantiam vocare solemus, eoque bono maxime vim Poeticæ censemus, sed ut prorsus ignoratus ac prope derisus explosusque interisse videatur. Quare aliqui pauci homines literati, dum judiciis illis vulgi non utuntur, merito se juvari sentiunt vel tenuibus meliorum literarum vestigiis, si quæ uspiam barbaros inter strepitus discursusque tam vana celebrantium lucent. Talem nuper ingenii honesti melioribus literis proventum in populo Frisiorum claro, ut animis, ita studiis quoque, urbs Groninga edidit, Carmina proferendo Latina, quorum supra titulus scriptus est, probanda inprimis argumentis ac stilo. Sed sunt illa quoque sententiis honesta, numerisque concinna, & speciem juvenili in laudanda facta impetu pulchram, gratamque ad intelligentes gratiam, vel si curæ nonnihil in partibus desit, habitura.

Nam argumenta, quæ scienter probabilia delegit doctissimus *Herquinius*, sive *Cyrillum* mavelis, cujus fere significationem vocabuli fert istud Frisiorum *Heerken*, haud pertractate scripta sunt genere versuum elegiaco facili, ac sæpe diserto. Placebit autem sententiis passim veris ac decoris, ut illa, quibus fatum commune studiosorum deflet, admonetque, ut caveant, incautos:

Tu, qui secessum studiosus & otia quæris,
Ad Stygiam raperis præcoce tabe lacum.

 Simul

Simul elegantiæ vestigium in syllaba impressit, in qua proferenda hodie quoque barbaries oris indocti multos fallit. Sequitur præceptum, non prohibendos esse pueros parvos ac puellas virgines, quin discursu plurimo corpora jactent ac ludant, quod verum est, quando in consulta studiosissimæ hodie educationis cura, dum retundere laborat illos naturæ servatricis stimulos, plurimos desidia imperata enervat ac perdit. Porro tempora illa dulcissima, ut ludis apta, ita curis non exercenda & labore, ut multi magistri inepti anxiam habent terroribus variis pueritiam:

Parcite prætextam curis agitare, parentes;
Hæc monitis ætas sollicitanda piis.
Hactenus, ut careat terroribus illa laboris
Inscia, ludendo pensa minora trahat.

Ut licuerit conferre nonnihil in clausula de nostro integris suopte ingenio ac probis dictis. Deinde excipit bullam Laribus donatam intemperies sedendi, ex oblectamentis studiorum nata. De qua sic recta cautione Noster:

Immemores plerique sui, noctesque diesque,
Quo macra Fama vocat, currere posse volunt.
Non illum socii, non aura serenior unquam
Avocet in virides tempore veris agros.

Post illa meraci potoribus Poetis ex merito gravis, illos quoque corrigit, quibus contrario ritu Theæ divæ ac Fabarii flatus cultoribus,

Ventriculus calda tentus abundat aqua.

Mox aliqua super Venere studiosis hominibus rarius adeunda post siparium posita relinquemus, si verissima ac tradenda maritis, nescimus: hoc scimus, nostrarum interesse uxorum, ne vulgata fidem inveniant. Quare illa Jocis divis, qui *Venerem* circumvolant, præpete ferenda penna reddimus, e *Bocatii* fere inventis petita, neque non illa, quæ somnum suadent ingeniosis multum, defenduntque *Boilæi*, tanta tamque magnifica destertentis, soporem. Denique proba illa, quæ de aere, quem spiritu pulmones ducant:

Non bene sub madido Jove Phœbi vivis alumne.
Utile quid constans siccus & aer habet.

Heu

Heu mihi, quem cunis pluvialis Frisia vidit,
Duxit & ad larias frivola Parca Deas.

Ista ac talia quidem, ne longi simus, in primo, eoque minore, opere. In altero similia, aut meliora illis, atque obiter istud quoque probandum, quod eorum barbariem emendat, qui, dum summam artis medicæ videri volunt tradidisse, quovis in gramine membra ordine nominibus novis percensent. Eis autem hoc item præstat, ut nomina sua, quæ scribere ipsi sine stribligine veris elementis nunquam possint, carmine emolliat:

Ut referas plantam, proprio quam nomine dones;
Ut dicas, foliis quot, quibus illa viret?
Sed bona cui morbo, non dicitur, herba Lenai.

Sed suffecerint ea, quæ laudanda e pluribus posuimus. Nonnulla pauciora ibi sunt condonanda ætati ac studiis, ac pensantur reliquis carminum bonis. Eis secundæ curæ tollendis, aut corrigendis, superventuræ, facile ac tempori medebuntur. In his est istud profecto, quod ambitiosius ad eos defertur carmen, quorum si honesta ingenia & literarum facultatem, quatenus nostris in partibus militant, requirit favor ac voluntas, habet eorum institutum rationem certam: sin eorum opes nostri mirantur scriptores & laudibus ferunt fluxa quædam, quæ eis adsunt, ac cito peritura, non est e re publica, & rationem non habet.

Corollarii vice etiam addemus super valetudine recte curanda Xenia quædam, ut appellat ipse, *Herquinii* nostri sane luculenta:

I.

Thea nocet Batavis; nocet omni Thea puellæ;
Et nocet a pastu potio calda viris.

II.

Ver & hiems crudis tempestas optima plagis:
Tunc Gangræna super non nisi sera venit.

III.

Aura fere semper, terris advecta, salubris;
Quique venit longum per mare, ventus obest.

II.

IV.

Cano bruma seni, juvenique inimicior æstas;
Acribus hic, longis tangitur ille malis.

V.

Si gravidæ molles, stillentque subinde papillæ,
Oret Lucinam, se male fœtus habet.

DISCOURS SUR LES BIBLIOTHEQUES PUbliques, &c.

hoc est,

SERMO DE BIBLIOTHECIS PUBLICIS, RECITAtus in Academia Scientiarum Rupellensi a R P. VALOIS, e Soc. Jesu Professore Hydrographiæ, & Academiæ modo dictæ Directore: inscripta ab Autore Eminentissimo Purpurato QUIRINI.

Brixiæ, apud Jo. Mariam Rizzardum, 1751, 8.
Plag. 4.

Civis quidam Rupellensis Bibliothecæ publicæ jecerat fundamenta; de quo beneficio, publice salutari, ut verba faceret in primo Academiæ, quam dicunt, conventu, doctissimo Autori mandabatur. Ejus rei cum certior esset factus *Quirinus*, Cardinalis Amplissimus, ut, quam habuisset Orationem, ejus sibi copiam faceret, ab eo petiit. Cui ejus voluntati non satisfecit modo Autor, sed in nomine etiam Cardinalis apparere illam voluit, si forte typis exscribenda ipsi videretur. Itaque in hoc ipso libello comparet primo dedicatio, Eminentiss. *Quirino* facto, cujus erga honestas literas merita pro eo, ac par est, prædicantur. Hanc excipit ipsa Oratio, die 28 Aprilis habita, qua demonstratur, bonarum artium imperium, ingeniorum proventu nixum, magnisque laboribus fundatum, conservari, sine Bibliothecarum præsidio, non posse: atque hos thesauros literarios ingenii tanquam fontes quosdam iis recludere, qui recte iis uti didicerint. In priori Orationis parte non injucunda sunt, quæ de Bibliothecarum

carum origine attingit: posteriorem ita confirmat, ut ostendat, eas primo curiositatem quandam literariam in animis gignere, deinde monstret, quo animo ii esse debeant, qui, quæ cognoscant, ea velint perficere. Orationem sequuntur literæ Cardinalis ad *Valesium*, magnam rerum varietatem, ut solent, complexæ, ac luculenta poeticæ facultatis specimina continentes. Primo quidem *Flora Quirini*, seu *Mallardii* Idyllion, quod *Plantas* inscripsit, ex Gallico sermone in Latinum versum, apparet, factum ab Ampliss. Cardinale in itinere Roma Brixiam versus. Ut autem, quam arctam habuerit cum Musis consuetudinem Purpuratus iste, constet, aliquem ejus carminis locum huc transscribamus. Ita vero canit extremo prope carmine:

Quæ vos (plantas) *in dias eduxit luminis auras,*
Terra, videt placido quoque fine occumbere & ipsa.
Dum nos solliciti huc illucque vagamur, adesse
Mox alibi volumus, quam quo deduxerat atra
Nos cura, hac, nulla quam pellere, sive levare,
Arte queas, ex urbe ad agros nos ducit, ad urbem
Mox revocat rure, & lateri affecla jugis adhæret.
Torquet inexstinctus nos ardor cuncta sciendi,
Dotibus ingenii variis clarescere passim
Percupimus tumidi, ac nostrum volitare per orbem
Nomen; adest demum mors pallida, quæ vacuos nos
Et tristes nobisque ignotos comperit ipsis.

In ipsis literis primo delicias itineris sui repetit, ac versibus etiam includit, quæque in honorem literariæ Academiæ Rupellensis potissimum cecinerit, indicat; ubi etiam versus, in *Perardi*, V. C. honorem facti, occurrunt, notiores in vulgus, quam ut hic eos repetere necesse sit, quippe quorum laudem ipse ille se minus agnoscere professus est. Cujus cum honore conjunxit laudem Illustrissimi *Zaluskii*, & Virginis nobilissimæ, *Annæ Christinæ Ehrenfridæ a Balthasar*, quæ, quindecim circiter annos nata, novi Collegii Academici, & novæ Bibliothecæ, dedicatione perfuncta dedicitur. Inde venit ad dedicationem Bibliothecæ suæ, quam, cum Vaticanæ quon-

dam legasset, suo nunc ære redemit, atque commodis publicis consecravit; quam in rem Pontificis M., Ducis Veneti, *Grimani*, & alias insuper duas, ultro citroque missas, epistolas subjicit. Tum ad inscriptiones venit, quibus novum Bibliothecæ domicilium & ab ipso, & a civitate Brixiensi, exornatum sit. Postea numi cujusdam, eandem in rem cusi, meminit, ac, duos se duarum Bibliothecarum Catalogos accepisse e Germania, indicat; alterum ab Illustrissimo Comite, *Henrico Bunavio*, cujus præstantiam verbis *Schelhornii*, V. C. prædicat; alterum Vindobonensis Bibliothecæ civicæ antiquæ, a Clariss. *Lambachero*, cujus binæ literæ hic etiam comparent, quibus alteris gratias publice agit Cardinali Amplissimo pro transmissis operibus suis in eandem Bibliothecam; atque simul indicem librorum, quotquot ex antiquis & aliis rarioribus bini ibidem habentur, proponit, rogans, ut seligat ex iis sibi, qui forte in Bibliotheca sua desiderentur; alteris idem vehementius etiam, & tanquam beneficium aliquod, ab eodem petit: quam liberalitatem velut scintillam, imperii e majestate prosilientem, esse judicat. Extrema denique epistola, in quibus conficiendis tum occupatus sit, indicat, nempe in scribenda epistola ad Professorem quendam Vitebergensem, quem triumphi sui, ante victoriam de operibus *Cochlæi* cantati, amicorum suorum judicio, pertæsum iri, auguratur. Sed, Cel. *Kirchmaierum* (hunc enim respici, non dubium est,) victoriæ suæ triumphique pertæsum nondum esse, ii scient, qui, quæ postea gesta sint inter utrumque, norunt. Simul, aliquod scriptum, ab homine, Protestantium sacris addicto, profectum, quod sit de amica compositione inter ipsum & Cel. *Formæum*, indicio sibi fuisse, ait, de fructu scriptorum suorum, hoc consilio foras datorum, ut *probaret Romana Ecclesia jugem erga heterodoxos caritatem*. Sed, qua mente, quibusque impulsus causis, Helveticus iste librarius ad Cardinalem scripserit, nunc satis constat. Interim, se in consilio suo perstiturum, profitetur, *quia nunquam desperandum sit, rationibus quibusdam occultis, ut provinciæ resipiscant, & ad sanitatem fidei mortales quamplurimi redeant, cum superet divina clementia mortalium omnium iniquitates, secundum*

Augu-

Augustinum Valerium, in libro, qui inscriptus est: *Cardinalis.* Frontem libri exornant duæ monetæ, quarum altera *Quirini* imaginem cum inscriptione quadam, ædis cathedralis, ab eo conditæ, memoriam posteris commendante; altera Bibliothecæ domicilium, cum inscriptione, ejus exstructi meritum conservante, exhibet.

NOVA LITERARIA.

Prodiit nuper Mediolani *Dissertationum variorum illustrium Virorum de Monetis Italiæ,* quas *Philippus Argelatus*, Bononiensis, collegit, recensuit, auxit, nec non Indicibus locupletissimis exornavit, *Pars IV*, cui quæ singulari Programmate præfatus est *Argelatus*, Vir Clarissimus, hæc sunt:

Cum ad hanc rei nummariæ Scriptorum Collectionem, nescio quo fato, manum admoverem eo tempore, quo ad alia majoris momenti, quibus assidue incumbo, cogitarem, nil aliud menti proposueram, quam ut seriem integram, si fieri potuisset, Nummorum omnium, qui per universam Italiam nostram cusi fuere seculis mediæ, quam vocant, ætatis, usque ad XVI inclusive, ad eruditissimæ Dissertationis Muratorianæ *illustrationem, ac supplementum, continuarem; sed, cognito meo consilio, quod ante Operis editionem proposueram, ut frequenter accidere solet, plures docti Viri,* Ludovicus Antonius Muratorius, Apostolus Zenus, Josephus Antonius Saxius, *P.* Ferdinandus Schiavini, *Canonicus* Joannes Jacobus Amadeus, *aliique, non contenti nummorum figuris, quibusque temporibus, & apud quos Principes, vel Respublicas, cusi fuere, a nostra serie per otium novisse, nonnulli coram, alii per literas, urgere me cœperunt, ut de illorum valore per varia tempora, & de causis augmenti monetarum, quod in tantam enormitatem in dies adscendit, aliquid addere vellem, ideoque majorem utilitatem legentibus inferrem, & in negotio, quo gravius nullum fortasse ubique locorum hoc tempore, secundis curis gratiam universorum labore meo conciliarem. Reponebam ego: argumentum hoc, etsi perdifficile, ab aliis pluribus fuisse tractatum Philosophis, Mathematicis, Jureconsultis, Ratiocinatoribus, ac ipsis denique Negotiatoribus; nam singuli præ ceteris convenire sibi maxime contendunt, summaque*

industria proposita fuisse remedia, ne monetarum valor in posterum sit immutandus, at frustra; quod malum uni tantum causae tribuant, quando a pluribus fortasse derivatur, atque hinc difficultas remedii proponendi, quod adversus vim causarum omnium juvare possit. Sunt equidem recentiores inter, qui clament, necessarium esse, ne Principes ex jure cudendae monetae lucrifaciant, vel Magistros monetarios lucrifacere permittant, ne minimum quidem ultra necessarias expensas, oeconomice pariter erogandas; invictis namque argumentis demonstrarunt, Principibus nihil esse utilitatis ab eo lucro: quicquid enim lucrifecerint in cudenda moneta, totum & multo amplius ab aerario suo detrahi necesse est, in quod monetae inferuntur, quae sincerum ac genuinum valorem excedunt. Asserunt negotiatores non tantum, sed omnes alii, qui ad bonum rei publicae serio cogitant, neque injuria, idem esse, de re monetaria tractari, ac de commercio instaurando, ob eamque causam, nisi vectigalia saltem ad tempus imminuantur, inutilem esse disceptationem, neque malum reparari posse, quod regnum, rempublicamque, & privatos omnes, trahit in praeceps. Haec & alia plura, veluti certatim a majoribus nostris observata, quae longum esset recensere, dicebam ego, scripta fuisse ab optimis doctissimisque Viris, plura etiam sanctissimorum Principum providentia tentata fuisse remedia, neque malo tam gravi, immo gravissimo, finem hactenus impositum: nihilo minus nos dolere, ac de inposterum inveniendo esse propemodum desperandum. Sed non acquieverunt Amici, & me invitum coegerunt ad hanc etiam rei nummariae partem pro viribus ornandam, collectis selectioribus Dissertationibus de valore monetarum, iisque vel iterum vulgatis, vel nunc primum in lucem editis, non omnibus tamen, quod forsan optasset eruditissimus Autor libri, nuper impressi, cui titulus: Dell' Origine, e del Commercio della Moneta, e dell' instituzione delle Zecche d'Italia, dalla decadenza dell' Impero sino al Secolo decimosettimo, all' Haja, 1751, 4, *quod si facere instituissem, plus quam bis centum Volumina implere debuissem; neque mireris velim: tanta enim est copia librorum in hac materia, quam omnes Europae nationes pertractarunt, ut immo Bibliothecam instruere possis, quod apparebit ab Elencho Autorum, quorum sola nomina, ac titulos eorum Operum, collegi, ac, Deo juvante, in calce*

calce nostræ Collectionis recitabo, curiositati tuæ, Lector humanissime, maximam Tomi *partem dicaturus, unde mecum argumentari possis in tanta varietate opinionum, vel absconditas adhuc esse mali causas, vel nondum inventa opportuna remedia, ita ut fateri debeam, verissima esse, quæ doctus Amicus per jocum non semel dixerit, duo a literatis Viris tractata eadem sorte fuisse argumenta per immanem librorum farraginem, de Turcarum scilicet imperio evertendo, ac de monetarum justo valore servando, utrumque infeliciter adeo, ut, dum scribimus, hostes publici sæviant immanius, & suæ dominationis fines, frustra nitentibus nobis, latius protelare patiamur. At ad nostra redeamus. Complementum Dissertationis* Muratorianæ, *quod initio mihi proposueram, facile dedissem, ordinem secutus, quem Vir Clarissimus designaverat, si contentus fuissem numero monetarum, quas ex Variorum Dissertationibus, denuo recusis, iterum ad* Muratorianas *accedere volui, aliisque pluribus, quarum imagines in lucem publicam nondum venerunt, atque ut ad singulos, qui juverunt labores nostros, debitus honos habeatur, accipe, unde habuimus ea, quæ tibi libenti animo communicamus. Monetarum veterum imagines accepimus nonnullas a Viro Clariss.* Josepho Antonio Pintio *in Appendice ad suam eruditissimam Dissertationem* de Nummis Ravennatibus, *quam in hac nostræ Collectionis* Parte IV *nunc primum imprimendam humanissime dedit. Alios plus quam centum numero Italicorum pariter Numismatum, quæ nusquam antea prolata fuerant, ex Museo* Vincentii Bellini *accepimus; neque minoris momenti sunt alia, quæ a doctissimo* Dominico Maria Mannio *subministrata fuere. Amborum tamen,* Bellini & Mannii, *de republica literaria bene meritorum hominum, præstantissimas Dissertationes in* Parte V *Collectionis habebis. Et hæc quidem ad* Muratorianæ *Dissertationis complementum pertinent. Alia nunc recensebo, quæ nostram in potestatem venerunt ad morem potius gerendum Amicis, quam ex proposito voluntatis, neque me tamen pœnitet doctorum Virorum consilia secutum fuisse; nam in hac etiam* Parte *bene arrisit fortuna. Meliora enim, tibique gratiora, sperare non poteram, quam quæ ultro contulit celeberrimus præstantissimusque Vir,* Antonius Franciscus Gorius, *diligentia sua e tenebris eruta:* Joannis Villanii *scilicet, Historiographi Florenti-*

ni, cujus nomen satis proferre fuerit ad commendationem, Tractatum nempe de Floreni aurei origine, præstantia, & valore, ad quem in hanc usque diem nemo, quod sciam, appellavit; Claudii Boiffinii, *Cancellarii Florentini, ejusdem argumenti librum alterum; quibus profecto monumentis, nisi lux, quam caligantes optamus, hodie appareat, nescio, unde sperare possimus. Quid dicam de Lectione Academica celeberrimi* Bernardi Davanzati *de Moneta, quam, ab ipsius avtographo in integrum restitutam, una cum ejusdem, &* Antonii Mariæ Salvini, *annotationibus, imprimendam, ut factum est in hoc* Tomo, *humanissime subministravit? His omnibus Clariss.* Gorius *præfixit Epistolam suam ad me, summa cum benignitate scriptam, qualem ab homine doctissimo, & antiquitatis peritia nemini secundo, poteram exspectare. Coronidis tandem loco* Excerpta *duo ex forensibus Dissertationibus, quas* Vota *nuncupare solent Jurisconsulti,* Francisci *nempe* Fabrini, *atque* Antonii Graffioni, *de valore Floreni aurei, quæ impressa volui; lucem namque aliquam prioribus documentis afferre posse in tui commodum, putavi. Habes tandem in hoc Tomo* Gasparis Scaruffi *Alitinonphum, una cum Considerationibus & Notis* Bernardi Pratisolii: *opus quidem perutile, ac raritate sua dignissimum, ut recuderetur, quod optare se, monuit Autor eruditissimus in suo libro, cujus titulum jam supra dedimus, sed in eam ego sententiam ire non poteram, quod extra chorum evagari nollem, & libri moles partem maximam* prioris Tomi *erat occupatura, tanti tamen facio consilia celebratorum Virorum, quos inter eminet acutissimus Autor, ut vinci me tandem sim passus; maxime quod* Scaruffius *&* Pratisolius, *Rhegienses, primi fortasse fuerint, saltem inter nostrates, qui tabulas ponderis & valoris monetarum auri & argenti legentium oculis supposuerunt, quo facilius vitia, suis etiam temporibus in re monetaria crassantia, notari possent, ac facile propulsari. In iis vero comparandis hoc etiam emolumenti feci ob amicam operam eruditi Viri, Abbatis* Peregrini Salandri, *qui* Pratisolii *avtographum ipsum ætate Autoris jam prelo paratum transmisit, quo præsidio correctior, quam antea, & nonnullis etiam in locis auctior, prodire possit; itaque gaudeo, me gratiam initurum apud commendatissimum Autorem libri superius nominati, simul-*

que

que placere posse ornatissimo Viro, Horatio Blanco, *Prætori nostro, quocum de literariis hisce laboribus meis conferre soleo quam utiliter; is enim in altera, quam propositam habes, Epistola de re nummaria pauca, sed quæ eruditioni suæ respondent, familiariter scripsit. In calce tandem hujus* quartæ Partis *meæ Collectionis libenti animo nonnullis veteribus* monumentis *de re nummaria patriæ meæ carissimæ locum dedi, quorum præstantiam vel a solo titulorum elencho æstimabis; ob eamque rem, Lector humanissime, non mihi tantum, sed & civibus iis, qui ex vetusto Archivo nostro ea primitus extraxere, gratiam te habiturum esse, non dubito. Hisce omnibus prænarratis, monitum te volo, me, aliis gravioribus curis occupatum, nullam aliam* Partem, *quam* quintam, *quæ sub prelo jam est, additurum; nam, si similia conquirere vellem ulterius, res in infinitum excurreret, ab ea vero componenda temperare non poteram, quod cura literatissimi Viri, cui multis nominibus plurimum debeo, Clariss.* Geminiani Montenarii, *Opus integrum edendum habui. Etsi enim partem aliquam emiserim, qualem tunc temporis nactus fueram, celebratissimi Viri memoriam honore debito fraudare, scrupulus erat, immo Collectionem hanc pretiosiori gemma destitutam relinquere. Opus enim istud, meo quidem judicio, instar est omnium, &, si* Montenarius *ad remedium præstandum non profuerit, ceterorum lectioni profecto parcendum. Tandem, ut aliquando calamum deponam, alia molesta nimis est causa ingravescentis ætatis, ob quam animo non satis vires respondeant, propterea que me felicem ac beatum reputabo, si, quæ sub prelo sunt, vel quæ designavi, ad calcem perducere possim. Tu hæc interim gratanter accipe, & vale. Dabam Mediolani, die 8 Novembris A. 1752.*

Elenchus Dissertationum *hic est:* Josephi Antonii Pincii *Appendix ad sui ipsius Dissertationem de Nummis Ravennatibus, nunquam antea edita; præstantissimi Viri,* Joannis Villanii, *Historiographi Florentini, cudendæ monetæ cum* Gerardo Gentili *Præpositi, de Aurei Floreni Florentini origine, præstantia, & valore per varias temporum vices, cum signis, & emblematibus, quæ in ipsis inspiciebantur, ex Codice avtographo, nunc primum in lucem edito. Præfigitur Tabula nummaria Musei* Victorii, *cum ejusdem Prælusione; de valore Floreni aurei Florentini*

Com-

Commentarius, Autore Claudio Boissinio, *Montis Communis Florentiæ Cancellario, qui ex Codice autographo prima vice in publicum profertur;* Excerpta *ex Voto Florentini Aurei Legati* J. U. C. Francisci Fabrini, *supremi Magistratus Cancellarii, nec non ex annuæ præstationis Florenorum Aureorum Disceptatione juridica* J. C. Antonii Grassioni; *Clariss. Viri*, Bernardi Davanzati, *Florentini*, Lectio Academica de Monetis, *post alias editiones nunc primum ex Codice, manu ipsius Autoris conscripto, auctior & emendatior in lucem emittitur, una cum ejusdem* Davanzati, & Antonii Mariæ Salvini, *annotationibus, nusquam visis;* Ἀληθινόνφως, *seu* Alitinonphus, Gaspari Scaruffi, *Rhegiensis, opus ad rem monetariam perutile, denuo recusum, & a mendis expurgatum, una cum* Bernardini Pratisolii, *item Rhegiensis, in eundem Alitinonphum* Considerationibus & Notis, *nunc ab ipsius autographo correctiores publici juris facta;* Antiqua Monumenta, *ad rem monetariam Bononiensem spectantia, ex vetustissimo ejusdem urbis Archivo depromta, & nunc primum in lucem prolata; nempe:* 1) Privilegium, *Bononiensibus concessum per* Henricum VI, *Romanorum Imperatorem, pro cudenda moneta, datum Bononiæ 3 Idus Februarii anni 1191;* 2) Formula Juramenti, *per Conductores officinæ monetariæ Bononiensis tradendi, pro anno 1219;* 3) Provisio *Communis Bononiensis de anno 1398 pro recudenda moneta;* 4) Provisio *cum Capitulis Locationis Regiminum Bononiæ super facto Cechæ monetarum Bononiensium, A. 1464 die 4 Aprilis tempore Domini* Pii *Papæ secundi;* 5) Documenta varia *circa Monetarum valorem, & cursum, ex pluribus Actis depromta, quorum coronide Decretum celeberrimi Cardinalis* Palæoti, *datum A. 1581, pro quantitate pecuniæ pro Missis celebrandis solvenda exhibetur;* 6) Discursus *de Moneta, cusa in Cecha Bononiensi, & de modo solvendi debita antiqua cum monetis novis majoris valoris pro ipsarum augmentatione. Claudit hoc* Volumen *Index generalis rerum, & nominum.*

Mense Aprili Nov. Actorum hujus Anni pag. 240 lin. 12 pro *Periegetem* exscriptum est *Evergetem;* quem errorem nemo paulo humanior nobis facile ipsis tribuerit, aut dignum judicaverit, quem publice nobis, & tanquam inauditum scelus, objiciat.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCLIII.

DACTYLIOTHECA, SEU GEMMÆ ANTIQUÆ ANTONII MARIÆ ZANETTI, HIERONYMI F. ANT. FRANCISCUS GORIUS Notis Latinis illustravit. Italice eas Notas reddidit HIERONYMUS FRANCISCUS ZANETTIUS, ALEXANDRI F.

Venetiis, sumtibus Autoris, 1750, fol.
Alph. 1 plag. 21, cum Tabb. æn. 80.

Augustæ Suecorum Reginæ hunc thesaurum Illustris *Zanettius* sacrum esse voluit, præmissa ei epistola, quæ tum laudes Reginæ extollit, tum gemmarum apud priscos Romanos fata paucis enarrat. In Præfatione possessor consilium exponit suum, nosque docet, se ipsum illas, quæ hic conspiciuntur, gemmas diligentissime delineasse, delineatas a peritissimis chalcographis ad archetyporum fidem æri incidendas curasse, incisas autem perquam diligenter non semel contulisse, nonnunquam etiam emendasse. Notas *A. F. Gorii* doctissimas ab *Hieronymo Zanettio*, consobrino suo, vernaculo sermone reddi, hancque versionem textui Latino e regione opponi, jussit. Omnem se dedisse operam confirmat, ut ne quædam irreperent gemmæ, quæ non essent selectissimæ, optimorum artificum, tum antiquorum, tum etiam recentiorum Seculi XV,

qui illos non raro æquarunt. Plerique Achati insculpserunt. Illorum, qui noti sunt, quique huc pertinent, artificum hæc allegantur nomina: *Aspasius*, *Nic. Avantius*, *Alex. Casarius*, *Dioscorides*, *Evbodus*, *Horus*, *Marmitta*, *Onesas*, *Pyrgoteles*, *Scopas*, *Teucrus*, *Valerius Vicentinus de'Belli*. Multæ harum gemmarum dono datæ fuerunt *Zanettio*, præcipue ab *Ant. Bertolio*, & a *Wenceslao de Lichtenstein*. Alias hinc inde coemit ab hæredibus *Zach. Sagredi*, Principis *Eugenii*, & aliis. Immista gemmis alia quædam antiquitatis monumenta reperiuntur, ut postea videbimus. *Gorius* talem se probat, qualem ex *Museo Florentino* cognitum habemus. Id præcipue efficere studet, ut Autorum verbis suæ gemmarum interpretationi fidem faciat. Nec tamen ipsas gemmas vidit *Gorius*: alias plura forsan accuratius annotasset. *Alexandrum* illum *Magnum* prima exhibet gemma: temporum enim ordinem in hac collectione servatum videmus. Huic alia jungitur, opus egregium *Nic. Avantii*. Monstrat hæc gemma non *Minervam*, ut plerique sentiunt; nec *Herculem*, ut alii putant; sed *Achillem* armatum, ad quem maternum genus *Alexander* referebat. Idem de aliis quoque, tum gemmis, tum etiam numis, judicium ferto, Lector, ubi caput galeatum, *Alexandrum* alias referens, conspicitur. *Phocionem* in *Tabula IV* excipit illustre illud *Horatii Coclitis* facinus. Hoc uno peccat gemmarius, quod pontem sublicium fingit lapideum, non, ut debebat, ligneum. Sequuntur in serie gemmarum *Julius Cæsar*, *Hercules* juvenis, *M. Agrippa*, *Luc. Cæsar*, & *Agrippina Germanici*, ut fertur. Hanc excipiunt *Tit. Claudius Cæsar*, & *Agrippina*, ejus uxor. Sequuntur *Nero Claudius*, *Galba*, *Titus Cæsar*. Hic ubi occurrit, Noster occasionem inde arripit, Imperatoris *Francisci*, quem Deus servet, laudes prædicandi, eumque cum *Tito* comparandi. Post *Juliam Titi*, & *Domitianum*, *Domitiæ*, *Domitiani* uxoris, caput e marmore Pario effictum apparet. Post *Matidiam*, *Matidiæ* Augustæ filiam, oculis se nostris conspicienda præbent *Hadriani Cæsaris*, & *Sabinæ* Augustæ, jugata capita, & quidem, quod pretium auget, exstanti opere. *Tabula XXI Sa-*

binæ,

bina, ut videtur, bustum, e marmore Pario effictum, conspicimus. *Antinous*, heros, famosum *Hadriani* delicium, Achati nigro colore micantissimo est insculptus, sed ita, ut omnem fidem & descriptionis laborem superet, & inter omnes imagines, quæ artis portenta censentur, principem locum mereatur. Sequuntur *Faustina* Augusta, *L. Ælius Verus Cæsar*, *Commodus*, pelle leonina indutus, *Caracalla*, *Antoninus Geta*, *P. Licinius Valerianus*, Magnæ Deum Matris pompa. *Tabula XXX* exhibet *Jovem*, peculiari capitis ornamento insignem, quod nempe ansatum breve vasculum filicatum refert. Putat *Gorius*, antiquum artificem, ut a consueta calathorum forma recederet, hunc pressiorem brevioremque calathum excogitasse, ut innueret, beneficum donorumque suorum liberale Numen esse. Sequitur *Jovis* aliud caput cum quatuor in fronte characteribus, seu literis, quas initia nominum ejus referre putat Noster. *Jupiter Serapis Tab. XXXII* notatu est dignissimus. Modiolum capiti impositum,felicitatis symbolum, gerit, nuda superiore corporis parte, velata inferiore pallio, quod sinistro humero retro recidit. Læva sceptro, sive hastæ, innixus, dextra pateram, sacrificantium ritu tenet. Sedet in pulcherrimo throno. Pone ejus pedes (&, quod notandum, crepidatos,) adstat ipsi consecrata aquila. Throno non cernitur subjectum σουππέδιον, seu scabellum, sed pulvillus. Hujus talem usum multo esse antiquiorem, quam *Phil. Buonarrotius* censuit, ex hoc insigni monumento *Gorius* adstruit. *Tabula XXXIII* unum ex gigantibus ostendit, utraque manu scuto armatum, hasta etiam,& belluæ immanis spolio, terribilem. *Tabula XXXIV Europæ* raptus exhibetur, cum *Cupidine* per aera volitante, & iter veluti monstrante, item ad cœlum tendente palmas marino quodam Deo, raptamque puellam veluti miserante. Sequuntur *Leænam* religatam tenentes quatuor *Cupidines*, *Minerva* salutifera, tum & Ægyptia, *Apollo* cytharœdus cum tripode & cortina, Parnassus cum *Apolline & Musis*, *Bacchus* stans, idem cum hederacea corona & nebride, *Silenus* peplo pectus & humeros vestitus, larva *Sileni* cum nomine cælatoris *Hori*, antea incogniti, *Si-*

 leni

leni ebrii imago, *Fauni* nudi tres, *Baccha*, *Bacchans* gradiens, *Herculis* caput ſucci plenum, *Hercules* Muſagetes, cytharam temperans. *Tabula LII Herculis* caput antiquum argenteum refert, exſtanti cælatura, quod ejusdem Dei argenteum ornaviſſe ſcyphum, Noſter ſuſpicatur. Caput hoc excipiunt *Hercules* cum *Iole* pudibunda, *Omphale*, *Galateæ* pompa, *Triton*, vehens nympham, & *Hermaphroditus*. Hæc ultima gemma pretio vincit reliquas omnes, in *Zanettiana* Dactyliotheca reconditas. A *Dioſcoride* amethyſto inſculptus *Hermaphroditus* conſpicitur, ambiguam faciem, & corpus utroque ſexu præditum, præferens, ex *Mercurio* & *Venere* compoſitum numen. Jacet prope arboris umbram. Coma capitis concinne comta eſt. Dextrum brachium armilla ornatur, quod, veluti nimia laſſitudine preſſum, aliger puellus aliquantulum allevare conatur, dum interim agitato flabello ventum faciens, refrigerare blando ſtudet miniſterio. Quo citius in oculos deſcendat dulcis ſomnus, alii duo *Cupidines* aures ejus demulcent, alter fidibus canens, alter fiſtula. Nunc ſequuntur *Meduſa*, *Gorgonis* caput, *Perſeus*, pileolo Phrygio ornatus, binæ Horæ cum papilionis alis, *Victoria*, eadem bigam regens. *Tabula LXIV* mulier ſtans conſpicitur, ſiniſtro pede globum calcans, dextra ſcuticam attollens, dum anguem ſuper aram ignitam tenet, quæ aliis explicanda feliciter Noſter relinquit. *Hygiæ* ſacrum referre putantur. Adeſt nunc tigris, in hoc genere, inquit Autor, toto orbe unicum opus anaglyphum. Artifex nativis lapidis (*Moco*) maculis tam bene uſus eſt, ut maculas ipſas tigris exprimens, aliorum opificum conatus longe ſuperaverit. Seriem gemmarum claudunt leo, taurum proſternens, Delphinum par, monſtrum chimæricum, perſona ſcenica, gladiator, rudem oſtentans, Indus, Æthiops ſervus, Æthiops ſerva, & binæ fœminæ incognitæ. *Tabula LXXVI*, & tres ſequentes, lucernæ antiquæ marmoreæ quatuor facies monſtrant: ultima vero *Tabula* aureum exhibet numiſma, quod *virtutis præmium* eſſe voluit, & *Zanettio*, multis & magnis muneribus digniſſimo, dono dedit *Chriſtianus*, Danorum Rex nunquam ſatis laudandus. Additi ſunt Indices Gemmarum, & Autorum.

FASTI

FASTI ATTICI, IN QUIBUS ARCHONTUM ATHE-niensium series, Philosophorum, aliorumque illustrium Virorum, ætas, atque præcipua Atticæ Historiæ capita, per Olympicos annos disposita, describuntur, novisque observationibus illustrantur, Autore EDUARDO CORSINO, *Cler. Reg. Scholarum piarum, in Pisana Academia Philosophiæ Professore.*

Tomus III.

Florentiæ, 1751, 4.

Alph. 2.

Non eget iterata commendatione studium, quod in illustrandis rebus antiquis Atticis industria Clariss. *Corsini* collocat; non eget novis laudibus *Tomus* hujus Operis *tertius*, post illas, quæ geminis ejus fratribus abunde & ex merito his in *Novis Actis A. 1751 Mense Aprili pag. 200 seq.* tributæ fuerunt, & quæ *quartum* quoque, hoc est, postremum, manent, haud dubie reliquis futurum simillimum. Orditur autem hoc demum *Tomo* ipsum *Fastorum* opus, cui recte percipiendo præmissi fuerunt duo superiores *Tomi*, velut introductio. In illis multa traduntur de ritibus Atheniensium, de eorum magistratibus, tribubus, gymnasiis, numis, ceteraque civili institutione. In hoc autem ipsos Archontes Atticos Eponymos, quotquot singulis annis & reipublicæ præfuerunt, & anno quisque suo nomen de se dederunt, ad ductum Olympiadum, a prima inde usque ad centesimam recenset. De reliquis, quæ ad indicem hunc chronologicum majoris & utilitatis, & venustatis, gratia accedunt, paulo post amplius dicetur. Ne quid autem integræ expositioni de magistratibus, quotquot Athenas a principio inde rexerunt, deesset, exhibet finis Prolegomenorum, a quibus hic *Tomus* auspicatur, seriem Regum primo Atticorum, deinde Archontum quoque perpetuorum, & tandem decennalium. Absolvuntur ea, quæ diximus, Prolegomena *quinque Capitibus*, & usum necessitatemque fastorum Atticorum, & modum, demonstrantibus, quo usus in illis concinnandis

Autor fuit, & rationes diverſarum epocharum, periodi *Julianæ* puta, & annorum, ab Urbe condita ductorum, quos cum Olympiadibus hi Faſti magno cum Lectorum commodo ubique comparant. Primus quidem non eſt *Corſinus* hoc ſtadium ingreſſus. Duces enim habuit in paucis præcipuos, *Scaligerum*, *Meurſium*, & *Dodwellum*: Sed illi quidem contigit, quod uſu venire ſolet his, qui primi ſcientiæ alicujus aditum reſerant, & viam ſternunt. *Dodwelli* opus egregie Noſtro profuit; intra terminos tamen belli Peloponneſiaci continetur, & narrationes *Thucydidis* atque *Xenophontis* æquat atque perſequitur, minutum curriculum, ad ampliſſima Olympiadum ſpatia. Eſt præterea, ex Noſtri ſententia, ubi acerrimi vir judicii & moroſæ accurationis pravis, quæ animum ejus inſederant, opinionibus in illis ſuis quantavis laude dignis Annalibus indulget, quo rerum & veritas violatur, & lux offuſcatur. In *Meurſio* idem Noſter, quod omnes, reprehendit. Incomparabilem futurum fuiſſe illum virum & vix relicturum alii, quod addat, quod emendet, ſi a limato judicio & maturatis fœtibus ſuis, quam a fœcundo ingenio, inclareſcere maluiſſet, paremque diligentiam curam,& ſagacitatem, cum ad reliqua doctrinæ ſuæ monumenta, tum ad librum de Archontibus Atticis præcipue, attuliſſet. Verum negata ſunt uni bona omnia, &, perfici ullam aliquam rem uno primo impetu, rerum ſors vix patitur. Proficimus & ſapimus damnis atque erroribus vetuſtiorum juniores, ipſi forte abſque illorum ductu vix eo, quo illi adſcenderunt, emerſuri. Denique prodierunt poſt *Meurſii* ætatem e terræ viſceribus monumenta præclara bene multa, abſque quibus in hoc genere perfectum quid quisquis aut ſperat, aut flagitat, fruſtra eſt. Eſt in his inſigne marmor, Oxonienſe dictum, ſunt ea, quæ *Sponius* & *Whelerus*, quæ *Chiſhullus*, quæ ipſe *Corſinus*, in lucem produxerunt, & cupidi antiquæ ſupellectilis peregrinatores aſſerere literis in dies pergunt. Præſtabant igitur hæc monumenta Noſtro, præſtabant ipſi veteres *Meurſio* tractati Autores, ſed diligentius inſpecti & expenſi, quod ad ejus de Archontibus libros adderet, quod demeret, quod reformaret. Uſum hujus ope-

operæ neceſſitatemque quamvis recte *Corſinius* exiſtimaverit breviſſimis exponendam Lectori eſſe; nolumus tamen, ut in re luculenta, & in dubium nunquam vocata, idem facere. Quid porro promittat in his Faſtis Autor, & quem in illis texendis morem tenuerit, in eo eſt *Caput ſecundum* Prolegomenorum, ut doceat. Abunde ipſum promiſſis ſatisfeciſſe, & ipſa operis inſpectio, & nota viri ſedulitas atque eruditio, perſuadent. Primo igitur loco ponit Olympiadem, quo ſe quæque ordine excipiunt; apponit annum cuique congruum Periodi *Julianæ*, tum ab U. C., porro qui ſtadio identidem vicerit, quod teſtimoniis Autorum in medium allatis evincit, qui deinceps quovis cujusque Olympiadis anno Archon Athenis, Romæ aut Rex, aut Conſul, aut Dictator, aut Decemvir, prout tempora ferebant, fuerit. Hæc Romana, ut aliena, levi brachio attingit, indicandæ tantum connexioni rerum Græcarum cum Romanis, & temporum paritati. Victores Olympici cujusque ſtadii e quibus didicit Autoribus, illorum excitat teſtimonia; addit eos quoque, qui palmam alio certaminis genere meruiſſe quaque Olympiade perhibentur. Quoties nova certaminum genera in uſum admiſſa fuerint, ſignificat. Res etiam a reliquis Græcis geſtas, easque illuſtriores, commemorat, Atticis maxime intentus, quas vel ipſas magis chronologice, quam hiſtorice, tractat. In hiſtoria Græcorum literaria, id eſt, in definiendis ætatibus Philoſophorum, Oratorum, & Poetarum, quos Græcia præ ceteris claros tulit, aliquantum ſibi Noſter indulſit, quod eam partem neglectam nonnihil crederet, aut deprehendiſſet. Excurrere ipſum paſſim juſſit res præſens in virorum illuſtrium memorias, etiamſi a Græcis alienorum, ut *Cyri*, *Crœſi*, *Darii*, *Xerxis*, *Dionyſii* Syracuſani, *Alexandri M.* Quare tandem in æra Romana *Varronem* ſequi, quam alios Autores, ab illo diverſos, maluerit, *Capite tertio* & *quarto Prolegomenorum* exponit.

Ipſos jam *Faſtos* ſtrictim luſtratum imus. E quibus ſi rationes temporum intricatiores, & quibus copioſiore expoſitione opus eſt, repetere cavemus, (ſcatet enim illis hoc opus, ut par erat.)

erat,) credant, velimus, lectores, in eo nos & ipsorum, & instituti nostri, quod brevitatem exigit, rationem habere. Animus non est, nisi gustum operis dare, e quo totum æstimetur. Unum adhuc monere Lectorem fas est, quod vel ultro patet, *Corsinum* oblatam occasionem, Autores veteres aut emendandi corruptos, aut male perceptos vindicandi, non prætermittere. Cujus exemplum præclarum hoc ipsum est, quod primo loco afferemus. *Pag. 56* refert ad annum Olymp. XXXV primum *Thaletis* Milesii ortum, eaque occasione locum *Diogenis Laertii*, ab interpretibus immerito vexatum, vindicat. *Thaletem*, ait laudatus Autor, patria Phœnice relicta, Miletum commigrasse, & ibi sedes fixisse, civibus adscriptum. Ἐπολιτογραφήθη ἐν Μιλήτῳ ὅτε ἦλθε σὺν Νειλέῳ ἐκπεσόντι Φοινίκης, *adscriptus fuit Mileti civibus, illuc delatus cum Nileo, Phœnicia expulso.* Viri docti, quod de illo solo *Nileo* cogitarent, *Codri* filio, qui annis 350 ante primam Olympiadem ex Attica coloniam in Asiam traduxit, in id consenserunt omnes, ut locum *Laertii* vitii suspectum haberent, variisque modis tentarent. *Casaubonus* quidem, ἐκπεσὼν ut refingeretur, suadebat; *Palmerius* autem & *Menagius*, ut τῆς Ἀττικῆς. Verum demonstrat Noster ex temporum rationibus, *Laertium* de alio *Nileo* cogitasse, Phœnice quodam, de illo Attico non potuisse, quippe qui *Thaletis* emigratione quatuor Seculis & ultra fuerit antiquior. *Pag. 72* sollicite locum *Platonis* examinat, & æstus componere studet, quos ille in viros doctos dedit. Perhibet nempe *Suidas*, *Epimenidem* Olympiade XLIV Creta Athenas venisse, urbem a piaculo Cylonio expiatum. Alii aliis attribuunt illum casum annis, omnes tamen intra XLIII & XLVII consistunt, præter unum *Platonem*, qui omnium antiquissimus, ipsisque & temporibus, & rei, ut in patria gestæ, maxime, affinis, theologum illum Athenas venisse, asseverat, decimo ante Persicas clades anno. Ἐλθὼν πρὸ τῶν Περσικῶν δέκα ἔτεσι πρότερον παρ' ἡμᾶς, verba ejus sunt. Interpretes cum dictionis πρὸ τῶν Περσικῶν ambiguo, tum immani temporum discrimine, perplexi, (intercedunt enim 120 anni & ultra) varias *Platonem*

cum

cum aliis conciliandi rationes excogitarunt. Fuerunt, qui τὰ Περσικὰ de pugna Salaminia interpretarentur; alii, qui de Marathonia, quibuscum Noster facit. Fuerunt porro, qui, locum emendatione, crederent, egere, alii, qui geminos *Epimenides*, tandem, qui geminum ejusdem *Epimenidis* Athenas adventum. Et in his Noster est, existimans, recte & *Suidam* ceterosque, & *Platonem* quoque, tradidisse, sed illos quidem de prima *Epimenidis* lustratione loqui, qua Cylonium piaculum Athenis averruncavit; hunc autem de alia esse accipiendum, qua jussu *Apollinis* Delphici urbem, sæva peste attritam, purgaverit decem annis ante pugnam Marathoniam. Neque officere temporum vastam intercapedinem, quando quidem, *Epimenidem* ad sesquiseculum produxisse ætatem, multi tradant, aliqui etiam ad tria integra Secula. Cujus rei argumentum id quoque non contemnendum esse, quod 57 annos dormiendo consumsisse dicatur. *Pag.* 92 sub judicium vocatur hic *Julii Africani* locus: Ἀριχίων Φιγαλεὺς τὸ τρίτον νικῶν παγκράτιον ψιλωθεὶς ἀπέθανε, καὶ νεκρὸς ἐστέφθη, φθάσαντος ἀπείπασθαι τοῦ ἀνταγωνιστοῦ, κλωμένου αὐτῷ τοῦ ποδὸς ὑπ' ἐκείνου. *Arichion Phigalensis tertium pancratio victor . . . . . interiit, mortuusque coronatus est, cum jam præ dolore adversarius ejus defecisset, cui ab illo pes diffractus fuerat.* Negotium in his facit verbum ψιλωθεὶς, aut ψιλισθεὶς, ut *Eusebius* habet, quod *Scaliger* crediderat significare, evulsam ab adversario comam omnem *Arichioni* fuisse, unde natus immanis dolor, cui ferendo non par ille animam reddiderit. Sed, incommodam & improbabilem hanc esse interpretationem, liquet, & haud improbabilem *Corsini* emendationem φιμωθεὶς, *suffocatus.* Sane φιμοῦν est ore compresso meatum spiritus concludere, & suffragatur *Hesychius*, qui Φιμοῖ, δεσμεύει, ἐμφράττει, ἄγχει, ἐπιστομίζει. Quid si vero aut ψαλισθεὶς, aut ψαλιδωθεὶς, restitutum eamus, dicamusque, ψαλίζειν, aut ψαλιδοῦν, fuisse verbum palæstræ proprium, quo significaverint gymnastæ corporis artificiosum illum motum, quo alter utrumque brachium cervicibus paris instar ψαλίδων, forficum, aut capreolorum,

vites implicantium, circumſtringit & innodat, eoque alterum comprimit & ſuffocat. Sane ψαλίδες & forficem, & capreolos vitium, notant. Habet porro *Euſebius* ad annum tertium Olympiadis LIV hæc: Πεισίστρατος Ἀθηναίων ἐτυράννησε καὶ εἰς Ἰταλίαν παρῆλθε, quod *Hieronymus* fideliter reddit: *Piſiſtratus, Athenienſium tyrannus, in Italiam transgreditur. Piſiſtratum* in Italiam trajeciſſe, nullus veterum tradidit, dubioque caret, id ab eo, tyranno quidem, factum non fuiſſe; proptereaque locum vitio laborare. Geminam proponit *Corſinus* emendandi viam, utramque pariter doctam & ingenioſam, & eodem pæne redeuntem; aut εἰς Ὀιχαλίαν ſcribendum eſſe, aut εἰς Ἰταλικήν. Ambæ ſunt urbes Eubœæ, quam in inſulam *Piſiſtratum* ſe recepiſſe, patria ejectum, aliunde conſtat. Italicæ urbis meminit *Antigonus Caryſtius*, quem, civem & indigenam Eubœæ, in iſto nomine falſum non fuiſſe, credibile eſt. Scita eſt obſervatio, quam *pag.* 112 exhibet ad errorem haud facile venia dignum *Diogenis Laertii*, qui, *Anaximenem*, *Euriſtrati* filium, Mileſium, Philoſophum non incelebrem, Olympiade LXIII natum, & circa ἅλωσιν Σάρδεων obiiſſe, perhibet. Quæ non conſiſtunt. Nam, ſive captas a *Cyro* Sardes, dominante *Crœſo*, intelligat, ſive ab Ionibus & Athenienſibus captas & exuſtas: illud quidem ſi ſtatuas, neceſſe ſit, virum citius vitæ finem, quam ortum, inveniſſe: *Cyrus* enim Olymp. LIX Sardes cepit; hoc autem ſi optes, nihilo plus effeceris, quam eandem Olympiadem & dediſſe virum & ſuſtuliſſe, quem tamen adhuc Olympiade LXXV in vivis fuiſſe conſtat. Humani ergo quid paſſum ſuſpicatur *Corſinus Laertium*, errore oculorum. Cum enim *Apollodori* Chronicon coram ſe haberet, in quo & *Anaximandri* obitus, & ortus *Anaximenis*, eadem notatus Olympiade fuerit, illum, facto ſaltu ab illo ad hunc, quæ illius erant, huic tribuiſſe, & notitias confudiſſe. Ad annum quartum Olympiadis LX hæc habet *Euſebius*: Φωκυλίδης καὶ Ξενοφάνης φυσικὸς τραγῳδοποιὸς ἐγνωρίζετο. *Phocylides & Xenophanes Phyſicus, Tragœdiarum ſcriptor, clarebat. Xenophanem* Tragœdias ſcripſiſſe, præter hunc locum, nullus veterum tradit.

tradit. Non igitur erit porro, qui de probitate emendationis, quam *Corſinus pag. 116* proponit, dubitet. Poſtquam enim demonſtravit e *Suida* & aliis, *Theſpin* circa illa tempora Tragœdias edere cœpiſſe, aſſeverat, *Euſebii* Codices hiulcos eſſe; & poſt vocem *φυσικὸς* ingerendas eſſe has duas, *καὶ Θέσπις*. *Pag. 138* demonſtrat, *Empedoclem* illum, qui Olympiade LXXI factus victor, bovem, quod *Pythagoræ* aſſecla eſſet, non vivum, ſed thure, melle, aliisque incruentis & non animatis, confectum, immolaſſe fertur, non fuiſſe celebrem illum Philoſophum Phyſicum, ut qui tum temporis annum ætatis octavum egerit, ſed ejus avum cognominem, quem in verba *Pythagoræ* juraſſe, nihil obſtare, quo minus credatur. *Pag. 220* inſignem indicat errorem *Pauſaniæ*, interpretibus diſſimulatum. *Eliac. Lib. I Cap. 11* ait ille: *οὐ γάρ πω τὰ ἐς τοὺς παῖδας ἐπὶ ἡλικίας ἤδη καθεστήκει τοῦ Φειδίου, ætate Phidiæ nondum in uſum introducta fuerant* (in ludis Olympicis) *puerorum certamina.* Oblitus ſui, eorumque, quæ paulo ante tradiderat, & in continenti ſubjicit, exaravit illa *Pauſanias*, ut qui modo dixerat, Olympiade XXXVII pueros ad certamina curſus & luctæ, & Olymp. XLI ad pugilatus quoque, admiſſos fuiſſe; &, paucis interjectis, aliquem *Pantarcen* nominat, qui *ἀνείλετο τὴν ἐν παισὶν πάλης νίκην Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, luctæ in pueris victoriam Olymp. LXXXVI reportavit.* *Jovis Olympii* ſtatua, pulcherrimum *Phidiæ* opus, poſt Olymp. LXXXVI elaborata & dedicata fuit. Si ergo *Pauſaniæ* verbis autoritas & fides conſtare debet, aliter ſtatui nequit, quam non de omni genere puerilis certaminis, ſed de ſolo pancratio puerili, eum ſignificare voluiſſe, quod, ipſo teſte, Olymp. CXLV admiſſum ad Olympicos ludos fuit. Pariter *Diodori Siculi* errorem *pag. 250* reprehendit, qui *Lib. XIII Cap. 8*, Decelicum bellum, cujus initium anno tertio Olympiadis XCI attribuit, duodecim annis integris continuatum, perhibet, contradicente cum *Iſocrate*, qui decennale bellum illud appellat, tum ipſo *Diodorea* hiſtoriæ proceſſu. Alias enim bellum ultra victas captasque a *Lyſandro* Athenas, pacemque & fœdera cum Athenienſibus & Spar-

 tanis

tanis conſtituta, biennio perſeveraſſet, quod ab omnium ſcriptorum, & ipſius *Siculi*, traditione abhorret. Δέκα igitur, aſſeverat Noſter, in ejus citato loco voci δυώδεκα ſubſtituendum eſſe. Graviter quoque lapſum, oſtendit *pag. 259, Plutarchum* in eo, quod *Sympoſ. Lib. VIII Quaeſt. 1*, illo anno, qui *Euripidi* Poetæ fatalis, *Dionyſium* ſeniorem, Syracuſarum tyrannum, adſpexiſſe primam lucem, perhibet. Annum enim illum *Dionyſio* non vitæ, ſed imperii, natalem fuiſſe, vincit Noſter; ſimulque *Juſtini* locum corrigit *Lib. V Cap. 4*, pro voce *exilio* reponens *exordio*, id eſt, initio tyrannidis, ſeu ſupremæ poteſtatis. Locus hic eſt: *Inſignis hic annus & expugnatione Athenarum* (viribus & fortunæ *Lyſandri* Spartani cedentium), *& morte Darii, Regis Perſarum, & exilio Dionyſii, Siciliæ tyranni, fuit. Pag. 276* Scholiaſten *Euripidis* caſtigat, qui novarum literarum, & novi ſcribendi generis, uſum prætura *Euclidis* Archontis, id eſt, Olymp. XCIV anno ſecundo, recentiorem ideo facit, quod novum illud ſcribendi genus τὰ μετ' Εὐκλείδην γράμματα ſoleat appellari. In uſu enim illud non fuiſſe tum, cum *Euclides* ad præturam accederet, at fuiſſe decedente eo, rectiusque literariam illam reformationem atque acceſſionem *Euclidi*, quam ulli alii, tribui, ut homini docto literarumque amanti, & locupletis Bibliothecæ conditori, novarum quoque legum, & aliorum inſtitutorum inſignium, autori. Finem recenſioni noſtræ faciemus eleganti obſervatione, quam ipſe *Tomi* hujus præſtat finis *pag. 304. Laertii Diogenis* locum ibi explicat Autor, ab interpretibus parum intellectum. *Pollis* ibi dicitur, Lacedæmoniorum navarchus, ἐν Ἑλίκῃ καταποντωθῆναι, τοῦ δαιμονίου μηνίσαντος αὐτῷ διὰ τὸν φιλόσοφον, in Helice undis merſus, numine in ipſum factam *Platoni* injuriam vindicante, quem a *Dionyſio* tyranno perimendum nactus, mancipii loco vendiderat. *Aldrovandus* ἐν Ἑλίκῃ interpretatus fuerat *in vortice*. Rectius quidem *Menagius* viderat, urbis id nomen eſſe, caſus autem, ad quem reſpicit ea narratio, ipſum latuerat. Non enim *Pollis* ab hoſtibus captus, & mari merſus, quod ille vult, ſed illa lamentabili & ſubita tempeſtate exſtinctus fuit, quæ biennio

ante

ante Leuctricam pugnam, urbem procul a litore, in media pæne continenti, sitam de nocte oppressit, penitusque sustulit.

D. JO. JACOBI MASCOVII DE JURE FEUDOrum, in Imperio Romano-Germanico, Liber.

Lipsiæ, apud Bernh. Christoph. Breitkopfium, 1753, 8. Plag. 19½.

Late per Jus publicum, & privatum, valet Feudalis disciplina, præcipue in Imperio Romano-Germanico. Multa in ea, recentiori ævo, certius constituta, multa a viris doctis nova luce collustrata sunt. Vicissim haud pauca, ex priscis moribus, ipso temporum ingenio, mutata sunt. Variæ quoque in scenam productæ hypotheses, de quibus tuto judicari non potest, nisi perspecta universæ disciplinæ ratione. Eo gratior in publicum opera Illustris Autoris, quod principia illius magno selectu, & concinna brevitate, proposuit. Ita vero opus instituit, ut generalia primum principia, de indole feudorum, poneret, tum feudorum Imperii formulam speciatim explicaret, prouti legibus publicis, observantia, & pactis, definita est. Attingit etiam singulares consuetudines, quæ per provincias, & curias feudales, Germaniæ vigent: & hic Juris Feudalis Saxonici ratio præcipue habita est. Nobis summa capita delibasse suffecerit. Erudita est tractatio de ortu & progressu Feudorum, & Juris Feudalis. Origo illorum a Germanorum institutis deducitur. Sed inter Francos atque Longobardos maxime effloruerunt. Denique Imperatorum, *Conradi Salici*, *Lotharii II*, & *Friderici I*, constitutionibus præcipue formatum est jus illud feudorum, quod, quoniam in Italiæ, seu Longobardiæ, regno maxime vigebat, Longobardicum & ipsum vocatum est. Multum quoque lucis affundit universæ disciplinæ accurata, de feudi natura, & variis feudorum speciebus, disputatio. *Capite V*, quod est de rebus, in quibus feudum constitui solet, Autor etiam de Regalibus agit, secundum Constitutionem Imperatoris *Friderici I*, redditque rationem, quo respectu, in Jure Feudorum,

Regalia locum habeant; quam diversa hodie, in Imperio, illorum sit ratio, & quæ, in Regalium interpretatione, cautiones adhibendæ. Tum modos constituendi, & acquirendi, feudi exponit: investituram, præscriptionem, successionem. Multa hic de investitura proferuntur, notatu dignissima, non modo de diversis ejus ritibus, & symbolis, in universum, sed inprimis de feudorum imperialium investitura. Hac occasione & de laudemio agitur; ubi discedit Autor ab illis, qui laudemium feudale ab emphyteutico deducunt; ostenditque, antiquum fuisse, & huic disciplinæ proprium, ut domino muneris quid pro novo beneficio præstetur; olim quidem arma, & equos, gratissima militari ævo munera, offerri solita, donec pecunia magis placeret. Nec pœnitebit legisse, quæ de *Herista* inspersit Autor *§. 79*, & de præstatione Heergevettæ, cujus reliquiæ passim, in Curiis feudalibus, per inferiorem Saxoniam, manent. Sequitur *Cap. XI & XII* de effectibus Dominii directi, & utilis, & mutua inter Dominum & Vasallum obligatione, tractatio. Vindicantur hic notiones dominii directi, & utilis, tum diligenter de servitiis omnis generis, & de mutatione, quam temporis vicissitudines tam in militaribus, quam judicialibus, & Palatinis, servitiis, induxerunt, differitur, & *Cap. XIII* de oneribus & debitis feudalibus. *Caput XIV* est de modis, quibus feudum desinit. Inter illos, ubi appropriationis fit mentio, notatu digna sunt, quæ de sublato feudali nexu in Anglia, deque feudis appropriatis in provinciis Regis Prussiæ, adducuntur. In argumento de delictis, per quæ feudum committitur, solvuntur simul quæstiones, an privatio feudi fiat ipso jure; deque remissione feloniæ expressa, & tacita; ad quem recidat feudum, per feloniam apertum; & feloniæ actio an etiam adversus dominum locum habeat. Juri Publico maxime serviunt, quæ subjiciuntur de privatione feudorum, quæ fit per bannum Imperialem, deque ordine servando in eo judicio, & de ratione habenda agnatorum innocentium in feudis abjudicatis. Insigne inprimis varietate rerum, & usu quæstionum, quæ in eo disceptantur, est *Caput XV* de Judicio & Processu feudali. Juris-

dictio-

dictionem feudalem ex ipsa primæva feudorum consuetudine ortum habere, probat Ill. Autor, & ordinariam quidem esse, specialem tamen, & restrictam ad causas feudales, de quarum indole non una controversia vertitur. Tum de Curia Parium agitur; deque jurisdictione feudali, quam Imperator exercet in Consilio Aulico; & quatenus Judicium Camerale de feudis cognoscat. In explicanda jurisdictione feudali Statuum Imperii, ubi diversos ejus exercendæ modos recenset Autor, insigne momentum habent, quæ simul de foro Subfeudorum Imperii, deque jurisdictione in feudis extra Curtem, & Nobilitatis immediatæ, afferuntur. Actiones, quibus tam Dominus, quam Vasallus, utatur, juris sui persequendi, tuendique, causa, eædem sunt, quæ jure civili. Etiam in ordine Processus, & executione rerum judicatarum, quid obtineat, Autor ostendit. De stilo Curiæ monet, verba solennia, ex Actis cujuslibet Curiæ, & exemplis rerum judicatarum, tutissime addisci.

CAJETANI TACCONI, PHILOSOPHIÆ, MEDICINÆ, & Anatomes, Doctoris, in patria Bononiensi Universitate publici Lectoris, Academiæ Instituti Scientiarum Socii, atque in Archinosocomio Sanctæ Mariæ de Morte primarii Chirurgiæ Professoris, de nonnullis cranii ossiumque fracturis, eorumque conjunctione, itemque de Osteocolla, de raris Herniis quibusdam, de partu monstroso, nævis & maculis, quæ in fœtibus imprimuntur, Dissertationes; quibus accedit alterius monstri historia, a Clarissimo MATTHÆO BAZZANI descripta.

Bononiæ, typis Ferdinandi Pisarri, 1751, 4.
Plag. 5, cum Tabb. æn. 5.

Varia eruditionis physicæ ac chirurgicæ supellectile refertus liber est, & Autoris ingenium, inque arte facienda excellen-

lentiam, ostendit. De admirabili naturæ opere, quo illa ad farciendam substantiæ ossium jacturam procedit, acturus, varias calvariæ, aliorumque ossium, fracturas exponit, quas cum sanescere videret, lentam illam novæ materiæ osseæ evolutionem in diversis exemplis contemplatus est, viditque, tenuia novi ossis rudimenta ex rara aliqua membranea tela excrescere. Rarius illud exemplum erat, quod ex calvaria fissa desumtum est. Non enim tantum, illa modioli ac serræ usu excussa, sanguini effuso via patefacta, & vita servata ægroto, fuit, licet dura meninx vulnerata & lacerata, ipseque sanguis sub calva effusus, inque saniem conversus esset, sed novum etiam os successisse visum est, apparentibus primum membranis, deinde his in fibrosum aliquod & reticulare opus conversis, quo denique totus ossis hiatus expletus, novoque cutis apparatu investitus est. Cum ad sui complementum nova ossis stamina pervenerunt, callus dicitur. Sæpe, ait *Celsus Lib. VIII Cap.* 4 de calvariæ curatione, rimæ callo quodam implentur, estque ea ossis veluti cicatrix, & latius fracta ossa, si qua inter se non cohærebant, eodem callo glutinantur. Clarissimus Vir, *du Hamel*, Historiæ regiæ Parisiensis A. 1741 observatione de novis ossium staminibus agens, illa ex humoribus prærupturum ossis fibrarum sensim nasci docuit, atque modos illos, quibus ossa renascuntur, ex rationibus illis, quibus arborum substantia farcitur, æstimavit. Etiamsi autem ab illa sententia alienus Noster haud est; haud tamen obscure innuit, ex periostio recenti renascente nova ossis rudimenta fieri, atque illa desuper tum periostio externo, tum tunica, musculos succingente, claudi. Quæ omnia uti occasione fracturarum rarioris exempli exponuntur, ita simul de vario apparatu, ossa fracta continendi, deque arculis, tibiam fractam firmantibus, agitur, eorumque imagines sistuntur. Non minus exquisita est de rarioribus quibusdam herniis commentatio. Haud admodum frequens est coli descensus ad inguen & scrotum, ligamentis variis ad finem ilei nascentibus, & situm coli stabilientibus, atque ita directis, ut tubus ille, suo etiam volumine hiatum aponeoroticum longe superans, dilabi adeo facile haud possit. Factum tamen aliquan-

quando visumque a Clarissimo Autore hoc Herniæ exemplum fuit, quo colon ex dextro latere in scrotum propenderet, firmareturque novis veluti ligamentis, ex tendine musculorum abdominis nascentibus, siquidem vigesimo secundo, a quo morbus exorsus esset, anno æger occubuit, & singularem hanc ac veluti complicatam herniam lustrandi occasionem Autori fecit. Accedit felix in virgine captum herniæ, cruento modo repositæ, experimentum, cum manualis operæ, hunc in finem adhibitæ, expositionibus. Denique errores quidam naturæ, circa formationem fœtus a lege consueta aberrantis, explicantur, & Icones adjiciuntur, quæ formas istorum ludibriorum delineant. Puer enim, ex tubere magno, juxta capillitium eminente, deformis natus, & puella, truncis artubus genita, de causis monstrosorum partuum dispiciendi egregiam occasionem suppeditavit Autori, ejusque amico, *Bazzani*, cujus de monstrorum originibus ad calcem libri accessit Dissertatio. Uterque enim eruditorum Virorum de imaginationis effectu in fœtus hominum atque animantium reliquorum ita commentati sunt, ut dubitari porro nequeat, ex idearum matris impressionibus fœtus corrumpi.

TRAITÉ DE LA CONSERVATION DES GRAINS, & en particulier du froment, &c.

hoc est,

TRACTATUS DE CONSERVATIONE FRUMENTI, maxime vero Tritici, Autore DU HAMEL DU MONCEAU, Academiæ Scientiarum Regiæ Pariensi, & Societati Regiæ Londinensi, adscripto, Inspectore rei maritimæ per omnes, quotquot sunt, portus Galliæ.

Parisiis, 1753, 12 maj.
Alph. 1 plag. 2, cum Tabb. 12 æri incisis.


Quo rarius plerumque Physici operam suam in perscrutandis phænomenorum quotidianorum, hoc ipso, quod quo-

tidiana funt,eo utiliorum, caufis ponere confueverunt,eo majorem laudem meretur Nofter, qui, fpretis aliis Phyficorum Problematibus, utut alias magnificis & phaleratis, mifcere utile dulcimethodumque confervandi frumenti, adhuc ufitatam, emendare, & fic communi commodo infervire, maluit, quam ad eliciendas fcintillulas electricas globulum vitreum, & fimul tempus, maximam partem inutiliter, terere. Quantum enim ex frumenti confervatione utilitatis in rempublicam redundet, non modo per fe fatis in aprico eft, verum etiam ab Autore noftro exemplis, non ex antiquitate repetitis, fed noftra ætate obviis, luculentius in Præfatione demonftratum eft. Quibus rationibus motus Autor Celeberrimus, & cum, granaria vulgaria vitiis haud levibus laborare, obfervaffet, obviam illis ire conftituit, Cerere, ut ita dicamus, adeo non invita,ut potius experientia diuturna votis ipfius egregie refponderit, & Academia Scientiarum Parifienfis, cujus judicio primas hujus inftituti lineas, quæ *Caput primum* conftituunt, fubmiferat, methodum ejus affenfu fuo dignam judicaverit. Granaria vulgaria confervationi frumenti diverfis ex rationibus Autor invenit perquam incommoda. Partim enim altitudo frumenti, in iis depofiti, nifi fermentatione illud corrumpi velis, 18 pollices excedere non debet, partim ejusmodi acervus ex omnibus in circuitu partibus declivis eft, partim etiam circa illum ambitus,ut aditus ex omni parte pateat,relinqui debet,quæ,junctim fumta, efficiunt,ut ad frumentum deponendum fpatium longe lateque patens requiratur. Depofitum vero in ejusmodi granario frumentum furcillis fæpius moveri debet, ne fermentatione corrumpatur, &, licet hæc omnia, fumtibus haud levibus impenfis, obfervaveris, tantum tamen abeft, ut frumentum ab omni ulteriori detrimento immune fit, ut potius illud partim ultro citroque eundo conculcetur, partim per rimas granarii cadendo perdatur, partim vero, & quod maximum eft, injuriis avium, glirium, & infectorum. fit expofitum. Hifce igitur vitiis obviam ire in præfenti Tractatu Nofter conatus eft; quem in finem frumentum in arcam iligneam, undique claufam, non nifi in

oper-

TAB. IV ad Nov. Act. Erud. A. 1753 Mens. Jul. pag. 403.

Fig. I.






Fig. II.




Fig. III.

operculo gulis quibusdam relictis, recondidit, eaque ratione obtinuit, ut in ejusmodi arcam, 12 pedes longam, latam, & altam, 1728 pedes cubici frumenti recondi potuerint, cum e contrario tantum frumenti ſpatium 1680 pedum quadratorum ſecundum methodum vulgarem requirat. Quamvis vero hac ratione ſpatio inſigniter parcatur; tamen, cum ex tanta frumenti altitudine eo citior fermentatio immineret, huic ope ſingularis machinæ ventilatoriæ præcavit, quæ ut operari poſſit, frumentum non in inferiori fundo deponitur, ſed huic craticula lignea, tela craſſiori cannabina obducta, ſuperſtruitur, ſuper qua demum frumentum deponitur, quo facto, aer, per machinam in partem arcæ inferiorem preſſus, telam, & conſequenter frumentum, perſtringit, humiditatemque & calorem, cauſas fermentationis, ſecum aufert. Structuram machinæ modo dictæ, quam Autor, uti ingenue fatetur, ab *Haleſio* mutuatus eſt, breviter deſcribere, ob late patentem ejus utilitatem, a re alienum haud videtur. *AECF* & *EBDF* ſunt duæ arcæ ligneæ, octo gulis *H* & *G* inſtructæ, quarum illæ aerem in arcam intrare permittunt, hæ vero illum eructant in tubos, hunc in finem applicandos, & in granarium ducendos. In medio utriusque arcæ eſt planum ligneum tenue *LM*, in *MI* alligatum, circa *MO* vero mobile, quod diaphragma appellare Autori placuit. Huic diaphragmati applicatur ope fibularum *A* (*Fig. 3*) pertica *PQ* (*Fig. 2*), per foramen in *Q* tranſiens, cujus ope diaphragma, modo ſurſum tractum, modo depreſſum, aerem, per gulas *HH* ingreſſum, per gulas *GG* ex arca mittit in tubos, gulis *GG* dicto modo applicandos, qui demum eum eructant in granarium. Hæcce machina, qua certe ſimplicior nulla cogitari poteſt, vel ab homine, vel aſino, vel etiam ope molæ pnevmaticæ, præſertim ſi horreum magnum ſit, moveri poteſt, qualis mola etiam adhibenda erit, ſi plures machinæ ventilatoriæ ſimul moveri debent. Quamvis autem hac ratione calor & humiditas maximam partem auferatur, tamen, hanc methodum ad evitandam fermentationem non omnino ſufficere, experientia Autorem edocuit; quamobrem frumentum, præſertim recens & hu-

TAB. IV Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

midum, antequam in ſupra deſcriptum granarium recondatur, ope cribri, cujus tres ſpecies fuſius in ipſo Tractatu deſcribuntur, a pulvere, granis adhærente, & lolio purgari trina vice, poſtea vero in ſingulari conclavi, ope fornacis calefacti, exſiccari, debet; quod ut eo facilius procedat, conclave ita conſtructum eſt, ut frumentum, deſuper injectum, nemine opem ferente, ita ſeſe componat, ut ſuper tabellis, intus contentis, 3, vel 4, digitis altius non jaceat, quo calor fornacis facilius illud penetrare poſſit. Exſiccatum vero hoc modo frumentum, & in vulgari granario, donec defrixerit, depoſitum, denuo per cribrum mittitur, & tunc demum in granarium, ſupra deſcriptum, reconditur. Nec, hac ratione frumentum a calore corrumpi, objicere quis debet, ſiquidem experientia docuit, grana, hoc modo exſiccata, nihilo minus enaſci, præcipue ſi adhuc recentia ſint. Præterquam vero, quod frumentum, quippe a calore fornacis & aere exſiccatum, oryzæque ad ſimilitudinem redactum, ab omni fermentatione adeo tutum & immune ſit, ut potius frumentum jam corruptum hoc modo corrigatur, illud neque rapinæ avium, vel glirium, quippe qui in arcam undique clauſam intrare nequeunt, neque teredinum injuriis, eſt expoſitum, ſiquidem, teſtante Autore, frumentum, ita reconditum, ne minimam quidem inde injuriam ſenſit, aliis e contrario granariis, ſecundum methodum vulgarem inſtructis, eodem tempore ejuſmodi inſectis ſcatentibus. Quid? quod, quamvis Autor ejuſmodi ovulorum copiam in granarium ſuum injecerit, & teredinum quoque copia ſequenti anno inde enata fuerit, tamen, elapſo menſis ſpatio, intra quod arca clauſa fuerat, omnes perierunt, relicta cruſta, qualem hæc animalcula contexere conſueverunt, unica linea non craſſiore. Ad curculiones vero quod attinet, nullus eorum, qui in granarium, ſupra deſcriptum, conjecti fuerant, elapſo anno comparuit, poſtquam nullum adhuc cognitorum remediorum ad eos exſtirpandos ſuffecerat, nec Autor illos in conclavi calefacto, cujus ope frumentum exſiccatur, enecare potuerat. Ceterum Autor, ne quis putet, ſumtus, hac ratione impendendos, commodum, ex

hac

hac methodo sperandum, superare, comparationem instituit inter sumtus, in horreum secundum hancce methodum, & aliud, secundum methodum vulgarem exstructum, impensos, quorum illi ab his 160000 libris superantur, quamvis horreum Autoris 57600 pedes cubicos frumenti plus, quam alterum illud, capiat. Nihilo tamen minus optandum fuisset, Autorem calculum paulo distinctiorem omnium sumtuum, in utroque casu per aliquot annos necessariorum, adjecisse, quo facilius quilibet perspicere potuisset, utra methodus alteram compendio superet; alioquin enim maximopere verendum est, ne œconomi, deficiente ejusmodi calculo, tuta incedere via, & granaria sua, semel exstructa, retinere, quam spe lucri incerti nova horrea novis sumtibus exædificare, malint, præsertim cum homines ejusmodi plerumque præjudicatis opinionibus occupati sint, & hinc nova omnia iis suspecta esse soleant.

JACOBI THEODORI KLEIN HISTORIÆ AVIUM Prodromus, cum Præfatione de ordine animalium in genere; accessit historia muris Alpini, & vetus vocabularium animalium MStum.

Lubecæ, 1750, 4.
Alph. 1 plag. 7, cum Tabb. æn. 7.

Ea quamvis sit rerum creatarum natura, ut ob insignem suam varietatem, & artificiosam, quæ sensibus patet, partium structuram actionemque, hominum animos vehementer oblectent, & sui sæpius contemplatores in admirationem rapiant; tanti tamen laboris plena est, debito modo instituta, naturæ indagatio, ut scrutatoris mentem delasset, & compositis demum Physicorum viribus perficiatur. Ex his industrii *Kleinii* in pervestiganda rerum natura huc usque adhibitam operam æstimantibus, haud vulgares ipsi laudes, pro indefesso in physicis argumentis studio, decernendas esse, apparebit. Præter id enim, quod plures adhuc annos in abscondita Piscium historia perficienda consumserit Cele-

berrimus Autor, ad aves quoque, ut aeris incolas, oculi aciem, mentisque alacritatem, eum adhibuisse, & nunc perfectum de hoc argumento librum edidisse, gaudentes videmus. Ita vero Clarissimus *Kleinius* ordinavit materiam, ut primo omnium de principiis atque origine avium agat, alitum deinde genera in convenientem historiæ naturalis ordinem redigat, circuitus tandem, & stationes, & hibernacu-
Pag. 1. la, earum commemoret. Originem avium ex rerum omnium primordiis, & creationis historia, derivandam esse, censet, inprimis cum prisci jam Hebræorum, de hoc argumento solliciti, volucrum ortum partim e terra, partim ex aqua, deduxerint, & alii recentiorum in diversas de hoc argumento iverint sententias, reliqui vero illud, tanquam inutilem disquisitionis materiam, prorsus rejecerint. In his vero investigandis omnium optime se progressurum, confidit Celeb. *Kleinius*, si ad ipsam creationis, in sacris literis traditam, historiam respiciat. Postea igitur, quam *Moysen* ut historicum fide dignum, nec ex traditione majorum, sed ex ipso Dei instinctu, scribentem Autorem, proposuisset, contra *Bochartum* inprimis, &, qui hujus sententiam amplexi sunt, *Reinbeckium*, *Lilienthalium*, & *Zornium*, aves die creationis quinta, non ex terra, sed ex undis, creatoris jussu, originem sumsisse, defendit. Præter id enim, quod pisces, ut aquarum incolæ, haud levem cum avibus quoad structuram usumque partium, locumque, quem inhabitat utraque animalium classis, alant convenientiam, ex accurata textus *Gen. I, 20, II, 19*, quam Autor in hac tractatione suscipit, consideratione, haud absque omni veritatis specie, aves, easque die creationis quinta, ex aquis ortum traxisse, argumentari quis poterit. Cum vero in definitione rei disquirendæ fundamentum quasi disputationis positum sit, de ordine avium constituendo sollicitus
13. Celeb. Autor, ita easdem describit, quod sint animalia bipedia, aligera, plumosa, unde illa a reliquis animalibus volantibus, insectis, vespertilionibus, aliisque, discerni possunt. Cuncta porro, quotquot sunt, avium exempla in familias, genera,

nera, & tribus, dividit, & in familiis ordinandis ad pedum constructionem, in generibus determinandis ad rostri variam conditionem, in tribubus denique collocandis ad capitis indolem, vel aliam nonnunquam corporis partem, respiciendum esse, monet. Secundum has leges examinatæ aves, in octo familias abeunt, quarum singulæ, cum subnexis iisdem generibus tribubusque, breviter in præsenti, pro characterum differentia, perlustrandæ a nobis erunt. Avium itaque familia Pag. 16.
prima pedes habet didactylos, digito nullo postico præditos. *Struthio* primus & solus est, qui huc usque ad hanc familiam referri potuit. Hic, ob proceritatem pedesque instar cameli ungulatos, sive divisos, Struthio-camelus ab aliis dictus, rostrum habet plageoplateum, molliusculum, caput speciem anseris referens, collum incurvatum, alasque pro volumine corporis parvas. Familia secunda pedes habet tridactylos, tribus simplicibus, sive nudis, nec inter se nexis, digitis instructos, postico vero carentes. Sex sunt genera, quæ hanc familiam constituunt. Primum eorum est *Strutbio notbus*, qui, digitis tribus anterius versus, unguibus nigris, crassis, haud acutis, præditus, loco postici digiti, corpus subrotundum, grossum, durumque, plantæ pedum connatum, rostrum Struthionis æmulum, caudam fere nullam, corpusque habet ovatum. *Casearius* porro, qui genus secundum ingreditur, rostrum habet carinatum, quinque uncias superans, mediocriter crassum, in extremo parumper aduncum, rictumque amplum, cristamque, vel excrescentiam capitis, crassam, corneam, lævem, non angularem, exhibet, cauda insuper caret, alasque habet brevissimas. *Tarda* deinde, ut tertium hujus familiæ genus, est avis, quæ, satis nota, gallinaceo plerumque generi annumeratur, quamvis & rostro & pedibus digitisque ab eo differat, id quod ex variis, ab Autore recensitis, speciebus perspici potest.
Quartum genus *Gavias* sub se comprehendit, ita, ut Pardalis 19.
& Morinellus, aves, quæ & specie & forma sibi similes repertæ, & ab Autoribus sub Gaviarum genere comprehensæ fuerint, ad idem hoc genus a Celeb. *Kleinio* relatæ inveniantur, licet quædam earum præter tres digitos anteriores,

cal-

calcaneo spurio parvo, longius a planta pedis remoto, instructæ sint, quæ tamen anomalia characteristicam generis notam nulla ratione invertit. *Himantopus*, qui minus recte
Pag. 22. *Hæmatopus*, seu pica marina, cognominatur, quintum genus constituit. Id ut peculiare in hujus generis avibus notamus, eas tam longa, tenuia, flexilia, sanguineoque colore tincta, a natura accepisse crura, ut ex viginti unciarum longitudine, quæ, si a summo capite ad medii digiti extremum usque numeres, totius animalis est altitudo, sola crura duodecim uncias æquent. Rostrum præterea rectum, uncias duas cum dimidia longum, nigricans, ex utraque parte interiore sulcatum, hujus generis avibus proprium est. Agmen hujus familiæ *Ostralega* claudit, quæ, ad sextum & ultimum genus relata, rostrum habet rubrum, ciconiæ simile, ad radicem dentatum, læve versus exitum, & pedibus satis altis rubentibus atque squamatis incedit. Tertia familia exinde a reliquis separari debuit, quod omnes, ad eam pertinentes, aves pedes habeant tetradactylos, duos nempe digitos in parte anteriore, & totidem posteriori plantæ faciei accretos, & eos quidem omnes simplices. Ex his nonnullæ adscendunt in altum, descenduntque opitulante rostro adunco, aliæ adscendunt cauda suffultæ, rostro præditæ cuneiformi, quædam tandem, per arborum ramos saltantes, insecta fructusque venantur. Totidem, ut in præcedenti, genera hanc familiam ingrediuntur, ex quibus *Psittacus* primus omnium considerandus venit. Is, ex Autoris definitione, rostrum habet crassum, hamatum, cujus mandibula inferior multo brevior est superiore, pedes digitosque carnosos. Permultæ hujus generis sunt species, quæ, magnitudine, rostro, coloribus, aliisque corporis proprietatibus, inter se differentes, sat copiose a Celeberrimo Autore enu-
26. merantur. Genus secundum *Picum* sistit, qui, rostro recto quadantenus anguloso & cuneiformi, lingua prælonga, in exitu aculeo osseo dentato munita, instructus, pedes habet breves, ast firmos & musculosos, digitos anticos duos, totidemque posticos, eorumque duos exteriores pone & retro longiores, aduncos præterea acutosque ungues. Sequitur hunc tertio

tertio loco *Cuculus*, quem *Frischius* varias ob rationes, sed minus recte, ut Autor noster optime demonstrat, ad Pici genus retulit. In quarto genere constituendo, quæstionem movet Celeb. Autor, num *Ispida*, quod nomen ipsi genericum est, cum *Alcyone* veterum, seu *Alcedine*, pro una eademque sit habenda. Negat hoc, a quibusdam recentiorum ventilatum, assertum exinde, quod Ispida duos digitos anticos, & totidem posticos, habeat, Alcyon contra, seu Ispida peregrina, tres digitos in anteriori, unum vero in posteriori, pedis parte ostendat. *Tauraco*, qui quintum genus ingreditur, regiæ avis nomine ab aliis insignitus, rostro brevissimo instructus, in capite plumis condecoratus, conspicitur. Sextum genus *Nasutum*, seu piperivorum, habet, cujus rostrum duos palmos fere longum, unum latum, inferios pars, ubi crassior est, videlicet prope oculos, duplo minor est superiore, & prope finem, ubi recurvum est, etiam triplo, substantiæ tenuissimæ. Cum, quod ad pedes, eorumque digitos, adeo varient Physicorum descriptiones, in rostri tantum disquisitione acquiescendum esse, monet Autor, ex qua, cum plerorumque Autorum figuris comparata, illud ut indubitatum apparet, hanc avem non ad Pici genus, uti nonnulli arbitrati sunt, referendam, sed in peculiari genere pertractandam, esse. Familia avium quarta, quæ Pag. 39.
numerosissima & nobilissima est, eas recipit aves, quæ pedes habent tetradactylos, digitis tribus anticis, & unico postico, omnibus tamen simplicibus, præditos. Primum earum genus *Accipitres* habet, qui exinde, quod alia animalia venentur, & cum impetu in ea ruant, nomen traxerunt. In quatuor & hoc genus a Celeberrimo *Kleinio* dispescitur tribus, quarum prima *Aquilas*, altera *Vultures*, tertia *Falcones*, ultima denique *Ululas*, complectitur, & per suas singulæ species dilucidantur. Genus hujus familiæ secundum *Corvis* atque *Corni-* 57.
cibus dicatum est, qui pedes habent squamatos, plerumque nigros, vel nigricantes, rostrum cultratum, in exitu uncatum, & hujus quidem mandibulam superiorem longitudinaliter fornicatam. Ad *Picas*, ut tertium genus, accedimus, quæ proxime corvos attingunt, & in eo tantum ab iis discrepant, quod

ipsæ caudam habeant longam, & brachypteræ sint, corvorum
Pag. 64. contra plerique macropteri. Quartum genus *Sturnos* conti-
net. Hi linguam habent bifidam, picis congeneres sunt,
nec multum pedibus differunt, eo excepto, quod posterior
digitus plerumque longior sit, rostum vero depressum. *Tur-
dus*, ut quintum genus, elato est pectore, rostrum fert medio-
criter firmum, cujus acies hebent, mandibula inferior recta,
superior in medio decrescens, levi unco inferiorem parumper
71. superat. In genere sexto *Alaudæ* collocatæ inveniuntur, qua-
rum rostrum tenuius est turdorum rostris, aciebus obtusis
præditum. Præcipua hujus generis avium nota est digitus
posticus, ungui prælongo, in acutum producto, ab aucupibus
73. calcar dicto, instructus. Genus septimum *Ficedulis* dicatum
est, quæ quoad rostrum tenue, acie hebeti instructum, cum
alaudis conveniunt, sed ungues digitorum quatuor breves, &
fere inter se æquales, sine calcari, habent. In tres illæ tribus
80. discedunt, *Lusciniam* nimirum, *Trochlodyten*, & *Sylviam*.
Octavum hujus familiæ genus *Hirundines* continet, quæ ro-
strum habent pro quantitate capitis breve, tenue, quasi mem-
branaceum, ad radicem latum, compressum, mox in apicem
decrescens, pedibus brevissimis, unguibus tamen acutis, lon-
gisque alis, instructæ. Ob solam caudæ differentiam in tribus
duas abeunt hirundines, ita, ut alteri genti cauda æquabilis sit,
id est, non divisa, alterius gentis mediæ pennæ in cauda bre-
84. vissimæ sint, ut cauda divisa appareat. In genere nono *Pa-
rus* invenitur, cujus rostrum breve, secans, quadantenus angu-
losum, mandibulæ æquales acutæ, deprehenduntur. Decimo
loco *Passeres* commemorantur, qui rostra trochiformis,
aciebus exquisite secantibus, & fortiter acutis, instructa, osten-
dunt. Ipsa eorum rostra cito ex ampla radice decrescunt in acu-
tum, vertex elatus est præ reliquis aviculis. Hoc genus gen-
tem suam distinguit tribubus quinque, quæ sunt: *Pas-
ser* vulgaris, *Emberiza*, *Linaria*, *Coccotbraustes*, & *Fringilla*.
Undecimum genus *Scolopax* constituit, quæ rostro recto cy-
lindrico producto, basi ossea ex cranio procedente, prædita est,
ex qua oriuntur mandibulæ, corneæ substantiæ, acie obtusa,
flexi-

flexiles, valſellam formantes; pedum digiti prælongi, tenues. *Glareola*, a glarea dictæ, duodecimum genus ingrediuntur. Hæ vulgo cum Scolopacibus confunduntur, a quibus non ſolum bonitate carnis, ſed & roſtro, tenui quidem & corneo, aſt multum breviore & conico, vel pyramidali, anguſto, in exitu obtuſo, ſuperiori mandibula anguloſa, diſtinguuntur. Pedes præterea habent elevatos, cruraque longa, digitos fortiores anticos, quam ſcolopaces, poſticus vero brevis eſt, altius a planta poſitus, ut mucrone unguis ſaltem humum attingat, ave erecta. Decimum tertium genus *Rallum* Pag. 101
habet, cujus roſtrum, ad latera quaſi compreſſum, forte vel unciam longum eſt; ipſe poſtico digito cum medio antico, in linea recta ad plantam poſito, producto, omnibus longis, unguibus brevibus, cruribus longis, inſtructus eſt. Decimum quar- 104.
tum locum *Mellifuga* occupat, quo nomine Autori veniunt aviculæ omnes, quæ pro volumine corpuſculorum, ſatis longa quidem, aſt recta, non incurva, roſtriola, mandibulis æqualibus prædita, ferunt. In decimo quinto genere *Falcator* eſt, a roſtro falciformi cognominatus. Duas is tribus conſtituit, quarum prima *Falcinellum* complectitur, altera vero *Arquata* appellatur, ex quarum ultima *Numerius*, *Merops*, & *Upupa*, deſcendunt. *Gallinaceum* genus decimum ſextum eſt in ordi- 111.
ne, quod inde a reliquis dignoſcitur, quod omnes, ad illud pertinentes, aves roſtrum habeant pro corporis ratione breve, validum, in utraque mandibula nonnihil incurvum, aciebus obtuſis inſtructum, vel calcaribus cuſpidatis, vel illorum loco brevibus humilibusve tuberculis, ſive oſſeis, ſive ex cute duris, donatæ. Præter varietates ſeptem hujus generis ab Autore conſtituuntur ordines, hiſce quidem nominibus inſigniti: *Alector*, *Pavo*, *Maleagris*, *Phaſianus*, *Perdix*, *Coturnix*, *Lagopus*, qui ſinguli fuſius ab eodem declarati hic apparent. Decimum ſe- 118.
ptimum genus *Columbinum* eſt. Aves, ad hoc genus pertinentes, pedes habent rubros, breves, alasque longas, vocem gemebundam; etiamſi roſtra inter ſe differant, tenuiora, craſſiora, breviora, longiora, comparata tamen ſunt in utraque mandibula prout roſtra avium, in præcedenti genere recenſitarum. *Grus* decimum octavum locum occupat. Is ab *Ardea*, ſe-

quentis generis ave,in eo differt,quod hac ipsa 1) major, 2) ungue medii digiti minime serrato, 3) rostro breviore, 4) ventriculo musculoso, 5) asperæ denique arteriæ revolutione mira, donatus sit. Decimum nonum genus *Hamiotæ* nomen præ se fert, & in tres tribus discedit, *Ardeam* nimirum, *Ciconiam*, & *Anomalorostrum*. Ad ultimam tribum quod attinet, de ea notamus,avium,illuc collocatarum,rostrum vel cochleare, vel sinuosum, vel conicum, in exitu incurvatum, deprehendi, unde *Platea*, *Phænicopterus*, *Tantalus*, seu *Loculator*, ad
Pag. 127. eam referri merentur. Ultimum genus *Jaculatorem* continet. Is elongatum rostrum paxilliforme,in fine acutum,ostendit, curtos habet pedes, pone digitum unum, ante tres. Fa-
128. milia quinta aves continet, quæ, cruribus brevibus instructæ, pedes habent tetradactylos, digitis tribus anticis integris, forti membrana conjunctis,unde *Plotti*, vel palmati, cognominantur, postica vero simplici, instructos. Ob rostri diversam indolem, in duo genera hæcce familia dispescitur. Primum eorum, quod aves habet, quæ rostris plageoplateis præditæ sunt, in duas abit gentes, *Anseres* scilicet & *Anates*, quæ ita inter se differunt, ut Anseres corpus habeant magnum, dorsum elatum, collum longum, rostrum forte, pedes, inprimis altiores, & medio ventris propiores, cum Anatum pedes uropygio proximi sint, ut anterior corporis pars præpondium habere videatur, & pectore vacillantes, podice-
156. que crissantes, incedant. Alterum hujus familiæ genus aves complectitur, quæ rostra habent coniformia, vel anomala, e radice vel in acutum, vel in obtusum, conum producta, levique curvatura in exitu notata. Quatuor, quæ inde exsurgunt, gentes ita a se invicem distinguntur, ut *Lari*, quæ primam earum constituunt, aves sint macropteræ, alis longis, brevibus, iisque palmatis, pedibus, donatæ, & earum plurimæ in inferiori mandibula quasi articulum, vel eminentiam, linea recta interrupta excurrentem, quædam mandibulas utrasque rectas, aliæ æquabilem rursus, aliæ forcipatam, habeant caudam; *Serratores* deinde, ut gens secunda, mandibulas productas & serratas, finem superioris, quasi unguiculo incurvato

dona-

donatam, unguesque digitorum acutos, oſtendant; *Ploti* porro, anomalopedes aves, quæ ad tertiam gentem pertinent, & *Mergi* dicuntur, pedibus extra hypomochlion corporis poſitis, anoque proximis, ita, ut incedere nequeant, roſtro longo, vel coniformi, ab Anatibus, antea nominatis, aliisque hujus familiæ avibus, diſcrepent; *Ploti* tandem *anomaloroſtri*, ut quarta gens, ob variam roſtri incurvationem figuramque, peculiarem locum ſibi vindicent. Aves, in ſextam familiam re- Pag. 142.
latæ, pedes habent tetradactylos, omnibus digitis mediante membrana conjunctis, palmipedes; *Planci* ab Autore cognominati, & in varias ſpecies abeuntes. Familiæ ſeptimæ ſubjecta, quæ *Plauti* nomen acceperunt, pedibus inſtructa ſunt tridacty- 146.
lis, forti membrana conjunctis, palmipedes, digito nullo poſtico prædita; corpus habent quaſi ovatum. Octava & ultima 148.
avium familia *Dactylobos*, ſive *dicroatos*, continet, aves ſcilicet, pedibus tetradactylis, vel digitis lobatis, vel digitis utrinque fimbriatis, plerumque & poſtico, inſtructas. Harum omnium roſtra ſunt recta. Ex his *Colymbi*, vel *Urinatores*, ungues habent latos, & podicipedes ſunt. A mergis in eo differunt, quod illi per aliquod tempus ſub aquis natent, mergi vero ad prædam præviſam in aquis capiendam ſeſe ſubmergant, cum præda mox emergentes. Reliquæ hujus familiæ aves, quæ *Fulicarum* nomine veniunt, ſemicirculis lobatæ in digitis utrinque, ſub aqua natant, & radere poſſunt eandem. Hæ ſunt ſingulæ avium familiæ, quarum plures non dari, quamvis genera ſpeciesque multiplicari adhuc poſſint, indefeſſus *Kleinius*, & recte quidem, aſſerit. Haud inutilem certe laudatiſſimus Autor perfecit laborem, dum ſingularum avium pedes & crania, ut ordinis a ſe conſtituti fundamentum in eo, quem condidit, rerum naturalium theſauro diligenter ſervaret, accurate notavit; hosque omnes, qui ulterius in perſcrutanda avium hiſtoria progredi cupiunt, egregie ſcopum præfixum aſſecuturos eſſe judicamus, ſi via, ab induſtrio Viro ipſis parata, incedant. In *tertia* præ- 54.
ſtantiſſimi hujus Operis *Parte* in eo occupatum videmus Noſtrum, ut, quænam aves erraticæ, quæ migratoriæ,

Fff 3 deni-

denique, ubinam nonnullæ, ſpeciatim hirundines & ciconiæ, hibernent, fuſius declarare ſuſcipiat. In his perſcrutandis, quamvis fabuloſa multa, futilia, atque incerta, ſæpius relata inveniantur, hiſtorias tamen, a fide dignis Autoribus de hoc argumento conſcriptas, colligere & dijudicare, labor eſt, operoſus licet, utilitate tamen non carens. Ne igitur ordine deſtituatur inſtituenda hæcce disquiſitio erraticarum & migratoriarum avium, notiones earum tractationi ipſi Autor præmittit. Priores appellat aves, quæ quidem quotannis, verno & æſtivo tempore, nobis ſunt familiares, multiplicantes genera ſua, appropinquante autem hieme, gregatim concurrunt, loca nativa ob defectum victus relinquunt, prata, dumeta, campos, viasque publicas,turmatim peragrantes,quaſi de loco uno ad alium mendicantes, & in itinere cum aliis ſui generis ſeſe conjungentes, atque hac ratione, ſive in conſpectu noſtro, ſive clanculum, regionibus noſtris plane ſe ſubtrahunt, pari autem ratione, abſoluto circulo, revertentes, domicilia ſua rurſus occupant. Migratoriæ vero vocantur, quæ vel aliunde inſtar examinum, aut numeroſi exercitus, ad nos veniunt, ſive primo, ſive ſerotino, autumni tempore, ultra regionem noſtram migrantes, val quæ apud nos æſtivant, multiplicantes genera ſua, & verſus autumnum, aut hiemem, gregatim vel avolant, vel elementum mutant, appropinquante vere e locis, ubi hibernarunt,ad nos & in conſpectum noſtrum redeunt,quarum nonnullas in aere quidem audire,non autem cernere,licet. Ex his tertius avium ordo exſurgit, earum nimirum, quæ nec aberrant, nec transmigrant, verum per quatuor anni tempora in ſylvis, campis, fluviis, & juxta domicilia noſtra, nobis familiares degunt. Illud præterea notatu dignum eſſe videtur, quod aves ita,ut reliqua animalia, alias mundi partes ordinarie vix tranſeant, ibique domicilia ſtruant, ſed, ſi quando adveniant, ob convenientiam loci natalis, vel quod aquaticæ, aut erraticæ, ſint, in diſſitis a patria locis nonnunquam conſpiciantur. Licet enim in aliis mundi partibus, in utraque cumprimis India, permultæ aves inveniantur, quæ quoad notas genericas cum nonnullis noſtratum conveniunt, forma

tamen

tamen atque coloribus variis, a climate victuque diverso provenientibus, ita inter se differunt, ut, in dissitis quoque locis visæ, pro nostris, in illas regiones iter facientibus, nullo modo haberi possint. Cum itaque, si de migrationibus & oberrationibus avium dicendum est, ad indigenas potissimum, nobisque quotidie obversantes, respiciendum sit, quo rectius de nostratibus judicari possit; operæ pretium visum est Celeberrimo *Kleinio*, de avibus peregrinis, & aliarum regionum incolis, primo omnium dispicere, sive illæ indigenæ, sive migratoriæ & erraticæ, sint. Primo itaque Carolinienses & Virginienses recenset, per Islandiam deinde montesque acutos in Lapponiam devenit, per Finlandiam porro in Prussiam revertitur, & singularum ex his provinciarum aves enumerat, earumque characteres, itinera, mores, escam, aliasque proprietates, ostendit, insimulque, quænam earum migratoriæ, quæ contra erraticæ, sint, declarat. In Prussicis vero, ut patriis, eam Celeb. Autor adhibuit operam, ut naturalem, quem in *secunda* hujus operis *Parte* instruxerat, ordinem tanquam normam sequatur, &, singulas avium familias, earum genera & species, perlustrando, quænam ex iis familiares atque indigenæ sint, & quomodo pro diversis anni temporibus, ratione victus, itinerum, & stationum, se habeant, accurate doceat. Quamvis vero in his declarandis de avium singularum hiemationibus jam dictum sit, & inter alias Lusciniæ, durante hieme, in arenosis & altis litoribus locus assignetur, in quo profundo somno oppressa, famem deprimat; Hirundinum tamen & Ciconiarum hibernacula peculiari oratione complectitur, idque eam inprimis ob rationem, quod de his præ reliquis avibus, ad hiemationes earundem quod attinet, multæ & fabulosæ sæpius circumferantur historiæ. Priscis jam æque ac recentioribus temporibus de hirundinibus controversiam motam fuisse, deprehendimus. Nonnulli enim easdem autumni tempore sub hiemis initium migrare jusserunt, alii, quasdam earum, a migratione relictas, deplumari, & in angulis foraminibusque per hiemem residere, opinati sunt; alii tandem, in stagnis fundoque aquarum omnes earum exanimes quasi

Pag. 161.

quasi hiemare, contendunt. Ex his ultima præ reliquis sententia accurata investigatione indiget, quæ ut eo felicius perficiatur, ad tria potissimum momenta respiciendum esse, monet doctissimus *Kleinius*. Videndum nimirum est primo, quibus moribus hirundines utantur in aliis mundi partibus extra Europam. Perraræ in Africa hirundines sunt, quibus certe, si copiosæ quoque adessent, migratione ob cœli clementiam opus non esset. In Græcia hirundines, *Herodoto* teste, per totum annum sunt, oculis tamen æque ac Asiaticæ durante hieme se subtrahunt. Ex Latinis *Plinius* jam de hirundinum migratione dixit, quamvis locum, in quem abeunt, non indicet; ut adeo ea, quæ de hirundinibus in aliis regionibus proferuntur, vel mutila, vel fabulosa, sint. Videndum secundo, quot differentiæ, vel species, hirundinum in Europa, & utrum omnes sint unius generis. Ad hanc quæstionem respondet Autor, hirundinum cauda divisa quatuor dari species, omnes unius generis, domesticam scilicet, rusticam, ripariam, atque murariam. Tertio denique loco, quid de moribus hirundinum, intra terminos Poloniarum & Prussiæ stabulantium, experientia & doctos, & indoctos, doceat, disquirendum venit. Aliæ aves, quæ migratoriæ non sunt, in Polonia ac Prussia & ubicunque locorum, pro diversis moribus suis, hieme, libero aere fruuntur, aliæ rursus sub saxis & radicibus arborum depositoria sibi parant, unde pro victu quærendo exire, eoque redire, possint, aliæ vero vel in cavis arboribus, vel in terra, se condunt, & lethargiam morti proximam contrahunt, altoque somno oppressæ requiescunt, usquedum frigus hibernum desinat. Hirundines vero ripariæ sub climate nostro corpus deponunt languidum in cuniculis, quos æstate sibi pararunt, ubi frigus a superficie infringere nequit, occlusis hibernaculorum ostiis, verno tandem tempore conclusuram removentes, inde eas per hoc tempus lentore corripi necesse est, quamvis, ob defectum putredinis, vita adhuc superstes sit. Hirundines murariæ in fissuris murorum, & sub tignationibus æque, ac in arboribus excavatis, reperiuntur, uti adducta testimonia probant. Domesticæ tandem & rusti-

rusticæ dictæ hirundines, quarum fata ipse Autor se non expertum esse profitetur, ex communi sententia terreum aereumque elementum cum aqueo permutavit. Hoc certum est, ejusmodi aviculas, inprimis hirundines rusticanas, quamdiu cœlum adhuc aliquantisper temperatum est, observari; segnescentes tamen, & terram fimetaque petentes, ut adeo ob virium defectum longinquas migrationes in Africam, aut Ægyptum, suscipere nequeant. Necesse igitur est, ut sese occultent, id quod, ex relationibus aliorum, varia ratione perficiunt. Aut enim in arundinetis folio cannæ sese committunt, tandemque submerguntur, aut secundum familias stramen tollunt, quo, rostris prehenso, submerguntur, aut pedibus se invicem prehendunt, & quasi conglobatæ in aquam descendunt, ut varia, quæ fidem mereri videntur, ab Autore adducta testimonia confirmant. Et simili quidem ratione illas in aquis vitam morti similem degere posse censendum est, uti de ripariis, in terra per hiemem quasi sepultis, satis constat. Moveri adhuc posset quæstio, qua ratione hirundines ineunte vere ex aquis rursus emergant; quam ita discuti posse existimat: quod dictæ hæ aves, ob vasa contracta aqua graviores, ad fundum demersæ, verno tempore leviores rursus redditæ, eodem modo ex aquis exsurgere queant, quo aliæ aves, ut jam ante notavimus, aquis sese immergunt, ibi aliquandiu persistunt, tandemque ex iis rursus proveniunt. Ab his ad Ciconias transit Pag. 220.
Celeb. Autor, &, quibus moribus illæ imbutæ sint, ubinam hibernent, disquirendum sibi sumit. De Ciconiis jam olim, eas latere, affirmavit *Aristoteles*; alii antiquorum, eas plagam aeremque mutare, perhibent, nescii, quo illæ se conferant; alii rursus, a septentrione versus meridiem eas abire, opinantur, alii denique, eas, ut hirundines, sub glacie hibernare, asseverant. Expensis his Autorum sententiis, illud pro indubitato habet industrius Autor, de hibernaculis ciconiarum nihil certi constitui posse. Quodsi tamen ponamus, versus *Bartholomæi* diem ciconias nostras clima mutare, concedi quoque cum *Isidoro* posset, easdem ad fines 225.
Europæ contermines in Asiam juxta flumina, vel in loca pa-

 ludosa

ludoſa & deſerta Coſacorum magnæque Tartariæ, abire, ibique vel a cicudis, quæ innumerabiles in paludibus generantur, victum ſumere, vel araneis, ſimilibusque animalibus, quæ a locis uliginoſis continuo ſuppeditantur, veſci. Hoc certum, neque acceſſum, neque diſceſſum, ciconiarum obſervari, licet hieme ingruente diſpareant. Quamvis vero certi quidquam de Ciconiarum ſub aquis hibernaculis, affirmari nequeat; eas tamen ſimili, quo hirundines, modo ſub aquis vitam torpidam vivere poſſe, pro re poſſibili habet Autor, magis adhuc in hac ſententia teſtimonio confirmatus, quod, A. 1729 menſe Januario ciconiam emortuam, in loco tepefacto reviviſcentem, & diu ſuperſtitem, e mari Baltico a piſcatoribus extractam fuiſſe, comprobat. His de avium ortu, ordine, atque hibernaculis, huc usque commemoratis, brevis hiſtoria naturalis Muris Alpini ſubnexa eſt. Nomen is habet a ſummis Rhetiæ Alpibus, in quibus habitat, & in Sabaudia Marmota nominatur. Ad formam horum murium quod attinet, fele domeſtica corpulentiores ſunt, juniores rufi, adulti ſubfuſci coloris, pedibus brevioribus, capite contracto, naſo quaſi diviſo, ore felinis pilis ſtipato, dentibus ſciuri, vel potius fiberinis, collo dorſoque latis & obeſis, auribus decurtatis, quaſi mutilis, rotundis, oculis ſpecioſis prominentibus, cauda inſtar Muris Avellani, quaſi compreſſa & piloſa, palmum cum dimidio longa, digitis unguibusque ſciuri æmulis, ſed fortioribus. Hanc, quam exſcripſimus, hujus animalis definitionem alia, quæ victum vivendique rationem, & reliquas ejus affectiones, ſpectant, ſequuntur momenta, quæ ab Autore dijudicantur, & ad veritatis regulam expenduntur. Finem imponit præſtantiſſimis ſuis hisce laboribus Celeberrimus *Kleinius*, vocabularium animalium, quod, circa annum 1420 conſcriptum, in Bibliotheca Carthuſiæ in Pruſſia latuit, cum eruditis communicando. Continet illud Latinas, cum appoſitis Germanicis, ſingulorum animalium appellationes, & aves primo, deinde piſces, porro quadrupedia, tandemque vermes, ſiſtit. Reſtat demum, ut pauca ad-

adhuc de Præfatione hujus Operis dicamus, in qua Autor ordinem animalium in genere considerandum sibi proposuit. Animalium nomine corpora organica viva appellantur, quæ libere ab uno loco in alium sese movere possunt. Is est eorum numerus, eaque diversitas, ut, nisi ordinem, qui in natura illorum fundatus est, sequamur, rite omnia perlustrare nullo modo queamus. In motu vero animalium, ex ea, quam fovet Autor, sententia, fundamentum ordinis ponendum, & ex considerandæ sunt corporis animalis partes, quæ liberrimum huncce motum ut instrumenta perficiunt. Pedes itaque, vel ejusmodi corporum partes, quæ vices pedum subeunt, motumque animalium efficiunt, perlustrare oportet. Ut enim motus species variæ sunt, sic ipsa quoque, motum præstantia, organa inter se differunt, tametsi cuncta, quæcunque sumas, animalia aliquam motus speciem exerceant. Inde etiam est, quod animalia vel bipedia, vel tetrapedia, vel polypedia, vel apoda, sint, &, motus, quam exercent, ratione, in volatilia, serpentia, reptilia, & natantia, distribuantur. Ut per exemplum divisionis modus appareat, quadrupedia ita dividit Celeb. Autor, ut duos eorum ordines sistat, quorum primus animalia, pedibus cheliferis instructa, continet. Horum quatuor sunt familiæ, quarum prima *monochela*, sive *onochela*, secunda *dichela*, pedibus, in duas chelas fissis, instructa, tertia *trichela*, quarta *pentachela*, complectitur. Ordo vero secundus animalia, pedibus digitatis prædita, recenset, & in quatuor ipse familias abit; quarum prima *didactyla*, secunda *tridactyla*, tertia *tetradactyla*, quarta *pentadactyla*, sub se comprehendit. Nec, si quid judicare valemus, quisquam erit, qui, alienam a rei natura, aut difficilem admodum, aut artificiose nimis excogitatam, hanc sibi, dicat, methodum videri, nec hoc etiam nomine præstantissimo *Kleinio*, de natura, ejusque operibus, multis modis præclarissime merenti, vehementer applaudat.

QUINTI HORATII FLACCI OPERA.

 Lon-

Londini, apud Gul. Sandby, 1749, 8 maj.
Alph. 1, cum Tabb. æn. 35.

Consilium suum Editores in præmissa operibus Poetæ præfatiuncula breviter exposuerunt. Pigebat, videre, melioris ævi scriptores, minus emendate, minusque eleganter, excusos, in manibus eruditorum versari. Æquum igitur esse putarunt, majore tales Autores cultu, & emendatius, in lucem emittere. Speciminis loco *Horatium* elegerunt. Nec inficiari possumus, chartam, typos, & atramentum, suo se nitore, suaque elegantia, lectori satis commendare, quanquam mendis typographicis hæc editio non omnino vacua sit, e. g. *Carm. I, 17, 4 ; 36, 5*, &c. Præfationem excipit vita *Horatii*, *Suetonio Tranquillo* Autore. Præcipuum autem hujus editionis ornamentum faciunt signa, picturæ, & numismata, æri incisa, & suo quæque loco inserta. Ex variis illa antiquitatum thesauris desumta sunt, & ita disposita, ut lucem *Horatio* addant majorem fortasse, quam longiorum farrago annotationum, majori etiam sint ornamento, quam figurarum copia, natarum in cerebro chalcographi. Longum foret, omnes illas, quæ hic reperiuntur, figuras percensere, cum & alibi reperiantur. Nec tamen Tabulam illam omittendam ducimus, quæ frontem libri ornat, &, quantum scimus, nondum adhuc fuit evulgata. Desumta illa est ex Museo Viri illustris, *R. Meadii*, sistens *fragmentum picturæ veteris in pariete factæ, Romæ A. 1727 inter Palatii Cæsaris Augusti rudera, ubi nunc sunt horti Farnesiani, in monte Palatino, repertum, in quo sex figuræ arte exquisita & nitidis coloribus sunt expressæ, quarum una exhibetur Augustus ipse sedens, & coronam alicui (cujus imago est abrupta) protendens, Phraati, ut quidam non vane augurant, flexis genibus, de quo* Horatius:

— — Jus imperiumque
Phraates Cæsaris accepit genibus minor.

Epist. Lib. I Epist. 12 v. 27, 28.

Ceteri

Ceteri aulici adstant, inter quos Mæcenas toga cærulea indutus, & pone eum M. Agrippa *humero ejus dextram imponens, prout harum imaginum cum numis gemmisque similitudo ostendit. Quo quidem argumento, & sua ipsius descriptione, ducti nonnulli,* Horatium *ipsum inter sui patronos & amicos clarissimos exhiberi volunt, extrema nempe illa corporis exigui figura, Mæcenatis latus claudente.* In fine variantes lectiones, & conjecturæ doctorum virorum, in unum corpus collectæ, reperiuntur. Palmam sine dubio ceteris, quæ sine Commentariis prodiere, editionibus omnibus hæc ipsa præriperet, nisi elegantissimam illam haberemus totam æri incisam, & similibus figuris, ex antiquitate desumtis, adhuc splendidius ornatam, quæ ante aliquot annos Londini prodiit.

DE BIBLIOTHECA INSTITUENDA ET ORDINANDA liber.

Veronæ, apud Jo. Albertum Tumermanum, 1747, 4.
Plag. 5.

Plura hic præstat, quam in titulo promisit, *Julius Cæsar Becellius,* & pauciora. Dimidium opus absolvitur tractationibus, cum argumento non indissolubili vinculo conjunctis; &, postquam tandem ad rem ipsam pervenit Autor, hanc absolvit paucissimis, multas sectatus ambages. Ut enim, quicquid hic dicitur, velut in nuce proponamus, Bibliothecarum ordinationem ad diversas scriptorum linguas, post ad ætates, accommodare jubemur. Sed, cum reliqua etiam, a Nostro dicta, gratiis suis haudquaquam destituantur, illius vestigia prementes, inde quædam observabimus. Quod *Meursius & Fabricius* in Græcis & Latinis præstiterunt, idem fecit Seculo XV *Antonius Franc. Donius,* utraque Italica Bibliotheca sua, qua re merito primus omnium Bibliothecarius dicendus est. Ex ejus altera Bibliotheca libri, qui manu scripti fuere, propemodum omnes interierunt, ut & ex elencho Autorum, ab Academia, quam Cruscam appellant, in Hetrusco Dictionario nominatorum, quot Pag. 6.

Pag. 7. Italorum libri perierint, cognoscemus. Hinc in causas inqui-
ritur, quare tot libri perierint, & inter alias hæc ponitur, quod
Mahometes, aliique Turcarum Reges, legibus caverint, ne Thra-
ces literis operam darent, unde sit perfacilis conjectura, libros
orientalium Bibliothecarum ab iisdem igni fuisse traditos.
Ejusdem indolis fuisse dicitur *Franc. Quevedius*, Hispanus,
qui Deo in libro quodam supplicaverit, ignem de cœlo mitte-
ret ad immensam novorum librorum colluviem depascen-
9. dam. Ad perniciem librorum quoque refertur scribarum
& Criticorum culpa. Sic *Aristotelis* libris accidit, ut eorum
quidam, etsi forsitan ab *Aristoxeno*, *Ammonio*, *Alexandro
Aphrodisiensi*, reliquisque Sophistis, conscripti, *Stagiritæ* jam
falso tribuantur, contra detrahantur eidem nonnulla, inque
16. alios conferantur. In *Fabricianis* Bibliothecis, *præter ineffa-
bilem eruditionem, atque doctrinam*, etiam *temporum nationum-*
17. *que legem* servatam, laudat *Becellius*. Ad has igitur, *ob ordinem,
& ommmodam scriptorum librorumque notitiam*, qui Biblio-
thecam condere velit, demandat. Quod ad Italicam spectat,
neque *Donius*, neque *Haymius*, neque *Fontaninius*, aut *Cre-
scimbenius*, aut alius quivis, temporibus & Autorum ætatibus
observatis, rem transigit. Hæc sedulo custodiens, judice Nostro,
Bibliothecam Italicam consignaturus, provincialium præter-
ea Poetarum scriptorumque notitiam præmittere deberet.
Nam Italorum primi Poetæ provincialium, id est, Galliæ
Narbonensis secundæ, vestigiis institerunt; quod abunde *Pe-
trus Bembus*, *Crescimbenius*, aliique, docent. De iisdem Gal-
lica lingua scripsit *Joannes Nostradamus*, sed Italice ejus
librum vertit *Jo. Judex*. Provincialibus addendi Siculi, qui,
non Italica communi lingua, sed patria, carminibus luse-
re; quorumque primi primorum Italorum ætatem æqua-
runt. De Scriptoribus Siculis opus exstat *Antonii Mon-
gitoris*. Sed Itali multo plura præbent animadverten-
da, quam Scriptores illi memoriæ tradiderunt; siquidem
Franc. Maria della Chiesa & *Andr. Rossetus* de scriptori-
bus Pedemontanis egerunt, *Nic. Topius* de Neapolitanis,
Albericus de Venetis, *Arisius* de Cremonensibus, *Orlandius*
de

de Bononienſibus, *Jacobillus* de Umbris, *Mich. Juſtinianus* de Genuenſibus, *Oldoinus* de Romanis, *Maffejus* de Veronenſibus, in ſua *Veronæ illuſtratione*. Nonnihil etiam utilitatis afferent Veneta diaria, quæ conſcribi cœperunt A. 1700, & Romana *Tinaſſii*, neque minus *Conſiderationes literariæ* dicti modo *Scipionis Maffeji*, quibus haud ſpernenda ſupplementa *Fontaniniæ* Bibliothecæ continentur. Ea tamen Pag. 18.
nullo jure de Italica eloquentia inſcribitur. Iſtis quaſi fundamenti loco præmiſſis, ſeptem Bibliothecæ ſuæ claſſes conſtituit Autor noſter. Inſunt iis ſacri Codices, aliique ſer- 19.
monis Ebræi, neque minus reliquorum orientalium, Græci, Latini, provinciales, & Siculi, Itali, rerum indices, indices verborum. Indices rerum appellat omnes librorum, qui Bibliothecæ nominantur, ſcientiarum omnium, legum, medicinæ, Philoſophiæ, liberalium artium, eruditorum acta, ſeu literatorum diaria Trevultina, Lipſienſia, Pariſienſia, Veneta, Florentina, Geographiæ ſcriptores, antiquitatum collectiones; *Bailii*, *Morerii*, *Hoffmanni*, & *Chamberſii*, Dictionaria; *Aldrovandi*, *Geſneri*, aliorumque, naturalis Hiſtoriæ collectiones. Verborum indices ſunt linguarum indi- 20.
ces omnes Grammaticique, prout omnibus literatis inſerviunt. Majores autem Bibliothecæ ſeptem aliis ordinibus valvas aperiant, Gallicis, Hiſpanis, Anglicis, Germanis, orientalibus, ceteris indicibus rerum, indicibus verborum. Ubi nihilo 21.
minus obſervanda eſt diverſa diverſorum conditio. Ad Græ- 24.
cos quod attinet, ex *Homero*, qui tempore propemodum, at dignitate certe, Græcis omnibus prælucet, dicendi veneres ſurripuerunt, atque doctrinam, Oratores eorundem omnes, Hiſtorici, Poetæ, Philoſophique, quod obſervavere nonnulli, præcipue *Rapinius*, Gallos. Ideo ſcriptorum deſignatio generis potius, quam ſpecierum & claſſium, ad idearum ordinationem in Bibliotheca facit. Ut apud eosdem Græcos ne- 29.
que *Plato* perfectiſſimam rempublicam deſignans, ideo territus eſt, quia, talem ipſa re dari non poſſe, pervidit; nec *Ariſtoteles*, artem Poeticam docens, hinc obmutuit, quia de- 30.
ſpera-

ſperaret, abſolutam omnibus numeris poſſe tragœdiam effi-ci; ſic Noſter, de quo vero dubitaverint adhuc forte non-nulli, eam optimam judicat Bibliothecam, quam invenerit ſuæ ſimillimam.

LES VIES DE SOLON ET DE PUBLICOLA, &c.

hoc eſt,

VITÆ SOLONIS ET PUBLICOLÆ, EXCERPTÆ ex Plutarcho, & recognitæ ad omnes tam Græciæ, quam Romæ, veteris Scriptores; cum nova eorum comparatione, & criticis in varia hiſtoriæ momenta animadverſionibus.

Pariſiis, ſumtibus ſocietatis bibliopolarum, 1748, 12 maj. Plag. 17.

Ut magno in pretio apud eruditos ſemper fuere *Plutarchi Vitæ*, quas *parallelas* vocant; ita ob fructum, qui ad univerſos pervenire ex illis poteſt, ſub ipſo renaſcentium literarum initio, Galli eas bis, ſeparatis temporibus, in patrium ſermonem, e Græco, vertere: primum quidem *Amiotus*, de quo Autor noſter ita judicat, ut, eum plus ingenii rerumque civilium gerendarum peritiæ ad laborem ſuſceptum attuliſſe, putet; deinde *Dacierius*, quem eruditione & veterum ſcriptorum explicandorum uſu præſtitiſſe exiſtimat. Neque eo ſecius cum in horum virorum interpretationibus, tum in ipſo *Plutarcho*, cauſæ ipſi videntur contineri omnino nullæ, cur raro opus tam præclarum teratur hodie illorum manibus, ad quos proprie ſpectat. Præcepta enim, de conformandis moribus, fuſius, ideoque paulo interdum languidius, propoſita; digreſſiones nimis frequentes, ac rerum tradendarum perturbatio, ipſo judice, faciunt, ut, quippe in tam delicato ſeculi faſtidio, paucos habeat

habeat optimus ſcriptor lectores. Quæ res impulerunt Autorem, ut nova quaſi oratione conveſtiendum eum putaret, ita, ut parcius morum doctrinam urgeret, crebros excurſus amputaret, res geſtas accuratiori ordine exponeret, atque *Racinii* veſtigiis, *Ludovico XIV* aliquot *Plutarchi* vitas quodam tempore prælegentis, ingrederetur. Simul in id ſibi enitendum putat, ut, in quos errores *Plutarchus*, linguæ Romanæ inſcitia, inciderit, eos vitet, &, quas, ad exprimendos heroum ſuorum mores, vitamque deſcribendam, idoneas, res idem omiſerit, diligenter ſuppleat. Ac, cum comparationes illius eventuum factorumque præcipuorum ſimilitudine fere nitantur, neque ex cauſis, quibus contineantur, tanquam e ſtirpe, ducantur, immo, teſte *Graciano*, injuſtæ nonnunquam ſint, committendum ſibi non putaſſe, ait, ut eundem in lapidem offenderet. Cujus operis ſui, ſub indice: *Les Vies des Hommes illuſtres de Plutarque retouchées ſur tous les anciens Ecrivains de la Grece & de Rome* &c. foras dandi, hoc ipſo ſcripto quaſi guſtum quendam præbet, ut judicia eruditorum experiatur: in quo id etiam, autore *Tourrellio*, viſurum ſe ait, ut vel augeat *Plutarchum*, vel certe vitas, ab eo deſcriptas, accuratius diſponat, ne forte, quæ parum habeant ſimilitudinis, denuo inter ſe comparentur.

Jam, quam belle ipſi conſilium, per ſe laudandum, ſucceſſerit, ſpeciminibus, ex ipſo opere, majoris prænuntio, petitis, oſtendendum erat. Cujus vero ratio cum talis ſit, ut non ex parte aliqua exigua, ſed integro contextu, poſſit intelligi, Lectores noſtros inique laturos haud exiſtimamus, ſi eos ad ipſius operis, ex antiquiorum recentiorumque optimi cujusque ſcriptis congeſti, lectionem ablegemus. In ipſa vero comparatione cum magnum momentum ſitum ſit, eam paulo accuratius contemplabimur. Qua in re quantum ipſe *Plutarcho* præſtet, luculenter apparebit. Illius enim comparatio cum paucos admodum locos habeat, non niſi ex ſimilitudine quadam externa ductos; Noſter contra multo procedit longius, nec fortunæ tantum habitum, ſed animum etiam ac mores, utriusque eleganter confert, &, quid Romanus Græ-

cum interfuerit, oftendit. Uterque nobili genere natus erat; fed *Solon* deficiente, *Valerius* incipiente. Uterque, diverfis præditus moribus, diverfam nancifcebatur patriam, *Solon* liberam, fed in fervitutem inclinantem, *Publicola* fervientem, fed ad libertatem, qua digna erat, feftinantem. Uterque leges tulit, hic populi fui ingenio accommodatas, ac totius imperii quafi fundamenta; ille civium fuorum levitati nimis faventes. Ille enim in fuperandis impedimentis audentior; hic ad cedendum erat & remittendum proclivior. *Publicola* in ferendis, de re publica, legibus *Solone* fapientior, neque minus ad civiles rogandas aptus; *Solon* tamen vel ob id ipfum laudandus, quod Romani tempore fequenti leges, ab ipfo latas, accipiebant. Juvenilia ftudia fi fpectes, *Solon* voluptatibus fe dabat, atque ætatis partem optimam in itineribus ac rebus privatis confumebat, divitias colligebat, Poeticen attingebat, eloquentiæ ftudebat, & civilem prudentiam, ambitione ductus, arripiebat. *Publicola* contra publicam falutem a puero fpectabat, opes, a patre acceptas, ad eam conferebat, eloquentia fua juftas caufas defendebat. Quod reliquum erat vitæ, his initiis refpondebat. Sed, cum pulcherrima fint, quæ dicuntur in eam rem, tamen temperandum effe a transfcribendis pluribus animadvertimus, ne in Lectoribus noftris fitim, ea cognofcendi, non excitare, fed reftinguere, velle videamur. Paucis ut multa dicamus, *Publicola*, fi Athenis vixiffet, facile illic etiam confecutus effet viri magni gloriam; cum e contrario *Solon*, fi Romæ natus effet, vix emerfiffet altius. Quæ fi quis cum iis conferat, quæ *Plutarchus* eam in rem attulit, non multo tantum fubtiliora, fed diligentiora etiam atque accuratiora, effe, reperiet.

Reftat, ut de obfervationibus criticis, quas vocat, pauca dicamus, quæ ipfam comparationem antecedunt, atque utriusque Vitæ ftatim fubjunctæ funt. Quarum 1) *ad vitam Solonis*, dubiam reddit autoritatem *Athenæi, Solonem Veneri* vulgari ædem dicaffe, tradentis; 2) negat, eundem Athenis fuiffe, *Pififtrato* tyrannidem occupante, contra *Plutarchum* & *Ælianum;* 3) docet, *Solonem* non in Ægyptum demum effe

pro-

profectum, postquam *Pisistratus* rerum potitus erat Athenis, sed statim post leges suas promulgatas; 4) iter ejus in Lydiam defendit. *Ad Publicolæ Vitam* observat, præter alia, *Titum Livium* errare, dum *Servium Tullium* provocationis autorem faciat, quia capitis judicium *Horatii*, ad populum rejectum, extraordinarium, secundum *Dionysium Halicarnassensem*, fuerit, neque plebi jus aliquod dederit; prælium ad Janiculum illustrat; *Mutii* facinus defendit; (quæ tamen observatio in emendationibus expuncta est, censoria, opinamur, severitate,) pugnam inter Romanos ac Sabinos *Plutarchi* potissimum autoritate narrandam esse, statuit. His duo subjuncti sunt excursus: alter *Brutum*, patrem, filios capitis damnantem, defendens; alter *Lucretiæ* causam agens. In ipsa comparatione contra *Phavorinum*, *Gellium*, & *Dacierium*, Pag. 155.
legem *Solonis*, de pœna eorum, qui, facta civitatis seditione, quieti essent, injustam, cum *Plutarcho*, pronuntiat, ac sententiam suam idoneis rationibus munit: causamque frugalitatis ac paupertatis veterum Romanorum, contra *S. Evremond*, docte diserteque agit, ut alia omittamus. 181 seq.

INDEX IN FASTOS OVIDII HISTORICO-PHILOlogicus, ad faciliorem operis intelligentiam, & comparandam augendamque rerum Romanarum & Linguæ notitiam, accommodatus, Autore GEORGIO CHRISTIANO TAUBNERO, AA. M.M. Lyc. Laub. Conrect.

Lipsiæ & Laubæ, 1749, 8.
Alph. 2 plag. 15.

Edidit biennio ante Autor eruditissimus *Nasonis* Fastorum Libros, ex recensione *Petri Burmanni*, cum annotamentis criticis tam aliorum, quam suis, eo potissimum consilio, ut disciplinæ suæ alumni copiam haberent libelli, qui facile inter reliqua Poetæ ingeniosissimi opera præstantissimus haberi posset. Receperat jam tum lectoribus suis, fore, ut In-

dicem foras daret, *in quo tam res, quae ex antiquitate, ex Historia, aut Geographia, aut veterum fabulis, illustrandae viderentur, quam vocabula & loquendi formulae, vel ipsae rariores, vel rariore significatu, aut tironibus certe ignoto, adhibitae, vel quarum notionem ex aliquo Fastorum loco plenius ac melius constitui posse putaret, constructiones etiam verborum insolentiores annotatae, reperirentur.* Cujus promissi sui fidem nunc exsolvit. Ut vero mirifice hominum eruditorum instituta ejusmodi se aequissimo cuique semper probarunt; ita dubium non est, quin omnes hoc Autoris consilium judicio suo ornaturi sint, qui adolescentes veterum scriptis probe innutriendos existiment, atque, eo maxime operam a Clariss. *Taubnero* collatam esse, recordati fuerint. Quid igitur in ipso hoc Indice quaerendum sit, ex ipsis ejus verbis, supra laudatis, satis intelligitur. Nostrum nunc erit, quomodo satisfecerit muneri suo, luculentis aliquot declarare speciminibus. Sed, cum difficile sit, eruditas observationes in compendium ita mittere, ut vis earum haud minuatur, integras autem eas non capiat brevitas nostra; pace Viri docti ad vocabula nonnulla, in quibus illustrandis ipse versatus est, nostras adjiciemus observationes: non quo labori ejus detrahamus, sed ut, lectum eum a nobis esse, demonstremus. *Almus* Dearum ferme epitheton esse, docet: immo rerum pulcherrimarum & magnarum omnium. *Alter*, a se ipso diversus, quam vim habeat in illo: *Infelix, quod non alter & alter eras, Lib. V v. 226*, quae tamen Germanice ita clarius forsan exprimi potuissent: *weil du dir nicht recht sehr unaehnlich warest*, quam eo, quo Autor doctus interpretatus est, modo. In nomine *daps* videtur negare Vir Clarissimus, quod *Servius* & *Festus* tradiderunt, locum illud sedemque proprie in re divina conviviisque sacris habere, quod tamen ejus & notatio, & autoritas veterum, tot locis testata, satis loquuntur; etsi ad opiparos etiam cibos, immo, ut *Nonius* autor est, infandos etiam, transferri, constet. In nomine *divus* tradit, proprie illud de iis adhiberi, qui essent ex hominum numero inter Deos adsciti. Nobis vero paulo videtur ejus vis latius apud antiquissimos

ſimos patere. *Ad divos caſte adeunto* . . . *& eos, qui cœleſtes ſemper habiti, colunto, & ollos, quos endo cœlo merita vocaverint*, *Cicero* de *N. D. II. 26.* *Horam* pro una ex quatuor anni tempeſtatibus poni, ſcite monet; ſed addi meretur, æſtatem, eamque adultam, eximie ita dici, more Græcorum. Vid. *Grævii Lectiones Heſiod.* ad *verſ. 31*, unde, quid ſit, quod tempus quodcunque, quo eſt aliquid facere maturum, indicet, haud difficulter intelligetur. Non ſpernenda ſunt, quæ de verbo *peto pag. 696* diſputantur: multo tamen ea melius procedent, ſi illud cum *Perizonio* a Græco verbo *πέτω*, ſeu *πέταμαι*, ducamus, ut proprie dicatur, advolare ad rem quampiam, ſive ut impetremus nobis aliquid ab eadem, ſive ut invadamus illam. A qua certe notatione & conſtructio, &, pro diverſitate hujus, diverſa ejus ſignificatio, pendere nobis videtur. Sed ſatis ſit eorum, in quibus paululum ab Autore humaniſſimo diſſentimus, quem laboris ſui fructum uberrimum capturum eſſe, non dubitamus, propterea, quod uſus hujus Indicis, ab ipſo confecti, non per *Naſonis* tantum Faſtos, ſed omnia veterum ſcripta, late patet. Neque vero ipſe diſſimulat, quantum ſibi ad operis ſucceſſum profuerit Celeberrimi *Geſneri* Theſaurus Latinæ linguæ, cujus tamen copiam habere demum potuit, cum dimidiam ejus partem jam abſolviſſet. Indicem hiſtorico-philologicum nonnulla *emendanda*, *addenda*, vel *monenda*, excipiunt, in quibus etiam defendi ab Autore ſuam illam interpretationem Germanicam verborum: *alter & alter*, animadvertimus. Sed nos ex eorum numero non ſumus, qui ita obſcuram eam judicemus, ut omni ſenſu careat; dilucidiorem eſſe noſtram, ipſe, putamus, non inficiabitur. Tandem *Obſervationes quædam grammaticæ* ſequuntur, ad quas identidem provocatum fuit; in quibus nonnullæ ſunt, ab aliis fere omiſſæ; etſi uſum etiam in oratione ſoluta habeant egregium. Ex his facile conſtare arbitramur, quanta diligentia & induſtria verſatus ſit Autor in obeunda provincia ſua. Qui cum adoleſcentibus potiſſimum inſervire velit, quos in legendis *Naſonis* Faſtis ea maxime male habere ſolent, quæ Poeta paſſim ex Aſtrologia immiſcet; Index ejus præcipua quadam dote carere videri poterat, quod

nihil eam in rem monitum ab eo hic videamus. Sed prælibaverat jam ipſe potiora in Calendario, quod ex *Naſonis* Faſtis concinnatum his ipſis ſubjunxerat. Quare, qui Indice hoc, ad *Naſonem* planius intelligendum, uti volent, carere illius editione Faſtorum non poterunt.

HISTOIRE ABREGÉE DES PLUS FAMEUX PEINtres, Sculpteurs, & Architectes Eſpagnols, &c.

hoc eſt,

HISTORIA PAULO CONTRACTIOR NOBILISSImorum Pictorum, Sculptorum, & Architectorum Hiſpanorum, cum deſcriptione operum, tam quæ ab ipſis, quam quæ a peregrinis, confecta ſunt, in regno Hiſpano paſſim conſpiciendorum. Ex Hiſpano ſermone ANTONII PALAMINI VELASCO, Pictoris Regii Hiſpani, in Gallicum converſa.

Pariſiis, apud Delaguette, 1749, 12.

Plag. 12.

Quemadmodum non ſæpe perveniunt ingeniorum Hiſpanicorum monumenta ad exteros; ita dubitari non poteſt, quin magno beneficio ab Autore affectos ſe putent, qui artium progreſſus cupiunt pernoſcere. Quantus enim ingeniorum a ducentis inde annis proventus in Hiſpania fuerit, quotque in pingendi ſculpendique arte, architectura etiam, excelluerint, diligenter hic exponitur, ita, ut, quo tempore potiſſimum ſinguli floruerint, ubi adſpexerint lucem, quibus magiſtris ad eam artem, qua nominis claritatem adepti ſunt, fuerint uſi, accurate indicetur. Simul etiam Hiſpanis nomina exterorum ſubjunxit Autor, quorum tabulæ magno ſunt hodie Hiſpaniæ ornamento, ut peregrinantes adeo, rerum pulchrarum ſtudioſi, earumque probe dijudicandarum periti,ſcire facile poſſint, ad quasnam animum debeant maxime referre, & ubi ſummorum artificum opera reperire poſſint. Quæ omnia tanto melius ſcire Autor Hiſpanus potuit,quanto plura præſtantioraque ſunt documenta intelligentiæ, quæ in arte pingendi ipſe dedit. Fuit enim *Philippi V*

pictor

pictor aulicus, quasque perfecerit tabulas Seculo superiori exeunte, atque hoc ineunte, extremo libro enumeratur. Tulit vero Hispania duobus his Seculis 193 artifices, in sculpendi ac pingendi arte, architectura etiam, excellentes, quorum vel sola recensere nomina, longum foret. Primus est *Antonius de Rinçon*, *Ferdinandi* Regis pictor, A. C. 1446 natus; agmen autem ipse libri, de quo sermo est, Autor claudit. Peregrini autem, quorum opera Hispaniam ornant, sunt 53, in quibus, ut conjici facile potest, ingenia summa eminent. Reperient ergo in hoc libro, qui artium contexere historiam laborant, virorum, in arte sua clarissimorum, nomina, quæ alibi frustra quærant, atque intelligent, cum rara eorum monumenta perveniant ad exteros, tamen tulisse plurimos gentem nobilissimam, quos possit nationibus aliis facile opponere; quorum proventus erit in posterum eo uberior, quo magis inter omnes constat, munificentia regia artificum studia hodie inter Hispanos excitari, Academiamque Pictorum, quam vocant, superiori æstate esse publice dedicatam.

Pag. 363.

Unpartheyische und vollständige Critik ꝛc.

id est,

CRITICA SINCERA ET PERFECTA IN HEUMANNI Interpretationem vernaculam Novi Testamenti, Autore JOANNE FRIDERICO FRISCHIO, S. S Theol. Baccal. & Diac. Tauch. in agro Lipsiensi.

Partes II.

Lipsiæ, sumtu Wolffg. Henr. Schœnermarckii, 1752 & 1753, 8. Tom. I Alph. 1 plag. 17, Tom. II Alph. 2 plag. 3.

Constat satis vel ex hisce *Actis* nostris, Celeberrimum *Heumannum* novam interpretationem librorum Novi Testamenti Germanicam adornasse, in qua, secundum doctorum Virorum sententiam, qui sine præconcepta opinione judicare solent, multa præclare, nonnulla etiam minus recte, dicta sunt. Hinc a variis varia opposita sunt *Heumanno*, id quod occasionem præbuit doctissimo Autori nostro, has aliorum censuras operis *Heu-*

Heumanniani colligendi, iisque suas adjiciendi. Ex hac instituti ratione integrum opus est enatum, quod faciem non incommodam observationum in Novum Fœdus præ se fert. Quantum enim nobis perspicere licet, ea Autoris mens sola non fuit, ut sterilem in conversionem Germanicam *Heumanni* conderet Criticam, sed ut hac occasione, quantum fieri posset, Novum Testamentum observationibus bonæ frugis ornaret. Fit exinde, ut nobis haud datum sit, integram libri summam recensere, cujus singulæ fere paginæ philologica atque exegetica doctrina sunt refertæ, ut major inde numerus conficiatur argumentorum, strictim hic pertractatorum, quam qui hic recenseri, aut cujus delectus facile hic institui, queat. A *versu* ad *versum*, & sic a *Capite* ad *Caput*, Noster *Heumannum* sequitur, &, quæ in ejus conversione vel præclara, vel mediocria, vel paulo tenuiora, continentur, diligenter notat, sive priorem, sive posteriorem, *Heumanni* editionem respicias. Hinc non vanus taxandi pruritus incessit Nostrum, criticum hunc laborem suscipiendi, solennis alioqui plurimis eruditorum, taxantibus, non emendantibus, alios, atque deteriora tantum arripientibus, bona vero & utilia data opera negligentibus. Alia plane via Noster incedit, laudans bona & extollens, deteriora vero emendans, ubi, ratione proposita, nova conversio additur. Ex omni etiam opere id elucet, Autorem novos Exegetas atque interpretes consuluisse, atque ex illis plurima hausisse, ad suum finem facientia; in aliis etiam libere eum sententiam suam aperuisse, unicuique Lectorum patebit, vel unicam paginam evolventi. Pluribus rationem atque formam libri in Præfatione gemina, utrique *Parti* præmissa, Autor ipse edisseruit, in quibus Præfationibus etiam nonnullæ occurrunt exegeticæ disquisitiones, inter quas illa, quæ in *Rom. VIII*, *19-23*, est conscripta, eminet. Sufficiat, hæc dixisse de labore critico, utili sane, & doctrinæ variæ, de quo confecto Autori gratulamur, in optatis habentes, ut fructus inde ad plurimos doctrinæ theologicæ studiosos, quin & ad Autorem ipsum, redundent.

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCLIII.

PANDECTÆ JUSTINIANEÆ IN NOVUM ORDInem digestæ, cum legibus Codicis & Novellis, quæ Jus Pandectarum confirmant, explicant, aut abrogant.

Tomus I & II.

Parisiis, apud Joannem Desaint & Carolum Saillant, 1748, fol.

Tom. I Alph. 9 plag. 9, Tom. II Alph. 10 plag. 7.

Est ea multorum hominum indoles, ut, edendis maximæ molis voluminibus haud vulgarem acquiri posse gloriam, sibi persuadeant, iisque, ut nimirum gratiora populo evadant, quæ tanto cum labore perfecerunt, opera, splendidos titulos, nescio quid novi promittentes, præfigant, unde quidem fieri assolet, ut lectores, qui primo obtutu, raram eruditionem, & nova omnia, aliis nondum cognita, se inventuros, credunt, spe sua dejectos se, postea sentiant. In censum ejusmodi scriptorum haud adeo immerito referendus est libri, cujus notitiam nunc Lectori dabimus, Autor, sed de cujus nomine adhuc quidem nobis nihil constat. Is enim, Pandectas *Justinianeas*, in novum ordinem digestas, cum legibus Codicis, & Novellis, quæ jus Pandectarum confirmant, explicant, aut abrogant, se evulgare, in fronte operis ait, & *duos* jamjam *Tomos*, satis profecto crassos, qui Libros Pandectarum XXXVIII complectun-

 tur,

tur, quosque *tertius* adhuc excipiet, hisce lucubrationibus implevit. Ut autem, quid novi hoc Opus ferat, & an fines legitimæ scientiæ Autor ejus protulerit, intelligatur, institutum ejus pariter, ac modum, quo in eo perficiendo usus fuerit, edisserere, jam nobis est propositum. Rationem nempe tractandi & viam, quæ vulgo *methodus* vocatur, in vasto Pandectarum opere desiderari, vetus querela est. Huic vitio ut remedium adhiberet Autor, omnes Digestorum textus tali ordine dispositos se exhibere, declarat, ut jam *a necessaria eorum jucundaque cogitatione non ulla rerum conturbatio, non sententiarum incertitudo, non laboris magnitudo, deterreat.* Operis vero Digestorum divisionem in septem Partes, nec non Librorum ac Titulorum seriem, qualis compilatoribus placuit, retinuit integram. Leges porro cum suis paragraphis & versibus sub iisdem Titulis, ad quos pertinent, retinuit, sed alio inter se, aptiorique, prout existimat, ordine dispositas, nonnullis nempe ad alios Titulos, quibus rectius congruebant, rejectis, ita tamen, ut de verbo ad verbum in operis decursu legum textus omnis referatur, solus earum ordo immutetur. Cujusque Tituli materiam in suas veluti partes ac membra se dividere, ait Autor, quæstionibus in ipso ingressu propositis, quarum discussioni & solutioni aptas definitiones, divisiones, regulas, & exceptiones, nec non & theoremata, connectendis & applicandis, qui ad eas pertinent, legum textibus, addiderit. In unoquoque juris articulo, quid olim obtinuerit, investigare se, & ex omnibus Pandectarum locis, in quibus adhuc supersunt antiquitatis juris vestigia, nec non ex Jurisprudentiæ ante-*Justiniana* fragmentis, aliisque fontibus, breviter explanare, nuntiat. Leges præterea Codicis quamplurimas, eas pariter, quæ cum Pandectarum jure consentiunt, ac illas, quæ juri illi derogant, simulque etiam Novellas, addere se, testatur, ut novissimi juris aliquam notitiam præberet lectoribus. Notas denique addidit breves, in quibus ex *Cujacii*, aliorumque optimæ notæ interpretum, observationibus mendosas lectiones emendari, interpolata a *Triboniano*, aut sociis, a sinceris veterum JCtorum textibus secerni, obscura illustrari, ac leges, quæ prima

ma fronte inter se pugnare videbantur, conciliari, pronuntiat. In calce tandem uniuscujusque *Tomi* adjecta est Tabula, qua nominatim leges omnes cum suis paragraphis & versiculis ordini Digestorum ita restituuntur, ut nullo labore Lector intelligat, quem locum singulæ illæ leges, aut legum partes, in hoc Opere occupent. Est hæc instituti ratio, quam nos ita, uti ipsemet Autor in Præfatione, Operi præmissa, eam proposuit, retulimus. Quo igitur successu hæc omnia ab ipso fuerint præstita, nunc paulo diligentius inquiremus. Antequam vero hoc fiat, monendum erit, prolegomena in Pandectas *Justinianeas* Autorem præmisisse, inque tres partes eadem divisisse. Fontes ibi, ex quibus universum opus Pandectarum, quas a πᾶς & δέχεσθαι nomen sortitas esse, monet, ductum sit, primo loco is indicat. De JCtis postea, ex quorum libris Pandectæ conflatæ, aut quorum sententiæ ibi relatæ sunt, disputat, variasque eorum sectas & indolem exponit. Quo tempore tandem, & qua ratione, confectæ fuerint Pandectæ, quæ fuerit illarum autoritas, quæ fata, & quibus denique vitiis hoc opus laboret, disquirit. Inter fontes adeo, e quibus Pandectæ manarunt, leges scriptas, tam veteres, quam novas, legis actiones, & interpretationem, Prætorum, aliorumque magistratuum, edicta, disputationem fori, & prudentum responsa, numerat. Leges *Romuli*, sequentiumque Regum, quotquot jam dudum editæ & illustratæ sunt, sollicite recenset. Per legem tribunitiam, qua regiæ leges exolevisse Autori dicuntur, legem illam, qua post secessum plebis in montem sacrum Tribuni primum constituti sunt, *Cujacium* intelligere, rectius vero, legem, a *Junio Bruto*, Tribuno celerum, latam, hic intelligi, observat. De legibus postea Tabularum XII, Decemviris, in Græciam ideo missis, de legis actionibus, de jure *Flaviano* & *Æliano*, aliisque, haud incognitis, ample disputat. Plebiscitis per legem *Horatiam*, ac postea *Hortensiam*, legum autoritatem fuisse inditam, lectores, harum rerum adhuc ignaros, docet. Leges præcipuas, sub libera republica latas, quarum mentio in Pandectis injicitur, nude tamen, & sine omni de earum ætate & conditoribus disquisitione, enumerat,

Pag. 11. / 14.

contenta quoque earum justo brevius edisserit, uti sunt illa, *Lex Cincia circa donationes, Leges Furia, & Voconia, circa testamenta*. De SCtis eodem modo disputat. Imperatores Romanos, potestatem affectantes regiam, eandem Senatus autoritate abscondidisse, monet, plurima etiam SCta recenset.
Pag. 16. Codicem *Gregorianum* a quodam *Gregorio*, qui tempore *Constantini M.* praefectus praetorio fuit, *Hermogenianum* ab *Hermogeniano*, JCto, nomen fortitum esse, *Jacobum Gothofredum* ubique secutus, tradit. De Praetoribus, eorumque, ut & aliorum magistratuum, edictis, varia, quamvis admodum trita, & ubivis obvia, profert, cum in libro tantae molis, qualis hoc opus est, plura profecto, quae majorem eruditionem, & lectionem ampliorem, sapiunt, hoc de argumento debuissent proferri. Et facili certe negotio Autor, laboris, ut videtur, valde patiens, tale quid potuisset perficere, dummodo v. c. *Lipsii Excursus ad Tacitum*, aut *Perizonii* librum *de Praetorio*, evolvere, & in rem suam convertere, ipsi placuisset. Hoc enim modo ornamenti aliquid, & eruditionis haud vulgaris colorem, operi huic suo fuisset additurus. Sed pergimus. De responsis nempe prudentum varia, aliis jamjam dicta, repetit, eosque JCtos, quorum in Pandectis fit mentio, & ex quorum libris opus illud conflatum est, recenset, in *sex Classes* eosdem
23. dividens. *Prior* nimirum *Classis* eos, qui antiquis liberae reipublicae Romanae temporibus ante *Ciceronis* aevum floruerunt, complectitur. Qui *Ciceronis* aevo, circa finem liberae reipublicae, & sub *Julio Caesare*, vixerunt, *alteram Classem* constituunt. *Tertia* eorum est, quorum aetas in *Augusti*, & sequentium Imperatorum, usque ad *Hadriani* tempora incidit. In *quinta Classe* eos recenset Autor, quorum aetas omnino incerta est, quibus denique illos, qui post *Gordianum* vixerunt, in *sexta Classe* adjicit. Majoris momenti sunt, quae de variis JCtorum sectis Autor disputat. Jam *Ciceronis* tempore quamplures inter JCtos controversias fuisse agitatas, nos docet. Ad celebratissimas postea *Sabinianorum & Proculejanorum* sectas delatus, utriusque sectae seriem ac successionem, qualis a *Pomponio* in *l. 2 §. fin. D. de O. J.* traditur, in tabula, ideo confecta,

ſecta, exhibet. Controverſias JCtorum poſt Edicti perpetui compilationem, & reſcripta Principum, ſubinde evulgata, maximam partem fuiſſe ſopitas, contendit. Iisdem temporibus JCtos *erciſcundos*, id eſt, tales, exſtitiſſe, obſervat, quorum Pag. **66.**
arte, inventis mediis quibusdam ſententiis, nonnullæ lites, quæ diu inter varias ſectas agitatæ fuerant, componebantur. Diverſitatem ſententiarum, *Proculejanos* inter & *Sabinianos*, inde exiſtere, docet; quod *Labeo*, *Proculejanorum* anteſignanus, paſſim a veteribus diſſentiat, cum *Capito*, qui *Sabinianorum* ducit familiam, veterum plerumque inhæreat veſtigiis. Non tamen in univerſum iſtam valere regulam, ſed *Proculejanos* nonnunquam veterum placita probare, *Sabinianos* ab illis diſcedere, variis exemplis monſtrat. In *Labeonis* præterea diſcipulis majorem ingenii fiduciam, in *Capitonis* ſectatoribus timidiorem quandam regnaſſe prudentiam, obſervat. In iis, quæ de novo ſtatuenda erant, *Proculejanos* ſubtilius, *Sabinianos* ſimplicius, pronuntiaſſe, contendit, eamque rem nota illa quæſtione, inter utramque ſectam agitata, an emtio venditio ſine nummis contrahi poſſit, nec non aliis exemplis, illuſtrat. *Sabinianos* præterea benignam æquitatem ſub- 67.
tilitati juris prætuliſſe, *Proculejanos*, rerum & verborum proprietati nimium ſtudentes, hac in re nonnunquam peccaſſe, pronuntiat. Plurimis vero recens inventis Jurisprudentiam 69.
ditaſſe *Proculejanos*, monet. Utriusque ſcholæ autores variis in rebus inter ſe conſentire, declarat. Jus *Juſtinianeum*, propter diverſa horum Autorum placita incertum fieri, negat, cum *Juſtiniani* ævo & controverſiæ maximam partem 73.
fuerint ſopitæ, & recepta uſu fori ſententia his verbis: *eoque jure utimur*, ſoleat indicari. Philoſophiæ, inprimis Stoicæ, peritiſſimos fuiſſe JCtos Romanos, quamvis *Proculejani* majus adhuc pretium placitis iſtorum ſapientum ſtatuerint, quam *Sabiniani*, obſervat. Varias denique eorundem ſenten- 74.
tias ex Stoicæ Philoſophiæ doctrinis perperam, & præter rem, ab interpretibus derivari, urget. Genus dicendi, quo veteres 75.
illi prudentes uſi ſunt, nec non eorum gravitatem, prudentiam, & modeſtiam, ſummopere Autor dilaudat. De com- 76.

 pila-

pilatione dein Corporis Juris, inprimisque Pandectarum, ample idem disputat, *Justinianum* ab aliis laudari, ab aliis vituperari, narrat, nullum tamen de moribus ejusdem subnectit
Pag. 78. judicium. De *Triboniano* verba faciens, omnes illas *Suidæ* & *Procopii* nugas, gentilem nempe & atheum eundem fuisse, ac *Justiniano* persuasisse, eum vivum in cœlos assumtum iri, quas profecto eruditi tantum non omnes hodie rident, miramur,
79. ab eo transscribi, & pro veris venditari narrationibus. Fata dein Corporis Juris *Justinianei* edisserens, de libris Βασιλικῶν, deque commentariis, scholiis, & paratitlis, quibus Græci qui-
89. dam illud legum corpus illustrare tentarunt, disputat. Ad instaurationem vero Juris Romani in Occidente delatus, notissimum illum Codicem Pandectarum, qui jam Florentiæ asservatur, Pisanis a *Lothario II*, quem classe juverant contra *Rogerium*, dono datum esse, libere pronuntiat, ignarus videlicet, putidissimam illam fabulam, vel sanæ rationi contrariam, nec idoneo suffultam testimonio, ab *Henrico Brencmanno*, JCto sagacissimo, in *Historia Pandectarum Cap. VII* §. 42 penitus jam esse explosam. Ejusdem generis est illa narratio, quam Autor ex *Abbatis Urspergensis Chronico* repetit: *Mathildem* videlicet, Tusciæ Comitissam, maximæ tunc autoritatis fœminam, ab Imperatore *Lothario II* edictum impetrasse, quo jus *Justinianeum* Pisis in cathedra publice doceri, atque in tribunalia recipi, jusserit. Non quidem ignorabat Autor, famosissimam illam *Mathildem* tunc temporis jam dudum fuisse mortuam. In promtu autem ipsi est responsio, aliam videlicet, ejusdem nominis & dignitatis fœmi-
90. nam, hic debere intelligi. Qua in re quamvis consentientes habeat quosdam non sane indoctos scriptores, & sigillatim *Gravinam*, qui in Tractatu *de Ortu & progressu Juris civilis Lib. I Cap. 143* similia protulit; non erat tamen, cur Autor hic in *Gravinæ* verba juraret, & narrationes absonas, ab ineptissimo monacho, eodemque Germano, & rerum Italicarum ignaro, unice profectas, arriperet. *Noodtium*, JCtum, non *Everardi*, sed *Gerhardi*, prænomine in-

insigniti, *Everardi* autem prænomen *Ottonis*, JCti itidem inter Batavos olim florentis, esse proprium, a nobis se doceri, haud ægre feret Autor. Multum is in præstantia Juris Romani prædicanda laborat, per plurima Europæ regna, sigillatimque Franciam suam, illud in cathedris Pag. 91.
& foro regnare, contendens. A vitiis interim illud neutiquam immune esse, concedit, & ad tria quidem capita, ea, quæ vere & cum ratione in hoc opere reprehendi 94.
possunt, revocat. Singulas nimirum leges germanos ac sinceros veterum JCtorum textus, quorum nomen referunt, non semper exhibere, multa etiam data opera *Tribonianum* in his textibus interpolasse, ut ad jus novum detorquerentur, monet. Quamvis enim *Justinianus* sanxisset, ut ex libris veterum excerpti textus ad juris, eo tem- 97.
pore regnantis, usum accommodarentur; ita tamen Imperatoris præcepto parendum fuisse, Autor contendit, ut aut totius antiquati juris nihil superesset in toto Pandectarum opere, aut, si forte textibus, necessario apponendis, aliquid, pristino juri connexum, inhæreret, hoc non in textu mutaretur, sed adjectis quibusdam scholiis indicaretur. Sententias porro, inter se pugnantes, seu *antinomias*, nulla ratione tollendas, in Pandectis deprehendi, pronunciat, variisque exemplis, ideo adductis, demonstrat. Rationem denique tractandi, seu methodum, in vasto hoc opere desiderari, queritur, cujus vitii corrigendi causa præsens labor ab Autore susceptus est. Cumque ex iis, quæ hactenus dicta sunt, abunde intelligatur, cujus pretii sint hæc prolegomena, operis jam ipsius rationem indicabimus. Id quod ut eo melius perspiciatur, unum alterumque ex Pandectis Titulum speciminis loco afferemus, quomodo illum pertractaverit Autor, expósituri. *Titulus primus Libri sexti* de rei vindicatione agit. Quænam res per hanc actionem peti possint, primo loco Autor ibi monstrat. Rei vindicationem ei competere, qui aut jure gentium, aut jure civili, dominium acquisivit, docet. Contra 196.
possessorem, verum & fictum, eam dari actionem, observat. 197.

Rem,

Rem, quæ hoc modo petitur, ſollicite eſſe deſcribendam, actoris inſuper dominium, & rei poſſeſſionem, probandam,
Pag. 199. monet. Qui dolo poſſidere deſiit, pro poſſeſſore nihilo minus reputatur, & hac actione pulſari poteſt. Quando, & ubi,
200. res vindicata reſtitui debeat, Autor docet. Cautelas, a reo pariter & actore obſervandas, proponit. Damna, in re, quæ vindicatur, data, eſſe reſarcienda, & fructuum intuitu etiam conveniri poſſe rei vindicatæ detentorem, monet. Quid hic inter bonæ & malæ fidei poſſeſſorem interſit, declarat. Qua-
203. les hic fructus intelligantur, narrat. Quidnam actor poſſeſſori reſtituere debeat, exponit. Pœnas, illis, qui, hoc judicio condemnati, non parent, præſtitutas, denique ediſſerit. *Libri decimi quarti Titulum ſecundum*, qui de lege Rhodia de jactu inſcribitur, pertractans Autor, quanto in pretio Rhodiorum leges circa res maritimas fuerint, ex reſcripto *Antonini*, quod
567. in *l. 9 h. t.* habetur, primo loco docet. Lege Rhodia caveri, ut, ſi levandæ navis gratia jactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt, poſtea oſtendit. Eam duntaxat jacturam, quæ depellendi communis periculi gratia facta eſt, contributioni locum dare, monet, ac ſpecies, hanc ſententiam illuſtrantes, & hoc in Titulo obvias, apponit. Omnes, quorum intereſt, jactum fieri, conferre oportere, jacturæ ſummam ad rerum pretia æſtimari, corporum liberorum æſtimationem non fieri, dominos rerum amiſſarum ex conducto cum nauta, id eſt, magiſtro navis, agere, nos docet. Omnium rerum, quamvis per illas navis non oneretur, inque his veſtimentorum quoque & annulorum, æſtimationem fieri oportere, ea autem, quæ conſumendi cauſa impoſita ſunt, veluti cibaria, hunc in cenſum non venire, monet. Quatenus res, quæ ſervatæ ſunt quidem, ſed deteriores factæ, huic contributioni anſam præbeant, ex *l. 4 §. 2 h. t.* declarat. Actiones dein, quæ tali caſu poſſunt inſtitui, ediſſerit omnes, ac ſingulares quaſdam ſpecies, ad rem nauticam pertinentes, & maximam partem hoc in Titulo propoſitas, ſubjungit. Unicum adhuc ſpecimen iis, quæ propoſita a nobis ſunt, addemus. *Sextus Libri decimi quarti Titulus*

tulus de SCto Macedoniano agit. Verba ibi SCti (quod ab improbo fœneratore, qui occasionem ei condendo dederit, nomen sortitum esse, Autor in nota adjecta affirmat, secus ac alii, qui majori cum veritatis specie, nefarium quendam filiumfamilias fuisse *Macedonem* istum, docent,) apponuntur. De mutui duntaxat contractu, neutiquam de aliis negotiis, hoc SCtum agere, Autor dein monet. Quando ejus dispositio cesset, fuse postea ostendit, casus, eo pertinentes, ad justum ordinem, & ad certa capita, revocatos, enumerans. Omnes filiosfamilias, cujuscunque demum gradus, aut sexus, sint, sub hoc SCto comprehendi, adeoque & ad filias, & nepotes, illud spectare, observat. Post mortem quoque parentis nullam contra filiosfamilias mutui actionem posse institui, & mortem hic naturalem pariter ac civilem esse intelligendam, urget. Quibus casibus pecunia, ultro a filiisfamilias hoc nomine soluta, a patribus possit repeti, monstrat. Hæredes etiam filiorumfamilias, nec non fidejussores & mandatores eorum, hac exceptione uti posse, docet. Filiumfamilias majorem, contra alium, annis minorem, hac exceptione uti non posse, pronuntiat. Non solum ei, qui mutuam pecuniam dedit, sed & successoribus ejus, denegandam esse actionem, monet. Et hunc quidem in modum singulos Pandectarum Titulos Autor disposuit, theses quasdam breviores ubique præmisit, ipsaque e Pandectis verba, eo pertinentia, apposuit, multos etiam Codicis textus, qui sententiam suam confirmant, subjunxit. Sed, quoniam de notis, unicuique Titulo ab Autore subjunctis, quædam a nobis mentio supra injecta est, ex illis etiam aliquod specimen afferemus, ut exinde de earum præstantia ipsemet Lector possit judicare, ac omnis cavillandi suspicio a nobis removeatur. Nullus facile locus ampliorem Autori aperire campum potuisset, in quo ingenium & multam lectionem explicaret, quam quidem *secundus Libri primi Titulus*, qui de origine juris tractat, cum plurima in eo obscura, imo & mendosa, & scriptorum rei Romanæ narrationibus prima fronte contraria, legantur. Cum in ejus Tituli verba incideret Autor, quibus *leges regiæ in libro Sexti Papirii*

tii conscripta dicuntur, sine omni censura eum locum dimisit, neque in memoriam sibi revocavit, in §. 36 ejusdem *legit* prænomen *Publii* eidem *Papirio* tribui, acutioresque interpretes, ut autoritatem *Pomponii* tuerentur, his verbis alia: *in Libro sexto Papirii*, substituisse. *Tarquinius Superbus* eodem loco *Demarati Corinthii* filius dicitur. Videt hic Autor, & observat, non *Superbum*, sed *Priscum* potius, *Tarquinium Demarati* fuisse filium. Ut vero hanc difficultatem tolleret, sine tabulis & testibus affirmat, *Superbi* cognomen omni *Tarquiniorum* familiæ fuisse inditum. Meliora profecto ipsum docere poterat *Bynckershœckius*, qui in præstantissimis ad hunc Titulum commentariis non solum hunc ipsum errorem, quem multi jam errárunt, explosit, sed &, pro divino, quo pollebat, ingenio, eleganti emendatione hunc locum cum rei Romanæ conciliavit scriptoribus, & ex regula geminationis, *Demarati Corinthii TILIus*, hoc est, *filii filius*, seu nepos, legendum esse, suasit. Ad verba: *Exactis deinde Regibus, lege tribunitia omnes leges hæ exoleverunt*, Autor, ex nostra sententia, præter omnem rationem existimat, eam hic legem intelligi, qua potestas tribunitia post secessionem primam in montem Crustumerinum constituta sit, cum profecto, a *Junio Bruto*, Tribuno Celerum, eam nomen accepisse, & notissimum sit, & ipsemet Autor supra, in Prolegomenis, dixerit. Neque ipsi nota fuisse videtur recentiorum Criticorum observatio, quando, post verba: *lege tribunitia*, interpungendum esse, rectissime suadent. Neque enim illam interpunctionem in textum recipit, neque in notis vel verbo ejus meminit. Porro, cum in eadem *l. 2 §. 3* legeret: *iterumque cœpit populus Romanus incerto magis jure & consuetudine ali*, (ita enim in textu est, non autem *uti*, quam vocem Autor per errorem substituit,) *quam per latam legem: idque prope viginti annis passus est*, nullum hic dubium deprehendit, parum videlicet perpendens, non viginti, sed sexaginta fere, annos a legibus regiis sublatis, ad Decemviros usque constitutos, intercessisse, neque fortassis audivit, aut legit, supra laudatum *Bynckershœckium*, ut *Pomponio* consuleret, *literas VI* pro notis numerali-

bus

bus reputare, & *VIginta*, id est, *sexaginta*, *annis* reponere. Verba, proxime sequentia: *Postea, ne diutius hoc fieret, placuit, publica autoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Græcis civitatibus*, hæc, inquam, verba, ansam dubitandi præbuerunt quidem, nec ignotum fuisse Autori videtur, *Livium*, plurimosque alios scriptores, tradere, non decem, sed tres duntaxat, viros, quorum etiam nomina afferunt, in Græciam ideo missos fuisse. Mira autem ejus est observatio, quando, tres duntaxat ex illis leges istas petiisse, omnes autem leges allatas tulisse, pronuntiat. Primo enim obtutu statim apparet, hoc cum verbis *Pomponii* pugnare, atque aut fatendum esse, JCtum illum errasse, aut verba ejus commoda emendatione esse sananda. Verum jam satis est. Laudamus nos Autoris diligentiam, acumen vero criticum, & debitam in perficiendo & exornando, quod sibi proposuit, opere curam, aliquantum desideramus. Vulgaria nempe, & sæpius jam dicta, occurrunt in hoc Opere haud pauca, majoris momenti res, si non prorsus hic exulant, at certe non carent vitiorum labe. Sed, utcunque hæc sint comparata, Autoris ferream, ut jam diximus, diligentiam, & de legibus Romanis, ut vires tulerint, haud male merendi studium, laude omnium satis dignum judicamus.

DE JURE DIVINO ET NATURALI CIRCA USURAM Libri sex, in quibus adversus Hæreticos, usurarum patronos, cum recentes, tum antiquiores, Catholicum præsertim dogma fuse defenditur; cum Vindiciis juris divini ac naturalis circa usuram, quæ veluti Liber septimus haberi possunt, adversus opus, novissime editum, de Usuris licitis & illicitis, NICOLAI BROEDERSEN.

Tomi II.

Bononiæ, apud Thomam Colli, ex typographia S. Thomæ Aquinatis, 1747, 4 maj.

Tom. I Alph. 5 plag. 2, Tom. II plag. 10.

Cœperat hoc Opus scribere *Petrus Ballarinius*, Veronensis Presbyter, A. 1743, perfeceratque jam anno ineunte 1744, suasu & jussu quodam Eminentiss. *Lucinii*, qui tunc erat Romanæ Inquisitionis Commissarius generalis. Cum liber esset hujus mandatu adhuc sub Theologorum censura, obiit sub initium anni 1745 egregius ille curiæ Romanæ Purpuratus. Fuerunt, qui ab hæredibus Cardinalis librum repeterent. Tum vero de approbatione superiorum denuo recursabat solicitudo. Qua impetrata, liber tandem in lucem prodiit, refellens eos, qui *Nicolai Brœdersen*, cujus amplam tractationem haud ita pridem laboriose peragravimus, sententias vel ex parte, vel ex toto, amplectuntur. Sunt enim in ipsa Italia, qui, usuram nullo Catholico dogmate damnatam esse, existimant. Secus autem sentit *Ballarinius*, ratus, eam in literis sacris, Patrumque scriptis, omnino esse damnatam. Disseruit, ut id ostenderet, nonnihil in *Prælectione secunda*, quam *secundæ* Operum S. *Antonini Parti* præfixit. Plura vero intellexit requiri arma adversus multos, eosdemque præcipui ingenii & eruditionis, hæreticos, qui contra dogma, quo usuræ damnantur, aliquot libros, summo studio & gravissima eruditione lucubratos, evulgarint. Addit, Catholicis nonnullis horum argumenta visa fuisse tam gravia, ut damnationem usuræ *pro vulgari & scholastico præjudicio traduxerint.* Pergit idem: *Quædam etiam in ipsum vulgum irrepsisse inventa sunt erroris semina, ex quibus, periculum est, ne, si diutius plenior confutatio differatur, ipsi hæreticorum errores sensim & incaute in ipsius ecclesiæ sinum per ignorantiam excipiantur a quibusdam Catholicis.* Hoc itaque opere, *sepositis omnibus scholasticis quæstionibus*, id sibi præcipue agendum censuit, ut contra sectarios usurarum patronos ipsum Catholicum de usuris dogma proponatur ac vindicetur. Docere studet, per Secula usque XIII Theologos inventos haud fuisse, qui, usuras esse permissas, tradiderint. Peccasse multos, & in contrarium declinasse, non vero ob dogma, sed ex consuetudine & ignorantia, fatetur. Fœnus omne Clericis fuisse prohibitum, ostendit. Seculo IV aliquot homiliæ contra usurarios habitæ sunt.

Huc

Huc spectat quoque *Ambrosii* liber *de Tobia*, ex pluribus sermonibus compactus. *Hieronymus* in *Ezech. XVIII* notat eos & refellit, qui, usuram modo spectare ad pecuniam, non ad segetes, credebant. Usuræ contradixerunt *Chrysostomus Hom. 56 in Matthæum*, & *Augustinus ad Ps. LIV*, ac *Epist. 153*. Locum difficilem ex Epistola *Cosmæ* Syri ad *Simeonem Stylitam*, edita nuper a Cl. *Josepho Assemano Tomo I Bibliothecæ orientalis*, ne adversariis credatur favere, *Ballarinius* exposuit infra *Lib. II Cap. 9*. Græcos schismaticos, idem significat, usuram haud approbasse unquam, & *Theodorum Balsamonem*, Patriarcham Seculi XII Antiochenum, vindicat ab opinione contraria, quam *Balsamoni* tribuit *Salmasius*, *de Fœnore trapezitico* commentatus, *Lib. I pag. 70*. Usuram certe, negavit, esse permissam, *Balsamon* in *Scholiis* ad Epistolam canonicam S. *Gregorii Nysseni*, ne quidem laicis exceptis, in *Scholiis* ad Canonem Concilii Carthaginensis *de Usura* A. 419, & alibi. *Zonaras* idem sensit in *Can. XVII Concilii Nicæni*, in *Canonem Apostol. 43*, in *Canonem Synodi Carthaginensis* modo dictum. Consensit *Aristenus*. *Gabriel*, Metropolita Philadelphiæ, in libello *de Sacramento pœnitentiæ Cap. 2* peccatis, ex avaritia ortis, *usuram* adjunxit. Suffragatur huic opinioni *Nicolaus Cabasilas*, medio circiter Seculo XIV Archiepiscopus Thessalonicæ, in *Oratione contra usurarios*, inserta *Tomo XXVI Bibliothecæ Patrum*. Sententiam, huic oppositam, tribuerunt immerito Græcis *Guido* Carmelita in *Summa de Hæresibus*, & ex eo *Alphonsus de Castro*, aliique. Primi, qui, usuram Christianis esse permissam, docuerunt, fuerunt, indice *Ballarinio*, *Patarini*, quorum sectæ tres in hoc doctrinæ momento consensisse dicuntur. Sententiam eorum istam damnavit *Clemens V* Concilio Viennensi A. 1311. Usuras damnasse dicuntur Concilia, Lateranense A. 1179, Avenionense *Can. 3*, Salisburgense *Can. 13*, Avenionense A. 1457 *Can. 26*, Burdigalense A. 1583 *Can. 31*. Usuram in peccatis fere haud fuisse relatam exeunte Seculo XII inter Belgas, autor est *Hugo Floreffiensis* in *Vita B. Ivetæ Cap. 9 n. 26*, in *Actis Sanctorum Antwerp. Tom. I Januar. d. 13*. Contra *Clementinam* tamen nonnulli fuerunt usuræ postea patro-

Præfat. pag. 7. 14.

patrocinati, inprimis Christiani quidam in Galliis, a Judæis, qui ab alienigenis usuras accipiunt haud contra fas, in sen-
Pag. 18. tentiæ communionem deducti. *Alexander V* voluit, hunc errorem exstirpari, nec non *Martinus V*. Usuram esse permissam, docuerunt *Calvinus*, *Molinæus*, *Claudius Salmasius*, aliique, quos Noster appellat *novatores*. Secus tamen sensit
21. *Theodorus Beza Commentar. in Lucam VI, 35*. *Salmasius* caput inter eos extulit, qui, usuras, putarunt, jure naturæ & divino esse permissas. Ipse maritima navigatione divertit apud *Joannem Cloppenburgium*, Brilensium ecclesiasten. Hic illi ostendit librum *de Usuris* suum, Belgice & Latine scriptum, preloque paratum, voluitque scire, quid *Salmasius* sentiret. Hic, idem se sentire, professus, a *Cloppenburgio* fuit rogatus, ut epistolam, qua sententiam peroraret, adderet illi libro. Voluerat *Salmasius* scribere epistolam; at progenuit librum *de Usuris*, quem separatim edidit Lugduni Bat. A. 1638. Ut offensionem religionis suæ, atque objectiones Theologorum & JCtorum, declinaret, edidit ibidem A. 1639 librum *de Modo usurarum*. *Cloppenburgius*, ut invidiam evitaret, (inscripserat enim ei priorem librum *Salmasius*,) epistolam dedit ad *Salmasium*, eamque, trapezitas oppugnans, edidit simul cum *theologica institutione de usuris*. Adversus hoc opus *Salmasius* publicavit *Dissertationem de fœnore trapezitico* Lugduni Bat. A. 1640. Opusculis porro duobus invicem concertarunt duumviri. Jureconsultis *Salmasius* varia opuscula pseudonyma opposuit. Theologi Hollandi ex eo tempore de quæstio-
24. ne, an permissæ sint usuræ, adhuc inter se dissederunt. *Salmasius*, a pauperibus per fas usuras accipi posse, docuit, suffragante ei nemine. Nam Batavi statim monuerunt, inopibus gratuitam dandam esse pecuniam. Sic docuere *Guilielmus Amesius* passim & *Hugo Grotius* ad *Luc. VI, 35*, immo ipse *Salmasius de Usuris Cap. 20 pag. 610*, *Cap. 21 pag. 672*, ac *de*
27. *Fænore trapezitico Lib. I pag. 23*. Ea igitur modo in controversiam venit quæstio, an usura a divitibus, qui ex mutuo lucrum percipiunt, vel ab eis, qui usuris dandis haud opprimuntur, sit exigenda. Id quæritur, an liceat usuram, quæ sine pauperum oppressione exigitur, ultra modum evehere, &

quinam

quinam ei statuendus sit modus, ubi lex, vel consuetudo, quæ vim legis obtinuit, certos usuræ limites haud definivit. Pontificii usuram omnem damnant, ac ita quæstionibus illis solvendis facile supersedent. Sunt tamen inter eos, qui usuram, exactam ab iis, qui pecuniam non in necessitatis remedium, sed in negotiationem ac lucrum mutuum, sumserunt, haud damnant, & id lucri genus ab usuræ vocabulo disjungunt. Huc refert Autor P. *Maignanum*, P. *de Colonia*, e Minimorum familia, & *le Coreur*, Presbyterum, qui ex professo de hac causa scripserunt. *Emmanuel Maignan* A. 1679 Gallice, & postea Latine, edidit Dissertationem suam *de Usu licito pecuniæ*, ratus, pecuniam negotiatoribus in negotiationis usum per jus & fas tradi posse. Expertus tamen is ideo fuit quinque Episcoporum censuras præter Romanam, licet usuram damnasset. P. *Andreas de Colonia*, prospecturus negotiatoribus Lugdunensibus, A. 1676 Lugduni edidit librum, *Eclaircissement sur le legitime commerce des interets*, mercatorum præfecto & assessoribus ibi inscriptum. Usuram tamen detestatur, licet rei ipsi, vocabulo illo designatæ, patrocinetur. Luculentius de usuræ patronis scripsit *le Coreur*, Presbyter in parochia S. *Germani Antissiodorensis*, Parisiis versatus, edito ἀνωνύμως A. 1682 libro, *Traité des Billets entre les negotians*. Editiones haud unæ exstant, si varietatem loci typographici spectes. At in Batavis liber fuit publicatus. Probavit eum Episcopus Castoriensis, apud Batavos Vicarius Apostolicus, & ejus editionem promovit, teste *Bailleto* in libro *Jugemens des Savans Tom. I Cap. 6 pag. 2 edit. postrem.* & *Bossueto* in annotationibus, ibi adjectis. Noluit tamen Episcopus Castoriensis, epistola *Bossueti* compellatus, videri eum nosse, vel legisse. *Le Coreur* ratiocinationibus usus fuit solis; autoritatem sacri Codicis & arbitrii humani seposuit. Disseruit tamen ita, ut usuram damnaret, &, mutuum esse in contractu commercii usurario vel ipsam usuram, inficietur. Librum illum ex professo refellit *Jacobus Gaitte* in *Tr. de Usuris & fœnore*, Parisiis A. 1688 edito, & præter eum D. *Carrel*, D. Theol. Parisiensis, in libro *de la Pratique des billets*, A. 1690, & iterum A. 1699, publicato. Usuram, e commerciis negotia-

Pag. 29. 32.

gotiatorum redundantem, defenderunt Anonymus (P. *Chaduc*) in *Epistola de usuris*, A. 1665 evulgata, quam refellit P. *du Tertre* (P. *Jacobus Thorentier*) in libello, *l'Usure expliquée & condamnée*, A. 1673, 1678 evulgato, nec non P. *Mariolles* in libro, *de la nature de l'Usure*, contra P. *du Tertre* scripto, Avenione A. 1675, & *Beziers Arroy* in libro Gallico *de Usuris*, Lugduni A. 1674 publicato. Alios Clericos, idem sentientes, nominat P. *Thomassinus* in Præfatione ad librum *du Negoce & de l'usure*, quo usuram ivit profligatum. Liber ille editus fuit post ejus obitum A. 1697. Refellit eandem usuræ permissionem *Ludovicus Bulteau* in libro, *Le faux de pot, ou refutation de quelques erreurs populaires sur l'Usure*, A. 1674 in lucem emisso. Clerus Galliæ A. 1700 damnavit popularem hanc sententiam, damnans propositionem 59, & quidem hanc: *Usura etsi esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in judicialibus præceptis abolita per Christum*, eo quod novæ legis perfectionem, & gentium omnium, in Christo adunatarum, fraternitatem, tollat. Usuræ igitur prohibitio tandem in schema reipublicæ Hebræorum Leviticæ resolvitur. Per Lotharingiam paulo post cœpit usura approbari. *Henricus de Bissy*, Episcopus Tullensis, postea Cardinalis, A. 1703 opinioni illi edictum opposuit: *Ordonnance de - - Evêque Comte de Toul, pourtant condamnation d'un libelle intitulé: Factum, ou Propositions, succinctement recueillies des questions, qui se forment aujourd'hui sur la matiere de l'usure* &c. Idem fecerat *Bissii* decessor, *Jacobus de Fieux*, *Epistola pastorali*, A. 1679 publicata sub titulo: *de l'Usure, ou de prêt usuraire de l'argent par obligation.* Apparuit contra hanc Epistolam Anonymi opusculum: *Factum, ou propositions, succinctement recueillies - - jouxte la copie imprimée à Ville sur-Illon* A. 1680, qui in catalogum prohibitorum librorum
Pag. 35. relatus fuit. Recusa fuit Epistola illa pastoralis cum Anonymi refutatione A. 1703, & elicuit hoc momentum *Henrici de Bissy* eodem anno edictum. A. 1704 refutatio hæc, & alii duo libri consimilis argumenti, a suprema Romana *Inquisitionis* curia proscripti, & in indicem librorum prohibitorum re-

jecti

jecti sunt. Progrediendum nunc est ad controversiam Jansenisticam, in Belgio fœderato late se prodentem dudum. Jansenistæ, usuram ibi esse permissam, eamque negotiationi accommodatam, indidem docent. Recensuimus alibi momenta causæ, & scripta, utrinque publicata, cum *Nicolai Brœdersen* Opus *de Usuris* in compendium mitteremus utique satis longum. Cramben nunc haud recoquemus. Addemus tamen pauca, quæ a *Brœdersenio* fuerunt suppressa.

Belgicæ controversiæ de usuris occasio ac origo affertur in libro, *Memoire sur l'état présent des Refugiez François en Hollande au sujet de la religion*, Paris. 1728. *Varlettus*, Babylonis Episcopus, a Romana sede muniis suspensus, secessit in Belgium fœderatum, ac in eo fuit, ut Archiepiscopatum Ultrajectinum autoritate sua instauraret. Consecravit A. 1724, 15 Octobr. *Steenhovenium*, qui præsideret Archiepiscopatui. Obiit novus Archiepiscopus A. 1725. Suffecit itaque in ejus locum sibi *Barchmannum*. Jansenistæ postea, stabilituri cœtus suos in Belgio, *Barchmanno* commendarunt Episcopos duos, qua suffraganeos, consecrandos. *Barchmannus*, hos Pag. 37. usuris capiendis favere, ratus, nullos a se ordinatum iri Episcopos, professus fuit, præterquam eos, qui damnarent contractus pecuniæ, in annuum lucrum collocatæ. At Jansenistæ eos damnare noluerunt, metuentes sibi a reipublicæ proceribus, qui eos contractus & usuras approbant. Sensim Jansenistæ ibi ad defensionem usuræ progressi dicuntur. *Brœdersenius* vero, quod haud inficiamur, vindicias usuræ Jansenisticas, antiquiores anno 1728, memoravit varias. Verum hæc dissensio ad operam nostram haud spectat.

Usuram modicam recenti ætate defenderunt haud uni. *Epistolæ D. Thierry de Viaixnes* recensentur in Gallico opusculo, *Memoire sur l'état present des Refugiez François en Hollande au sujet de la Religion*, Paris. 1728. Una illarum formis publicis descripta est, data ad *Barchmannum* A. 1728, post *Traité des prêts de Commerce* A. 1738. Opusculum *Joannis Launoji*, cujus editionem Doctores Sorbonici concedere noluerunt, videtur legi in editione *Operum Launoji* Gene-

 vensi

venfi *Tom. II Part. II pag. 563* fub titulo: *Lettre d'un Theologien à fon ami fur le fujet de l'ufure, non encore imprimée. Confilium Caufidici Bruxellenfis*, Cl. *D. H.*, ad ufurariorum contractuum impugnatores, qui A. 1728 *Cafus pofitionem* ediderant, miffum, ab eisdem A. 1728 cum refutatione, *Iterata difcuffio*, publicatum fuit. *Nicolai Brœderfen* eft *Tractatus brevis de reditibus utrinque redimibilibus* A. 1729, licet Autoris nomen in fronte fcriptum haud appareat. Reliqua fcripta ex ejusdem *Brœderfeni*, Ecclefiaftæ Pontificii Delphenfis, libro *de Ufuris* alias exhibuimus hiftorice. Contra ufuras
Pag. 42. Janfeniani nonnulli calamum ftrinxerunt ipfi, *Barchmannus, Petitpied, Maupas*, alii, qui Ultrajectinos Janfeniftas, ufuræ patronos, ex æquo damnant. Credidit *Ballarinius*, fibi etiam *Calvinum, Molinæum, Salmafium, Noodtium, la Placette*, effe cum aliis refellendos, quorum quippe argumenta fuis Catholicis nondum ex profeffo fuerint rejecta. Nec fibi defuit, quo minus recentiores ecclefiæ fuæ patronos ufurarum red-
44 dere ftuduerit refutatos. Ii, qui ab ipfo diffident, in eo conveniunt, ufuras a pauperibus haud effe fumendas, nec eas a ditioribus ultra legum, vel confuetudinum, præfcripta exigendas effe. In eo autem non idem fentiunt, an ufuræ in Vet. Teft. omnes jure divino fint prohibitæ. Nam alii id affirmant, alii negant. Utrique vero, eas in Novo Teft. effe interdictas, negant. Alii ufuram in mutuo deputant, alii eam a vero mutuo excludere conantur. Autor, omnem omnium errorem profligaturus, opus fuum in *Libros fex* diftribuit. *Primo* agit de mutuo, *tribus* fequentibus de autoritate divina, qua ufuræ omnes fuerint interdictæ, quid fit ufura, docens, & addens, omne omnino lucrum mutui jure divino ufuram effe appellatam. Contendit, omnem ufuram Vet. & Nov. Teft. effe prohibitam, adverfantem quippe caritati ac juftitiæ, a divitibus quoque exactæ. *Duobus poftremis Libris* in eo eft, ut ex naturali jure & ratione colligat, ufuram illi obftare, eo quod ufura caritati & juftitiæ fit infenfa: immo ut objectio-
46 nibus, ex hoc jure depromtis, fatisfaciat.

Poftquam *Libros* hofce *fex* adornaverat, in manus ejus incidit

Opus

Opus *Nicolai Brœderſen de Uſuris*. Addidit itaque *ſex Libris*, ut hunc refelleret, Opuſculum, quod *Vindicias juris divini & naturalis circa uſuram* inſcripſit. Adjecit tandem *Appendicem trium Opuſculorum in materie uſurarum*. Primo exponitur *de Montibus pietatis, quatenus licite pecuniam ſub pignore commodent exigendo aliquid ſupra ſortem*. Differitur ibi porro de modis providendi publicis & privatis pecuniæ neceſſitatibus cum lucro annuo licito citra uſuram, nec non de legitimis titulis, deque contractibus emtionis cum pacto de retrovendendo, & cenſus, cum realis, tum perſonalis. Opuſculo ſecundo tractatur *de pecunia in negotiationem danda*, ac de licito æque ac illicito ex eadem lucro. Trium præterea contractuum pravitas demonſtratur, & ſuggeruntur modi permiſſi, quibus provideri poſſit negotiationi ac commercio ſine uſuris, ac præſertim inibi diſputatur de *cambiis realibus*. Tertio opuſculo agitur *de inani contractuum implicitorum ſyſtemate, quo omnes fere contractus re ipſa fœneratitios ab uſura nonnulli Theologi purgare contendunt*. Subjiciuntur opuſculis monumenta VII, nempe Papales literæ *Pauli III* pro Mutinenſi monte pietatis, aliæ eidem *Paulo* ſuppoſitæ literæ pro Ferrarienſi monte pietatis, *Julii III* literæ pro monte pietatis Veronenſi, *Sixti V* literæ pro monte pietatis Bergomenſi, literæ *Alexandri VI* pro monte pietatis Mantuano, *Clementis X* literæ pro monte pietatis Ferrarienſi. Mutuum, Noſtro judicante, eſt *traditio rei uſu conſumtibilis, in conſumtionis uſum, ea conditione, ut poſt aliquod tempus tantundem reſtituatur*. Nomen commodati relinquit rebus, quæ uſu non conſumuntur, ſed eadem reddenda ſunt, ut equus, pallium. Duplex ab ipſo ſtatuitur rerum conſumtio: alia naturalis, qua conſumitur uſu res ipſa & perit, ut frumentum, vinum; alia civilis, qua res alienatur, & ita priori domino perit, ut pecuniæ accidit, quæ tum conſumi dicitur, cum in aliorum dominium transfertur. Quod in cuſtodiam datur, non in conſumtionem, dicitur depoſitum. Civilis illa conſumtio videtur id ponere in definitione, quod adverſarii negant. Mutuum eſſe dandum, accipiendum, reddendum, recipiendum, nemo ambigit. Si res eadem numero

ro reſtitui nequeat, rerum aliarum ejusdem ſpeciei tantundem ex mutui contractu eſt reſtituendum. *Luc VI, 24.* Ad definitionem hanc monent antagoniſtæ id potiſſime, deſumtam eſſe eam ex Jure Romano, non ex locis ac enuntiatis Vet. & Nov. Teſt. conflatam, quibus vocabulum *mutui* etiam de equis, aut aliis rebus, quæ uſu non conſumuntur, promiſcue ſumtum fuerit. Reſpondet Noſter, Scriptores divinos ac Patres damnaſſe hunc, non alium, contractum, quo lucrum percipitur ex pecunia, frumento, &c. in uſum tradito ad conſumtionem cum officio reſtituendi tantundem, quantum contractus, a nobis definitus, indicat. Definitionem ſuam haud
Pag. 5. repugnare locis *Devt. XXIII, 19, Exod. XXII, 24, 25, Levit. XXV, 37, Pſ. XIV, 5, 2 Eſr. V, 7, 2, 3, 4, Matth. XXV, 21, Luc. XIX, 23,* monet. Mutuum alii in eo ponunt, ſi pecunia gratis tradatur reſtituturo; negantes, id ineſſe traditis ob lucrum. Uſura vero eſt ſpecies mutui. Ergo traditio rei conſumtibilis ad lucrum eſt nec mutuum, nec uſura. Ita recentiores quidam. At Patres, reſpondet Autor, vetant dare aliquid ad uſuram, caventes, ne mutuum detur ad lucrum. Gratis autem, aut ad lucrum, dare, ſunt duo tantum mutuationis modi, qui ad *eſſentiam* haud ſpectant. Tum vero Rev. Autor ſeparat ea a quæſtione, quæ ad jus divinum & dogma
21. haud per ſe referenda ſunt. Provocat ad perpetuam ac conſtantem *uſuræ* notionem, obviam in Codice ſacro ac traditione, contendens, ex hac notione ſtatuendum eſſe jus divinum. Notionem illam utraque Bibliorum parte tradi, docet. Notionem *uſuræ* non in ſolo exceſſu, ſed in omni acceſſione ſupra ſortem, conſiſtere, tradit, vindicaturus poſteriorum Ro-
27. manorum Pontificum decreta. Deinde perluſtrat ſingula Vet. & Nov. Teſt. loca, in quibus de *mutuo* ac *uſura* fit mentio, ratus, evangelicam perfectionem, antiquæ Vet. Teſt. prohibitioni additam, uſuræ prohibitionem ad conſilium haud redegiſſe, licet ea perfectio ſæpius ſit conſilii. Putat ipſe, per Evangelium omnem diſtinctionem inter *alienos* & *fratres* eſſe ſublatam; confirmatam eſſe per Chriſtum uſuræ prohibitionem per illud enuntiatum: *Mutuum date, nihil inde ſperan-*
tes.

tes. Usuræ vitationem omni casu esse præceptam, contendit,
disputans variis argumentis adversus *Salmasium*. Accingit se
ad amoliendas objectiones. Prima solet desumi ex parabolæ
servi reprehensi, propterea quod pecuniam nummulariis non
dederit, cum usuris postea exigendam. Secunda depromitur
ex *Luc. XII, 58*, ubi *Salmasius solutionem usurarum* visus fuit
sibi vidisse. Tertio ex decreto Synodi Hierosolymitanæ ar-
cessitur, quo usuræ haud fuerant prohibitæ. Affert Autor
testimonia & autoritatem Patrum Antenicænorum & poste-
riorum, ex Conciliis *Nicæno* generali, & Carthaginensi pri- Pag. 66.
mo, ex *Athanasio, Hilario, Blasio, Gregorio Nysseno*, & ma-
gna posteritatis nube. Injustitiam usuræ ex Sacro Codice & 106.
traditione it studiose comprobatum. Ferre non potest senten- 128.
tiam eorum, qui docent, humanis legibus dominia in publi-
cum bonum transferri posse, & eas hoc loco justum facere,
quod alioquin esset injustum. Id præcipue urget, usuram jure 141.
divino esse vetitam, licet a divitibus, aut negotiatoribus, red-
euntem. Eo fine exhibet loca Vet. & Nov. Test. nec non Pa- 182.
trum ecclesiæ, monens, Scholasticos nihil hic innovasse, &
omnem Ecclesiam Romanam in hunc usque diem usuras
damnare. Decisionem, ex jure naturæ depromtam, postpo-
nendam esse autoritati divinæ, adversus eos, qui conclusiones
ex jure naturæ exhibent, docet, addens testimonia gentium,
quæ inhonestatem usuræ agnoverunt, immo referens Philoso-
phorum & Juris Romani de usuræ pravitate decreta. Ipse
porro sic ratiocinatur: *Mutui officium ex caritate debet esse
gratuitum, & eatenus usura caritati repugnat.* Caritatis duo
sunt officia, alterum, alterius cujusque bonum promove, alte-
rum, ei ne infer malum. At nec nobis deesse debemus. Ma-
la hominibus per usuram inferri, nemo facile universim da-
bit. Perniciosa mala ex usuris nasci, nisi universim prohi- 216.
bitæ essent, docet Noster, & quidem hæc: offendicula in Chri- 234.
stianam religionem, oppressionem pauperum contra legem
naturalem, & incommoda in ipsam rempublicam redundan-
tia. Memoratu digna sunt, quæ Autor proponit adminicula 244.
consulendi necessitatibus necotiatorum sine ullis usuris. Pe-

 ricu-

riculum creditoris esse æstimabile, darique periculi pretium,
negat. At quoties periculi adeundi conditio superstruitur pre-
Pag. 286. tio in bellis ac pace? Idem, lucri titulum, ductum a majori
æstimatione pecuniæ præsentis, quam futuræ, expungendum
esse, existimat. Annuos reditus, seu realem censum, ab Eccle-
sia Romana & omni approbatum, ab usura distare, monet.
Subjungitur *Gregorii XIII* rescriptum anni 1581, cum decreto
315. in causa usurarum ad *Guilielmum*, Bavariæ Ducem, ex MStis
S. *Caroli*, in Ambrosiana Mediolanensi servatis, editum, &
cum Vaticano ejusdem Pontificis Regesto collatum ac emen-
datum. Addidit Autor annotationes, ad controversiam de
usuris attinentes. Subjicit eis literas ad eundem *Guilielmum*,
321. a *Gregorio XIII* profectas. Voluit *Guilielmus* Dux nosse, an
jure ac inviolata conscientia ferre posset morem eorum, qui
in terris suis quinos numos in centenos mutuo datos exigere
quotannis solerent. Respondit Pontifex, contractum ejusmo-
di usurarium jure divino ac naturali prohibitum esse.

Tom. II. Progredimur nunc ad *Tomum II*, qui Vindicias juris divi-
ni ac naturalis circa usuram, & Appendicem trium Opusculo-
rum, comprehendit. Vindiciæ constant *Capitibus duodecim*.
Id negari haud debet, in Belgio, Germania, Hispania, ac ali-
bi, ante *Pium V* & *Gregorium XIII* viguisse census reales le-
gitimos, in solius venditoris gratiam redimibiles, qui contra-
Pag. 7. ctibus usurariis æquiparant. *Martinus V*, *Calistus III*, & *Ni-
colai V* Constitutiones, huic consuetudini favent. *Philippi II*
Regis sanctio A. 1567 edicto *Caroli V*, A. 1550 proposito, de-
rogavit nonnihil in gratiam pecuniarum pupillarium, de re-
liquo contractus illos vigere permisit. *Pii V Bulla de censi-
bus*, qua id pactum, in emtorum gratiam appositum, sustulit,
paulisper, intercedente *Philippo II*, mitigata fuit per *Grego-
rium XIII* quidem, hic tamen præcepit aboleri pactum redi-
mendi in emtoris gratiam census annuos. Pupillorum tamen
pecuniæ intra Belgium in usuras fuerunt elocatæ. Damna-
runt hanc consuetudinem Synodi Belgicæ, Cameracensis,
Mechliniensis, Iprensis, Atrebatensis, immo Nuntii Apostolici.
Nihilo minus consuetudo illa pupillarium pecuniarum stetit,
&,

&, universalis reddita, ad usuras omnium traducta fuit. *Sasboldus* sub finem Seculi XVI vocat *corruptelam, recenti memoria inductam.* Protestantes, qui partem Belgii occuparunt, feruntur contractus usurarios promovisse, & in consuetudinem traduxisse universalem, teste *Præfatione ad scripta varia circa usuram* A. 1728. Damnatus fuit initio hic mos ab omnibus, eradicatio tamen visa fuit difficillima. Plures censuerunt, mutuum & usuram excludi posse censuum utrinque redimibilium nomine. Visum vero fuit Clericis, contractum Pag. 9.
hunc esse mutuum usurarium, & divino saltem jure prohibitum. Lovanienses, bis consulti, A. 1687 & 1688 responderunt, contractus omnes censuum redimibilium spectare ad verum mutuum, & quoque ad usuram, eosque contractus esse vitandos. Ad morem ipsum eradicandum nihil tamen ante annum 1727 fuit ibi tentatum. Jansenistæ, tunc e Galliis in Belgium secedentes, partim scripserunt adversus usuras, partim, eas esse permissas, tradiderunt. In his caput extulit *Nicolaus Brœdersen*, cujus A. 1728 *Tractatus brevis de reditibus utrinque redimibilibus* in lucem prodiit, cui successit Opus *de Usuris licitis & illicitis* A. 1743, Delphis, fol. Hunc *Ballarinius* vocat *schismaticæ Ultrajectinæ ecclesiæ Pastorem*, confessus, hunc solas compensatorias usuras approbare. Addit præterea idem: *Si de mera compensatione veri lucri cessantis, ac damni emergentis, actum fuisset, & intra hos fines sese continuisset* Brœdersen, *cum nihil æquius proponi ac defendi poterat, tum vero nihil contra Catholicam de usuris doctrinam assertum fuisset.* At *Brœdersen* usuram compensatoriam appellavit, quæ est *lucratoria*. *Ballarinius* quæstionem dogma- II.
ticam a quæstionibus scholasticis practicisque separat. Notionem mutui, & usuræ, extricare conatur. Vindicias juris naturalis putat perimere usuras, ex adversario suo invictum pro jure naturali depromens argumentum. Juris divini vindicias perorat, & de usuræ injustitia differit. Percurrit loca Vet. & 24.
Nov. Testamenti, quæ usuris permittendis videntur favere, & pro more suo ad ea respondet. Traditionem Patrum, ejusque successionem per Scholasticos, edisserit. Exhibet ecclesiæ suæ

circa

circa usuras sententiam, in Canonibus ac Decretalibus ob-
Pag. 46. viam. De Jure Ecclesiastico veteri, quantum ad usuras attinet, disserit æque ac de novo. De restitutione usurarum perceptarum, quæ maximam affert difficultatem, exponit. *Dis-*
65. *sertatiunculam* suam de Concilio Viennensi, sub *Clemente V* agitato, & ejus decretis, inserit tractationi, ac *Clementinam* de Usuris it vindicatum. Dissertatiunculæ hujus *tres* sunt *Partes. Prima* edisseritur Concilii Viennensis historia brevis, agiturque de constitutionibus, in eo editis. Duplex earundem promulgatio post Concilium facta per *Clementem V. Prima* comprehendebat nudas constitutiones Viennenses, & editionem aliquot exemplarium, quæ mox fuerunt revocata. Secunda exiit post examen novum & correctionem, cum detractionibus & additionibus nonnullis in Consistorio publicata.
66. Mors *Clementis V* promulgationem, qua ejusmodi libri ad studia publica mittebantur, impedivit. Eam vero *Joannes XXII*
71. perfecit. *Clementina* de Usuris semper certa & genuina existimata, licet in editione *Clementinarum* constitutiones aliæ
77. nunc resectæ, nunc additæ, fuerint. *Clementinæ* de usuris interpretationem *Brœdersenianam* esse violentam, Noster argumentis variis demonstrare contendit. Cardo controversiæ totius in eo versatur, an liceat substituere species ejusdem quanti moralis, quod ad eandem mensuram exigi potest, invicem, & æstimare agrum pretio numorum, cui nunc æquiparat. Si id ita est, usura annua substituitur annuo locationis pretio, & sors agro. Cur substitutio hæc tam sit invisa, rationem profundius exquirendam esse, arbitramur. Ebræis haud potuisset permitti usura in extraneos, si usura per sese repugnat juri naturæ, siquidem hoc est immutabile ac indispensabile. An ætas rarioris pecuniæ & natio exiguæ terræ, ad unam familiam adstricta, debeat esse loco exempli & præscripti illis ætatibus, quæ pecuniis abundant, & incolis universæ telluris, ad diversissimas familias referendis, non solum respectu religionis, sed quoque respectu vitæ civilis, considerandis, id definiant alii. Liceat nobis modo dubium quoddam in medium proferre.

Opuscul-

Opuſculo primo in Appendice de Montibus pietatis diſſeritur, quibus nonnulli contractus uſurarios juſte ſubſtitui poſſe arbitrantur. Dicuntur illi alias *montes Chriſti*, & depoſita Apoſtolica. Eorum primus fuit *mons Peruſinus*, qui in conſilio collegii Peruſini dictus fuit A. 1464 *candelabrum, lucem ferens, modo ab omnibus fidelibus imitandum.* Inſtituendi ratio hæc fuit. Viennenſe Concilium, a *Clemente V* A. 1311 agitatum, *Clementina Ex gravi*, ad exſtirpandum fœnus, quod late inoleverat, fulmen evibravit in communitatum rectores & miniſtros, qui conſtitutiones de uſuris ſolvendis edituri eſſent, vel editas haud eſſent ſublaturi. Effecit inde neceſſitas pauperum indigentiæ proſpiciendi, qui ſine uſura mutuum non inveniebant, ut Judæis, qui Eccleſiæ Chriſtianæ conſtitutionibus haud erant obnoxii, &, aliunde uſuras ſibi cum extraneis contrahere, & ex eis exigere, non putant nefas, permittendum videretur, ut mutuum ſub conditione uſurarum aliis crederent. Ut etiam pauperibus mutuum darent, ipſi acciti fuerunt a civitatibus nonnullis, & ipſis, ut allicerentur, privilegia, quibus uſura eis patebat, indulta, additis cautionibus, ne immodicam exigerent uſuram. Eis ideo paſſim modus uſuræ fuit præſcriptus. Permiſſa fuit hæc Judæis uſura in Lateranenſi *IV Cap.* 7, & porro exinde in Narbonenſi *Cap.* 2. At immodica repugnat *Clementina.* Unde in prævaricantes paſſim fuit animadverſum. Eſt autem *Mons pietatis* ſumma quædam pecuniæ, ex piorum eleemoſynis in pauperum opem collata, ut indigentibus ſub pignoris allati conditione aliquid gratis credatur. Inſtituti origo ſpectat ad *Hermolaum Barbarum*, Epiſcopum Veronenſem, Peruſii legatum Apoſtolicum, qui *Pii II* indultu primum pietatis montem Peruſii erexit, uſus ſacrorum oratorum e ſuggeſtu opera, Fr. *Barnabæ Interamnenſis*, Ordinis Minorum de obſervantia S. *Franciſci*, inter alios, ſi *Lucæ Waddingo ad A.* 1474 *n.* 11 fides eſt. At ex MStis tradit *Ballarinius*, curam eam fuiſſe creditam ac demandatam Fr. *Michaeli de Mediolano*, homini ejusdem Ordinis. Id ipſum patet ex literis *Hermolai Barbari*, ad *Pium II* A. 1462 menſe Aprili datis. Conſentit *Pompejus Pellinus* in

Pag. 90.

Historia Perusina Parte II. Privilegia, Judæis data, eaque usurariis, fuerunt Perusiæ A. 1462 revocata. Deinde consilium collegii Perusini A. 1474 montem pietatis substituit, ex quo aliquid pauperibus solveretur, &, ad operas sustentandas monti invigilantium, acciperetur pro singulo floreno unus sextenus singulis mensibus. Accessionem igitur, ultra sortem, a montibus fuisse exactam, facile patet. Ea tandem post varias controversias fuit definita. Erant hæc hominibus borealibus, eorumque notitiæ, haud deneganda. Ne vero credant Lectores, substitui posse usuras, ultra sortem elocatam accipi exigique solitas, Autor operose argumenta colligit, & objectiones dispungere conatur. Ni fuissemus jam longiores, in hisce edisserendis diligentiam nostram haud desiderari pateremur.

HERCULIS QUIES ET EXPIATIO, IN EXIMIO Farnesiano marmore expressa, interprete EDUARDO CORSINO, Cler. Reg. Scholarum piarum.

Florentiæ, 1751, fol.
Plag. 12, cum una Tabula ænea.

Anaglyphum Græcum, cujus & imaginem æri incisam, & interpretationem pereruditam, seque dignam, doctissimus ac perindustrius *Corsinus* hoc opusculo exhibet, non nunc quidem primum in oculos notitiamque doctorum hominum venit, ea tamen cura, eaque literarum copia, qua par erat, nondum fuerat expositum. Primus id in Notis ad *Palæphatum* publicaverat *Cornel. Tollius*, apographum *Peirescianum* ab *Isaaco Vossio* nactus. E *Tollio* repetierat *Reinesius* in *Syntagmate* suo *Inscriptionum*, feliciterque multa depravata & hiulca, teste Nostro, integraverat. Paulo post *Sponius* ex alio adhuc pejore fonte derivatum exemplum inscriptionis hujus Græcæ dederat in *Miscellaneis eruditæ Antiquitatis*, quod tamen *Donius* in chartas suas cum omnibus vitiis transtulerat. Verum, qui *Doniana* edidit, Clariss. *Gorius*, nactus a *Franc. Blanchinio* imaginem anaglyphi æri incisam, & inscriptionis exemplum, a *Petro Victorio* olim exaratum, omniumque emendatissimum, prudenter hoc *Sponiano* prætulit, Latinaque

naque interpretatione auxit, quam ad *Victorii* exemplum *Ant. Mar. Salvinius* confecerat. Omnia ista, imaginem puta, & Græca verba, & Professoris Florentini interpretationem, in *Thesauri* sui *Tom. I pag. 60* reddiderat *Muratorius*. Et hi quidem postremo loco laudati Itali monumentum hoc exhibuere cum plenius, tum emaculatius, quam aut a Gallo, aut a Belga, profectum fuerat: verum carebat id tamen eo doctæ interpretationis ornatu, sine quo perfecte intelligi nequit. Mansit itaque *Corsinum* hæc palma, quo qui hodie sit in Italis ea dignior, & a literarum, præcipue Græcarum, scientia instructior, novimus neminem.

Facit ille cum viris doctis, qui monumentum hoc attigerunt, &, quoniam, in eo *Herculis* a fatalibus sibi suis laboribus quietem spectandam proponi, existimarent, *Herculis quietem* appellarunt; qua tamen appellatione marmoris argumentum exhauriri negat. Nam cum quiete *Herculis* expiationis quoque ritus in eo conspici, quibus heros ille a cædibus numero plurimis purgatus, & consessui Deorum idoneus fuit factus. Quæ docti Viri sententia quo nitatur tibicine, curandum nobis, ut expositione nostra Lectori constet; ideoque marmoris persequendæ partes, & quædam velut imago verbis adumbranda est. Tres præcipuæ marmoris hujus sunt partes, dramata scilicet, vel actiones duæ diversæ, quarum superior saxum, qua late patet, supremum totum occupat, & septo quodam ab inferiore angustioribus spatiis inclusa discernitur. Inferiorem hanc imaginem duæ columnæ continent, utrinque singulæ, literis Græcis inscriptæ. Imum saxum implent noveni hinc illinc versus hexametri, & media intergesta brevis inscriptio, omnia itidem Græca. In summa itaque tabula prostat illud drama, quod *Corsinum* & reliquos, qui huc usque argumentum hoc versarunt, viros doctos in eam opinionem, vel errorem rectius, induxit, ut crederent, *Herculem* laboribus suis defunctum se conspicere. Est ibi *Hercules* sinistra tenens urceum, in quem Satyrus totum pæne se ingurgitat & abdit; vultum autem convertit *Hercules* ad fœminam, quam Satyrus alius, dubium, raperene tentet, an ad *Herculem* adducere, certe ita tenet amplexus, ut digitorum non dis-

 simulet

simulet petulantiam, sed, id quod *Philostratus* eleganter ait ἀπογεύσασθαι τῶν κόλπων, delibare sinum puellæ, videatur. Hanc, conjicit *Corsinus*, *Heben* esse, Deam Juventæ, quam in matrimonium duxisse *Herculem*, cœlo adscriptum, tradunt fabulæ. Adstat *Herculi* fœmina, cui superscriptum ΕΥΡΩΠΗ, manu tenens, modo, qui a monstroso parum abest, perticam, e qua dependet pannus, his verbis inscriptus: ΗΡΑΚΛΗΣ ΑΝΑΠΑΟΜΕΝΟΣ ΓΞΑΔΟΣ Horum verborum prima duo negotium Nostro nullum faciunt, prorsus non dubitanti, ea *Hercules quiescens* significare; postremas autem uniusne, an duarum vocum, literas, multiplicibus conjecturis jactatus, tamen non expedit. Tantum obfuit Viro doctissimo in unica literula error, ut significationem totius illius dramatis non perspiceret; quem tamen errorem facile animadvertisset, si recogitasset, non ἀναπαόμενος, sed ἀναπαυόμενος, dici pro *requiescente*. Dubio itaque vacat, ΑΝΑΠΛΟΜΕΝΟΣ ΕΞ ΑΔΟΣ, id est, ἀναπλόμενος ἐξ Ἅδος vel Ἅδης, *rediens ex inferis Hercules*, legendum esse. Περιπλόμενος ἐνιαυτὸς est dictio, ex *Homero* nota. Quodsi ergo *Hercules* ille, non quiescens, sed redux ab inferis, est; nequit fœmina, quod Noster voluit, *Hebe* esse, sed est *Alcestis*, quam ut extorqueat *Hercules* raptori *Morti*, & *Admeto* marito restituat, fabula tragica executus est *Euripides*. Subjectum huic dramati alterum a superiore dirimit obscurum aliquid, haud æquali latitudine per totam tabulam porrectum, & ambas attingens oras, septum, quod, quia extremos *Herculis* artus a femoribus inde occulit, pro leonis exuviis, familiari *Herculis* veste, habitum fuit a *Corsino*. Agnoscas tamen, tabulam æri incisam adspiciens, haud ægre, fumum esse, a tæda adscendentem, quam sacra facientes fœminæ duæ super ara, una tenet, altera oleo ex ampulla affuso rigat. Pone illas fœminas stat vir ad aliam aram, pateram porrigens. Hujus imagine *Amphitryonem*, *Herculis* patrem, fœminæ autem alterius imagine *Admetam*, *Eurysthei* filiam, significare voluisse sculptorem, colligitur ex inscriptionibus, cuique additis, quibus nos haud immorabimur. Monuisse suffecerit, *Corsino* videri (causas ipse satis copiose persequitur) sacrificium, cujus ea imago est, lustrale

lustrale *Herculis* fuisse. Ex quo nata fuit inscriptio hujus opusculi, superius posita.

His pertractatis, accedit ad praecipuam Anaglyphi hujus partem, inscriptionem nempe Graecam, bene longam, in duas columnas distributam, centum & triginta quinque versibus, sermone soluto, res ab *Hercule* gestas, & πράξεις a Graecis appellatas, enarrantem. Nam τὰς ἄθλας sic dictos, seu *labores*, carmen heroicum octodecim versuum, in basi positum, eloquitur. Utrumque inscriptionum genus, multas expertum ab hominibus & longo aevo injurias, misere mutilatum est, ut vastum haberet *Corsinus* campum, quo suam in emendandis pravis, & supplendis lacunis, dexteritatem & exerceret, & monstraret. Non profecto pepercit operae, neque dubitare nos sinit ea, qua pollet, egregia veteris Historiae & Graeci sermonis peritia, quin feliciter omnia, aut pleraque certe, pristinae restituerit integritati. Quo autem Lectores ejus aestimare conjecturas ipsi possent, non satis sibi visus est facere, si, quod fecit, eandem illam imaginem aeri incisam, quam *Gorius* Roma acceperat, redderet: verum etiam, cum literae Graecae longae prosaicae inscriptionis in ea tabula nimis minutae essent caelatae, ut aciem oculorum non possent non fatigare; eandem inscriptionem, antequam ad eam interpretandam se accingeret, typis vulgaribus Graecis, per sex, quas appellant, columnas explicuit, quarum prima majoribus literis totidem apices, quot ipsum marmor lacerum adhuc praestat, reddit. Secunda columna majoribus item literis eandem exhibet inscriptionem ex mente *Corsini* integratam & emendatam. Modum eundem marmoris hujus legendi, quem *Corsinus* suadet, minoribus Graecis literis repetit tertia columna, quod oculi nostri, longa consuetudine, hoc genus prae altero amant, & expeditius legunt. Quarta porro dat interpretationem Latinam, a Nostro profectam, ad Graeca, ut quidem ipse constituit, exactam. Quinta *Petri Victorii* apographum, & sexta tandem ad illud apographum confectam *Salvinii* Latinam interpretationem, reddunt. Quo factum, ut uno velut oculi ictu doctorum hominum circa hoc vetusti aevi monumentum studia & discrepantes opiniones lustrari, earumque momenta ex-

pendi a prudentibus, queant. Commentarius tandem extremus rationes conjecturarum singularum exponit, & res gestas, quarum in marmore mentio fit, e Græcis vetustis Autoribus repetit, largaque manu ea affert omnia, quæ intelligendo huic monumento faciunt. Finem Dissertationi facit Autor expediendo quæstionem, cuinam ætati idem debeatur. Ipse quidem opus hoc eximium, ejusque artificem peritum & elegantem, appellat, ævoque primis Cæsaribus aut antiquiori, aut certe æquali, asserere nullus dubitat; &, cum in hoc marmore versus unus legatur, qui prorsus idem etiam in *Q. Calabro* legitur, censet, eum a lapidario petitum ex isto Poeta fuisse, ideoque pedibus it in *Barthii* sententiam, qui dictum modo Poetam ad *Augusti* ævum refert.

FLORA SIBIRICA, SIVE HISTORIA PLANTARUM Sibiriæ.

Tomus II.

Petropoli, ex typographia Academiæ Scientiarum, 1749, 4 maj. Alph. 1 plag. 7. cum Tabb. æn. 98.

Clarissimus Autor, classes plantarum flore composito aggregato, plantasque tricoccas, hoc *Tomo* exhibiturus, de momentis divisionum, quibus amplissimus ille florum ordo dividi porro possit, sollicitus est, & sane, difficilem hunc laborem esse, percipit, cum notæ characteristicæ, quibus genera infima definiri solent, in hac plantarum classe ita evidentes non sint, sicut in reliquis esse solent plantarum ordinibus, quæ flore sunt simplici, utpote in quibus petalorum, calycis, staminum, pistillorum, determinata series maximam definitionibus adornandis facilitatem parit. Etiamsi enim, compositos flores in tres classes a *Vaillantio*, cynarocephalorum, corymbiferorum, cichoraceorum, divisos esse, intelligas; vix tamen hæc divisio ad distinctos in mente discentium conceptus ordinandos sufficit, cum plurimi sint ex corymbiferis, denso scilicet ordine una nascentibus, quæ cynarocephala videri possint, veluti sint aliquæ ex Atractylidibus. Proinde suum esse duxit Clarissimus Autor, ita ordinare genera, ne æquivocationi locus esset, quod ut efficeret, ad florum receptacula

ptacula respexit, prout illa flores suos vario modo stringunt ac continent, variove modo vel glabra sunt, vel hirsuta, vel aculeata, in quibus calycis florum compositorum communis contemplationibus, dici nequit, quanta sit ad plantæ ipsius definitionem conciliandam commoditas. Quod enim ad flosculorum ipsorum, qui florem compositum faciunt, diversitates attinet, ita perpetuæ illæ non sunt, ut, cum flos radiatus unus est, alter autem eo destituitur, propterea dispar genus esse debeat, uti inter Verbesinæ species, interque Petasiditas, est, quarum aliqua species flore radium haud habente, alia radiata, apparet, quas plantas propterea aliquis divelleret, qui, radiorum flores neutros esse, ignorat. Quæ cum ita sint, constante aliqua methodo usurus Clariss. Autor, flores compositos, quorum scilicet flosculi perianthio proprio destituuntur, ad quatuor ordines, semiflosculosorum, capitatorum, eorum, qui sunt flore nudo, & denique eorum, qui sunt flore constanter radiato, digessit. Faciliores digestu sunt plantæ, quibus flos est aggregatus, talis scilicet, cujus flosculi, etiamsi receptaculo aliquo communi sustineantur, præterea tamen & calycem ad singulos flosculos singulum continent, veluti sunt Dipsaci. Quod denique ad plantas tricoccas, quarum semina tria nuda sunt, attinet, sicut exiguus ille plantarum ordo est, &, præter euphorbia & tithymalos, nullas alias continet, ita differentia generum haud difficulter sistitur, quæ utrique harum plantarum classi intercedit. Magnam sane Clariss. Autori habemus gratiam, quod isto novaturientium impetu abripi sese passus haud fuerit, malueritque cum veteribus clarius, quam cum recentibus luxuriosius, sentire ac scribere. Quamdiu enim, tam in re herbaria, quam in reliquis artis nostræ disciplinis, ultra captum discentium magistri loquuntur, nec tam discipulis, quam sibi, ac paucis eruditis, placere student, inanem navabunt operam, plusque discentium animos confundent, quam erudient. Quanto laudabilius institutum Clarissimi Autoris est, simplicissimos conceptus, eosque naturæ rei similes, præferendi magis mixtis, & sola novitate placentibus, & nominibus usu receptis suam servandi dignitatem, a quorum mutationibus infiniti errores ac plurimæ dissensiones pendere possunt ac solent, uti nunc fit, ut, quo titulo herbulam ab exteris po-

stulare

ſtulare debeamus, ignoretur. Noſter autem, caſto & puro ſermone uſus, anomalias haud veritus, quas abeſſe a methodis haud poſſe, nemo neſcit, ita ubique agit, ſentit, exponit, ut methodici, ſibi conſtantis ac perſpicui, laudem omnino mereatur. *Claſſis* igitur *ſexta primum genus* plantas continet flore compoſito ex ſemifloſculis, quod genus ampliſſimum in eo tamen convenit, quod & ſuccus illi inſit lacteus amareſcens, & pappus, ex ſeminibus lanatis configuratus, fructificationis modum conſtituat. Ea tamen omnibus intercedit differentia, quod, ſi florendi modum inſpicias, aliquæ ex his gaudeant floribus ſolitariis, aliis flos ſit in corymbum collectus, quamvis hæc florendi diverſitas genus omnino non mutet, cum ex ſonchis variæ ſpecies habeantur corymbiferæ. Neque difficile eſt, ſi calicum ſquamas, eminentias, formam, calamum, aliaque, inſpicias, Hieraciorum, Leontotondon, Lampſanarum, aliorumque generum, definitiones inſtruere, quorum ſingulares ſpecies, per Sibiriam obvias, præclarus Autor ſcriptione clara & icone nitida luculenter expreſſit. *Alterum Caput* plantas continet, quarum flos eſt capitatus, plurimis ſcilicet floſculis intra calicem, plerumque ovatum, aut pyramidatum, aut conicum, contentis. Hujus generis genera media, aut infima, conſtituere, arduum omnino eſt, ſi ex ſolo flore eadem metiri velis, niſi etiam ad ſemina, eorumque lanatam membranaceamve compagem, reſpicias, florendique modum ſimul addas, uti vel ſolitarii flores, vel gregarii, ſunt, veluti in Serratulis. Proinde, niſi carduum calyx ſpinoſus, floſque ſolitarius, niſi cirſium calyx ſubaſper, ſignificaret, haud ſane appareret facile, quale diſcrimen inter has plantas ſtatuendum ſit. Verum nec iſta omnino ſufficiunt; igitur & ſeminum ratio in definitionibus adjicienda ſæpe eſt, ad quorum conditiones unam alteramve Clariſſimus Autor in deſcriptionibus ſuis ubique reſpicit. *Tertius* ordo plantas habet, quibus flos eſt nudus, radio ſcilicet deſtitutus, in quorum ordine xeranthemum invenire, illos forte offenderet, qui, radium hujus floris, uti prima facie talis eſſe apparet, vix quidquam eſſe aliud, quam calicis eminentiorem partem, ignorant; ex quo ordine etiamſi aliqui ſunt, uti bidentes & ſeneciones, qui radio gaudent, ut propterea illius abſentia, vel præſentia, genus mutare poſſe haud

haud videatur. Attamen, cum in aliquo florum genere radius non nisi ex luxurie quadam adest, illius præsentia ita minus, uti nec plenitudo florum, genus mutare valet. Ex hoc ordine potissimum Gnaphalia, Artemisias, Absinthia, Bidentes, Seneciones, & Tanaceta, per Sibiriam Clariss. Autor observavit, atque horum generum differentias ex calice splendente, veluti in Gnaphaliis, ex modo florendi corymbifero, uti in Tanacetis, hinc semine aculeato, uti in Bidentibus, descripsit ac delineavit. Quartus ordo illas plantas sistit, quarum flos constanter est radiatus, cum alii flores, fœminei *Linnæo* visi, neutri autem *Vaillantio* & *Ludwigio* habiti, quoad formam lingulati, seu semiflosculosi, ad marginem thalami sistantur, reliquis, per discum ordinatis, utriusque sexus florem continentibus, etiamsi hic aliqua anamolia intercurrat, sintque inter petasitidas, quarum flos radio omnino haud destituitur. Sub hoc genere recenset Noster Tussilagines, Doronica, Solidagines, Asteres, Achilleas, & Pyrethra, uti & Matricarias cum Calendulis, quarum differentias si quis rimari velit, definitionis modos in modo florendi solitario, vel corymbifero, seminum, vel soliditate, vel mollitie, radiorum proportione ad discum, disci ipsius planitie, vel convexitate, facile inveniet. Denique hoc *Tomo* continetur *Classis septima* plantarum, quæ sunt flore aggregato, ex quarum ordine recensentur Dipsaci, Scabiosæ, Staticæ, quibus annumerantur Limonia. Neque vero difficile est, horum quoque generum discrimen statuere, si ad calicis, tam unicuique flosculo proprii, quam communis, qui flosculos laxius continet, respicias. Agmen claudunt *Classe octava* plantæ, tricoccæ dictæ, quarum semina ad singulum florem tria nuda sunt, eademque, uti & planta ipsa est, lacte acri turgida, ut propterea & ipso effectu caustico & purgante optime conveniant. Sub hac *Classe* recensentur Euphorbia & Tithymali, inter quæ genera discriminis, quantum ad florendi fructificandique modum, adeo parum est, ut promiscue Lathyridum, Peplidum, Tithymalorum, atque Euphorbiorum, nomine compellari possint. En igitur alterum itineris Sibirici monumentum, magno labore & singulari eruditione ubique instru-

instructum. Vota pro Clarissimi Autoris incolumitate facimus, quo & reliqua suo tempore exhibere nobis possit.

OBSERVATIONS FAITES AU CAP DE BONNE Esperance, &c.

hoc est,

OBSERVATIONES, HABITÆ IN PROMONTORIO Bonæ Spei, ad determinandas Parallaxes Lunæ, Martis, & Veneris, per Abbatem DE LA CAILLE, Academiæ Scientiarum Regiæ Parisiensis Socium.

Parisiis, 1752, 4.
Plag. 3 dimidiat.

Thesaurus hic observationum, quamvis non nisi *paginas 12* impleat, Astronomis tamen auro contra carior esse debet. Prima habita d. 10 Maji A. 1751, ultima d. 26 Febr. A. 1752. Conqueritur diligentissimus Observator, vento notapeliota (S. O.) flante in promontorio, quod a Septembri in Aprilem sæpissime contingat, omnia sidera, per telescopia si videantur, tanto magis tremebunda apparere, quanto propinquiora sint horizonti, longioresque tubi. Luna nonnunquam tam confusa, ut ne vividissimæ quidem maculæ dignosci queant, margines tam crispi fluctuantesve, stellæ tam magnæ quasi & male terminatæ, cometarum instar, ut, quantacunque adhibita cura, sæpe tamen impossibile sit, altitudines exacte capere, lunarium marginum præcipue, nisi forte ipso tansitus per meridianum momento hæc cesset agitatio, cum nonnunqnam contingat, aliquot secundis astra tranquillo satis fulgere splendore. Altitudo poli determinata in promontorio *33°. 55'. 12"*. Dolendum modo, tot in Promontorio & Wittenbergæ habitis observationibus non tamen nisi 9 pro Luna, & 6 pro Marte, eodem habitas tempore.

OBSERVATIONES ASTRONOMICÆ, QUAS EX præscripto Academiæ Scientiarum Regiæ Parisiensis habuit Wittembergæ G M. BOSE.

Insti-

Institutæ sunt hæ Observationes Tubo 6 pedum, quem brevitatis causa *A*, & alio 8 & dimid. pedum, quem *B* dicimus. Horum quivis elegantissimo micrometro gaudet *Hireano*, aut *De l'Isleano*, cui filum bombycinum tenuissimum cochlea mobile, hujus una revolutio in 360 grad. divisa. Adsunt præter hoc duo obliqua, & novem alia, quæ, ut occasio tulerit, nunc tot verticalium, nunc tot parallelorum, vices subeunt, cum diurno, seu horizontali. T. C. p. 10. a. c. significat tempus correctum per 10 paria altitudinum correspondentium solis; hæ capiebantur quadrante telescopio 18 pollicum, & micrometro filari instructo, singula minuta prima exhibente. Sciunt tamen lugentque Astronomi adhuc, quam raræ toto hoc anno serenæ noctes fuerint diesque. Hinc, ubi in monito Clariss. *de la Caille* nox designata, egoque observationem proferam nullam, sancte testor, id nulla mei culpa, sola cœli barbarie, contigisse. Ubi tempus exhibetur non addito T. C. p. a. c., nocte inopinato cœlum vultu nos dignabatur sereno, die præcedente & sequente cimmeriis tenebris merso. Ideo integro Martio A. 1751 absolute nil observatum, nisi quod (dies semper Romano charactere notando)

	hor. min. sec.		min. sec.
IX.	9. 41.	diam. Lunæ tubo A =	30. 12.
XI.	11. 0.	idem B =	30. 50.

APRILIS.

XIII.	10. 58.	diam. Lunæ tubo B =	29. 11.	forsan phasis.
	11 21.	idem - - A =	29. 44.	
	11. 36.	- - - A =	29. 47.	
	11. 53. 48.	emersio ♂ ♏, tubo A & B, uno instanti; sequentia tubo A.		

m. sec.				m. sec.	
17.	12. 7. 27.	✶ ad verticale.			transitus Lunæ illuminatæ.
	7. 44.	margo Lunæ ad idem.	}	2. 2.	
	9. 46.	margo Lunæ alter ad idem.	}		
46.	21. 31.	✶ ad verticale.			
	22. 17.	margo Lunæ ad idem.	}	2. 2.	
	24. 19.	margo Lunæ alter ad idem.	}		

m. sec.	hor. min. sec.		m. sec.
	27. 0.	diam. ☾ æ tubo A = 29. 44.	
1. 5.	34. 1.	✡ ad verticale.	
	35. 6	margo Lunæ ad idem.	2. 1.
	37. 7.	margo Lunæ alter ad idem.	
1. 18.	38. 24.	✡ ad verticale.	
	39. 42.	margo Lunæ ad idem.	2. 0.
	41. 42.	margo Lunæ alter ad idem.	
1. 22.	43. 49.	✡ ad verticale.	
	45. 11.	margo Lunæ ad idem.	2. 3.
	47. 14.	margo Lunæ alter ad idem.	
1. 37.	52. 15.	✡ ad verticale.	
	53. 52.	margo Lunæ ad idem.	2. 0.
	55. 52.	margo Lunæ alter ad idem.	
1. 46.	1. 1. 19.	✡ ad verticale.	
	3. 5.	margo Lunæ ad idem.	2. 1.
	5. 6.	margo Lunæ alter ad idem.	
	7. 0.	Lunæ margo inferior (in tubo) erat humilior, quam stella 1'. 24".	
2. 6.	13. 19.	✡ ad verticale.	
	15. 25.	margo Lunæ ad idem.	2. 0.
	17. 25.	margo Lunæ alter ad idem	
2. 22.	23. 13.	✡ ad verticale.	
	25. 35.	margo Lunæ ad idem.	2. 2.
	27. 37.	margo Lunæ alter ad idem.	
	31. 0.	diam. ☾ æ tubo A = 29. 42.	
XV.	2. 54. 0.	diam. ☾ æ tubo B = 29. 30. mane.	

O cœli crudele & inexorabile fatum!
Sol, qui me juvit, *Florida*, sole, meus,
Flammea quæ toties, *Henrica*, in flammea Phœbi
Rexisti filum, postea quando reges?
Ultima *lux* hæc est, ubi *lux* mea supputat horas.
Quid mihi cum cœlo? Terrea *sole* carent.

MAJI.

MAJI.

X. T. C. p. 10 a. c. die 10, & per 5. a. c. die 11.

hor. min. sec.

12. 11. 53. diam. Lunæ = 29′. 48″.
19. 12. margo Lunæ ad verticale.
21. 24. margo Lunæ alter ad idem.
33. 21. ♂ ♏ ad idem. Lunæ margo superior (in tubo) erat humilior, quam stella 2′. 33″. tubo A.

12. 41. 50. diam. Lunæ = 29. m. 41. sec.
47. 11. margo Lunæ ad verticale.
49. 21. margo Lunæ alter ad idem.
1. 0. 35. ♂ ♏ ad idem. Lunæ margo superior (in tubo) erat humilior, quam stella 2′. 22″. tubo B.

JUNII.

hor. min. sec.

X. 12. 50. diam. Lunæ tubo A = 29′. 48″. mane.
1. 13. diam. Lunæ tubo B = 29′. 54″.

X. vesperi.

10. 31. 31. emersio ♃ tubo B.
diam. lunæ 29′. 25″.

m. sec.

26 ½ { 43. 24½. ✡ ad verticale. transitus Lunæ illuminatæ.
43. 51. margo Lunæ ad idem.
46. 1. margo Lunæ alter ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) erat humilior, quam stella 10′. 12″.

45 { 52. 36. ✡ ad verticale.
53. 21. margo Lunæ ad idem. } m. sec. 2. 8.
55. 29. margo Lunæ alter ad idem.

51. { 59. 55. ✡ ad verticale.
11. 0. 46. margo Lunæ ad idem. } 2. 9.
2. 55. margo Lunæ alter ad idem.

1. 6. { 5. 31. ✡ ad verticale.
6. 37. margo Lunæ ad idem. } 2. 9.
8. 46. margo Lunæ alter ad idem.

1. 15 { 11. 47. ✡ ad verticale.
13. 2. margo Lunæ ad idem. } 2. 9.
15. 11. margo Lunæ alter ad idem.

hor. min. sec.

m. sec.

20. 16. ✡ ad obliquum 1.

20. 42. eadem ad verticale.

1, 30. [21. 8. eadem ad obliquum 2. m. sec.

22. 12. margo Lunæ ad verticale.] 2. 10.

24. 22. margo Lunæ alter ad idem.]

diam. Lunæ 29′. 25″.

A U G U S T I.

T. T. C. p. 9. a. c. Tubo A.

8. 17. 20. diam. Lunæ = 27′. 20″. forsan phasis.

8. 24. 21. margo Lunæ ad verticale.] 1. 52.

26. 13. margo Lunæ alter ad idem.]

28. 56. margo Lunæ ad verticale.] 1. 50½.

30. 46½ margo Lunæ alter ad idem.]

9. 58. 24. ✡ ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) erat altior, quam stella 5′. 6″.

10. 1. 37. alia ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) erat humilior, quam stella 5′. 6″.

Tubo B.

8. 40. 20. diam. Lunæ = 30′. 25″.

8. 45. 33. margo Lunæ ad verticale.] 1. 46.

47. 19. margo Lunæ alter ad idem.]

49. 3. margo Lunæ ad verticale.] 1. 48.

50. 51. margo Lunæ alter ad idem]

52. 41. margo Lunæ ad verticale.] 1. 47.

54. 28. margo Lunæ alter ad idem.]

10. 19. 16. ✡ ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) erat humilior, quam stella 0′. 53″.

21. 39. ✡ alia ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) erat altior, quam stella 7′. 4″.

24. 51. ✡ alia ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) erat humilior, quam stella 4′ 42″.

Accurata observatio. Ambo tubi in hoc situ & verticali firmiter retinebantur in crastinam observationem.

III.

III. T. C. p. 9. a. c. Tubo A.

hor. min. fec.

9. 20. 24. margo Lunæ ad verticale.
21. 2. idem ad obliquum.
21. 53. idem ad obliquum. <
22. 23. margo Lunæ alter ad verticale.
55. 49. ✡ ad verticale. Lunæ margo fuperior (in tubo) erat humilior, quam ftella 5'. 6".
59. 18. ✡ alia ad idem. Lunæ margo fuperior (in tubo) erat humilior, quam ftella 10'. 12".
10. 32. 2. diam. Lunæ = 30'. 11".

Tubo B.

9. 44. 15. margo Lunæ ad verticale.
45. 14. idem ad obliquum.
45. 18. idem ad obliquum. <
46. 14. margo Lunæ alter ad verticale.
10. 14. 47. ✡ ad verticale. Lunæ margo fuperior (in tubo) erat humilior, quam ftella 19'. 31'.
15. 43. ✡ alia ad idem. Lunæ margo fuperior (in tubo) erat humilior, quam ftella 15'. 54.
27. 2. diam. Lunæ = 31'. 32".

Dein nubes tenues, fat craffæ tamen, quæ reliquas 2 ftellas, tubo A vifas, obfervari prohiberent.

S E P T E M B R I S.

VIII. Tubo A.

	hor. min. fec.			hor. min. fec.			fec.
10.	6. 41.	γ Pegafi &	11. 54. 35.	Lunæ margo ad	1. verticale.		
20".	7. 1.	- -	54. 57.	- -	2.	- -	22
20.	7. 21.	- -	55. 19.	- -	3.	- -	22
22.	7. 43.	- -	55. 41.	- -	4.	- -	22
22.	8. 5.	- -	56. 2.	- -	5.	- -	21
21.	8. 26.	- -	56. 24.	- -	6.	- -	22
21.	8. 47.	- -	56. 46.	- -	7.	- -	22
21.	9. 8.	- -	57. 7½	- -	8.	- -	21½
22.	9. 30.	- -	57. 30.	- -	9.	- -	22½

hor.

hor. min. sec.				sec.
11. 58. 10.	Lunæ margo alter ad	- -	5. verticale.	
58. 31.	- - -	- -	6. - -	21
58. 52.	- - -	- -	7. - -	21
59. 14.	- - -	- -	8. - -	22
59. 36.	- - -	- -	9. - -	22

12. 16. diam. Lunæ = 32′. 55″.

Lunæ margo inferior (in tubo) erat humilior, quam stella 12′. 45″.

OCTOBRIS.

IX die de occultando Jove a Luna plane desperandum erat. Hora tamen 4 nubes dicto citius dissipabantur. Mihi, observatorio meo, si fas ita appellari, excluso, non adhibere dabatur nisi telescopium terrestre 3 pedd. 3 vitris ocularibus instructum, & optimæ notæ. Hoc emergere incipiebat Jov. 4 h. 25 m. 16 sec. totusque detectus 4 h. 27 m. 46 sec. Utebar horologio aureo *Charlessoni*, quod, peracta observatione, cum pendulo, & hoc iterum post horam sextam multiplici & insano labore cum oscillatorio astronomico, conferebam. Hinc non nisi summa modestia hos in medium protuli numeros. Hora septima eodem parvo telescopio Jovem multum a Luna remotum perbene adhuc videbam.

XXIII.	5 h.	22′.	diam. Lunæ =	29′. 0″.	tubo A.
XXVI.	7.	49.	- -	29. 52.	tubo A.
	8.	16.	- -	30. 35.	tubo B.

NOVEMBRIS.

III. T. C. p. 14. a. c. Tubo A.

hor. min. sec.

7. 44. 59. γ ♈ ad verticale.

10. 17. 35. ✡ ad idem. Hæc humilior, quam margo ♃ super. 5′. 6″.

21. 26. alia ad idem. Hæc altior, quam margo ♃ super. 1, 42.

40. 31. margo Jovis prior ad idem.

40. 38. margo Jovis alter ad idem.

☾ cum γ ♈ comparari debebat; ergo a priore observatione ad secundam tubus tristi fato loco motus sit oportet.

IV.

IV. T. C. p. 10. a. c. die 4, & per 12. a. c. die 5.
hor. min. sec.
8. 58. 30. diam. Lunæ = 33′. 46″. Tubo A.
9. 13. 38. margo Lunæ ad verticale.
9. 16. 10. margo Lunæ alter ad idem.
10. 29. 16. ✡ ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) humilior erat, quam ſtella 6′. 48″.
10. 32. 41. ✡ alia ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) humilior erat, quam ſtella 11′. 54″.
11. 56. 37. ✡ alia ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) humilior erat, quam ſtella 22′. 6″.
12. 3. dub. ✡ alia ad idem. Lunæ margo inferior (in tubo) humilior erat, quam ſtella 1′. 42″.

Si quatuor hi appulſus tot ſtellarum ad idem verticale cum monito Clariſſ. *de la Caille* conferantur, prima ζ ♉, tertia ζ ♊. fuiſſe videtur, quod tamen, lyncea mea auxiliatrice deſtitutus, aſſerere non audeo, quæ ſola in tanto lunæ ſplendore ſtellas mihi inviſibiles ad *Bayeri* Uranometriam examinare, ſententiamque ferre, valuiſſet. Tubus in hoc ſitu & verticali immotus relinquebatur, pro craſtina obſervatione.

V. T. C. p. 12. a. c. Tubo A.
10. 16. 38. margo Lunæ ad verticale.
10. 18. 47. margo Lunæ alter ad idem.
11. 52. 41. ✡ ad idem. Lunæ margo ſuperior (in tubo) humilior erat, quam ſtella 39′. 57″.

Heſternæ ſtellæ ob nimium Lunæ jubar non certo detegi poterant, nec tubus totam Phœben capiebat.

1752. JANUARII.

XXIV. Tubo A.
4. 57. 31. margo Lunæ, in tubo ſiniſter, ad verticale.
6. 34. 48. ✡ ad idem. Lunæ margo ſuperior (in tubo) altior erat, quam ſtella vix 15″.
39. 46. ✡ alia ad idem. Lunæ Margo ſuperior (in tubo) humilior erat, quam ſtella 15′. 18″.
41. 52. ✡ alia ad idem. Lunæ margo ſuperior (in tubo) humilior erat, quam ſtella 20′. 24″.
39. 46. ✡ alia ad idem. Lunæ margo ſuperior (in tubo) humilior erat, quam ſtella 20′. 24″.
47. 9. *Aldebaran* ad idem. Et exactiſſime in eo ipſo filo, quod margo Lunæ ſuperior 4 h. 57′. 31″. raſerat.
7. 1. 0. diam. Lunæ = 32′. 41″.

XXIX. Tubo A.

hor. min. fec.

5. 41. 45. *Aldebaran* ad verticale.
9. 8. 46½ margo Lunæ ad idem.
9. 11. 10. margo Lunæ alter ad idem. Lunæ margo fuperior (in tubo) humilior erat, quam ftella 1′. 16″.
diam. Lunæ = 33′. 50″.

Sæpe per unum marginum lunarium, confinium lucis & umbræ intelligo, quod femper accuratius a me notatum mallem.

Suavia quam raro junxit formofa *Diana*,
Sol dum volvendo fic peragrabat iter.

PRO MARTE 1751.

AUGUSTI. Tubo A.

XXXI. h. min. fec.

25″ (11. 33. 11. ♂ ad verticale.
33. 36. ✡ ad idem.

34. 33.) margg.
= 25 (34. 36.) ♂ ad vert.
35. 1. ✡ ad idem.

36. 19.) margg.
24 (36. 23.) ♂ ad vert.
37. 47. ✡ ad idem.

47. 4.) margg.
25 (47. 8.) ♂ ad vert.
47. 33. ✡ ad idem.

XXXI. h. min. fec.

12. 5. 50.) margg.
25 (5. 54.) Mart. ad vert.
6. 19. ✡ ad idem.

8. 10.) margg.
25 (8. 14.) Mart. ad vert.
8. 39. ✡ ad idem.

9. 35.) margg.
25 (9. 39.) Mart. ad vert.
10. 4. ✡ ad idem.

23. 45.) margg.
25 (23. 49.) Mart. ad vert.
24. 14. ✡ ad idem.

Parallelus *Martis* altior (in tubo), quam parallelus ftellæ 10′. 12″.

SEPTEMBRIS. Tubo A.

h. min. fec.

I. 11. 20. 21. ✡ ad verticale.) 1′.4″.
22. 25.) ♂ ad idem.)
22. 29.)

33. 50 ✡ ad verticale.) 2.3.
35. 53) ♂ ad idem.)
1′.4″. (35. 57
37. 1. ✡ alia ad idem.

h. min. fec.

39. 59. ✡ ad verticale.) 2.3.
42. 2.) ♂ ad idem.)
1.7.) 42. 6.)
43. 13. ✡ alia ad idem.

h. min.

h. min. sec.
46. 54. ✡ ad obliquum.
47. 38. eadem ad verticale.
48. 47.) ♂ ad obliqu.) 2.0.
48. 51.)
49. 38.) idem ad vert.)
49. 42.)
12. 9. 21. ✡ ad vertic.) 2. 4.
11. 25.) ♂ ad idem)
1. 4.) 11. 29)
12. 33. ✡ alia ad idem.
13. 57. ✡ ad vertic.) 2. 1.
15. 7.) ♂ ad obliqu.)
15. 11.)
15. 58.) ♂ ad vertic.
16. 2.)
22. 12. ✡ ad vertic.) 2. 1.
24. 13.) ♂ ad idem.)
1. 5.) 24. 17.)
25. ~~22~~ ✡ alia ad idem.
29. 26. ✡ ad vertic.
31. 29.) ♂ ad idem.) 2. 3.
31. 33.)
41. 41. ✡ ad vertic.) 2. 1.
43. 42.) ♂ ad idem.)
1. 5.) 43. 46.)
44. 51. ✡ alia ad idem.
I. 12. 46. 46. ✡ ad vertic.) 2. 1.
48. 47.) ♂ ad idem.)
48. 51.)
53. 32. ✡ ad vertic.) 2. 1.
54. 28.) ♂ ad obliqu.)
54. 32.)
55. 33.) ♂ ad vertic.
55. 37.)

Si hesterna ✡, C in schemate de *l'Isleano*; &, quæ hodie accessit, D in eodem, erat parallelus *Martis* altior (in tubo), quam parallelus C 18′ 42″; & nullatenus a parallelo D differebat.

h. min. sec.
III. 11. 4. 37. ✡ ad vert. an D?) 13″.
4. 50.) ♂ ad idem.)
4. 54.)
7. 48 D ad vertic.) 13.
8. 1.) ♂ ad idem.)
8. 5.)
11. 46. D ad vertic.) 14.
12. 0.) ♂ ad idem.)
3′. 0″) 12. 4.)
15. 4. ✡ alia ad idem, an C?
17. 27. D. ad vertic.) 13.
17. 40.) ♂ ad idem.)
3. 0.) 17. 44.)
20. 44. C. ad idem.
22. 46. D ad vertic.) 14.
23. 0.) ♂ ad idem.)
2. 59.) 23. 4.)
26. 3. C. ad idem.
28. 54. D ad vertic.) 13.
29. 7.) ♂ ad idem.)
2. 59) 29. 11.)
32. 10. C. ad idem.
35. 27. D. ad vertic.) 13″.
35. 40.) ♂ ad idem.)
35. 44.)
40. 32. D. ad vertic.) 12.
40. 44.) ♂ ad idem.)
2. 59) 40. 48.)
43. 47. C. ad idem.

h. min. sec.

45. 35. D. ad vertic.) 12.
45. 47.) ♂ ad idem.
45. 51.)

50. 24. D. ad vertic.) 12.
50. 36.) ♂ ad idem.
3. 0.) 50. 40.)
53. 40. C. ad idem.

11. 56. 4. D ad vertic.) 13.
56. 17.) ♂ ad idem.
56. 21.)
2. 59) 59. 20. C. ad idem.

12. 1. 20. D. ad vertic.) 12.
1. 32.) ♂ ad idem.
1. 36.)
3. 0) 4. 36. C. ad idem.

6. 59. D. ad vertic.) 12.
7. 11.) ♂ ad idem.
7. 15.)
3. 0.) 10. 15 C. ad idem.

Parallelus *Martis* altior (in tubo), quam parallelus C 30′. 36″. & altior, quam parallelus D 11′. 54″.

IV. 11. 1. 39.) ♂ ad vertic.) 45″.
1. 43.)
2. 28. D. ad idem.

4. 49.) ♂ ad vertic.) 45.
4. 53.)
5. 38. D. ad idem.

6. 32.) ♂ ad vertic) 45.
6. 36.)
7. 19. D. ad idem.

11. 8. 41.) ♂ ad vertic.) 42″
8. 45.)
9. 27. D. ad idem.

h. min. sec.

10. 45.) ♂ ad vertic.) 42.
10. 49.)
11. 31. D. ad idem.

12. 53.) ♂ ad vertic.) 42.
12. 57.)
13. 39. D. ad idem.

14. 53.) ♂ ad vertic.) 45.
14. 57.)
15. 42. D. ad idem.

16. 31.) ♂ ad vertic.) 43.
16. 35.)
17. 18. D. ad idem.

18. 51.) ♂ ad vertic.) 41.
18. 55.)
19. 36. D. ad idem.

20. 38.) ♂ ad vertic.) 43.
20. 42.)
21. 25. D. ad idem.

22. 20.) ♂ ad vertic.) 41.
22. 24.)
23. 5. D. ad idem.

25. 57.) ♂ ad vertic.)
26. 1.)
26. 43. D. ad idem.) 42.
4′. 7″.) 30. 4. C. ad idem.)

32. 5.) ♂ ad vertic.
32. 9.)
32. 52. D. ad idem.) 43.
4. 7.) 36. 12. C. ad idem.

37. 19.) ♂ ad vertic.) 41.
37. 23.)
38. 4. D. ad idem.
4. 6.) 41. 25. C. ad idem.

Parallelus *Martis* altior (in tubo), quam parallelus C. 35′. 17″. & altior, quam parallelus D. 10′. 34″.

V. Pa-

V. Parallelus *Martis* altior in tubo, quam C. 39′. 6″.
& quam D. 20. 24.

VIII. Semper tubo A.

h. min. sec.
9. 24. 28.
24. 32.) ♂ ad vertic.) 4.38
29. 10. D. ad idem.

h. min. sec.
9. 33. 48.
53. 52.) ♂ ad vertic.) 4.37.
38. 29. D. ad idem.

Parallelus *Martis* altior in tubo, quam C. 54′. 24″.
& quam D. 35. 42.

Mars dein ex monito Clariss. *de la Caille*, & commentatione amicissimi *de l' Isle*, & *Bouguer*, comparandus cum λ & χ ♒. His stellis ob exilitatem suam a me non visibilibus, ambo telescopia A & B d. 25 Septembris in *Martem* dirigebam, hoc situ firmiter retinebantur, quo diebus secuturis fixæ, *Martem* præcedentes, latere nequirent. Hinc

hor. min. sec. D. XXV. Tubo A.

8. 49. 36.
49. 40.) margg. Mart. ad verticale.

9. 5. 9.
9. 5. 12.) margg. Mart. ad verticale Tubo B.

In utroque telescopio Matris margo superior radebat exacte filum medium 5, quod per ipsum centrum tubi.

XXV. T. C. p. 9. a. c. Tubo A.

8. 15. 40. λ ad vert. humilior in tubo, quam margo infer. ♂ 4′.40″.
8. 39. 56. χ ad idem, altior - - 6.23.
9. 1. 3
9. 1. 7.) margg. Mart. ad idem.

Tubo B.

8. 31. 19. λ ad vert. humilior in tubo, quam margo infer. ♂ 4.42.
8. 55. 32. χ ad idem, altior - - 6.27.
9. 16. 38.
9. 16. 41) margg. Mart. ad idem.

XXVII. T. C. p. 9. a. c. Tubo A.

8. 12. 7. λ ad verticale humilior &c. margo infer. Mart. 5. 57.
36. 25. χ ad idem, altior - - 5. 6.
55. 57. ✡ alia ad idem, humilior - - 11. 3.
56. 38.
56. 42.) margg. Mart. ad idem.

hor. min. sec. Tubo B.

8. 27. 46. λ ad vertic. humilior &c. margo infer. Mart. 5. 52.

8. 52. 0. χ ad idem, altior - - 5. 1.

9. 12. 20.)
9. 12. 23.) margg. Mart. ad idem.

XXVIII. T. C. p. 12. a. c. Tubo A.

8. 8. 37. λ ad vert. humilior in tubo, quam margo inf. ♂ 6. 4.

32. 57. χ ad idem, altior - - 4. 59.

52. 14.)
52. 18.) margg. Mart. ad idem.

Tubo B.

8. 24. 19. λ ad vert. humilior &c. quam margo inf. ♂ 6. 0.

8. 48. 38. χ ad idem, altior - - 4. 55.

9. 7. 57.) margg. Mart. ad idem, hic tubus paulo
9. 8. 0.) ante obſervationem tantillum tactus.

XXIX. T. C. p. 12. a. c. Tubo A.

8. 4. 59. λ ad vert. humilior &c. quam margo inf. ♂ 7. 12.

29. 12. χ ad idem, altior - - 3. 51.

47. 46.)
47. 50.) margg. Mart. ad idem.

Tubo B.

8. 20. 43. λ ad vert. humilior &c. quam margo inf. ♂ 7. 8.

8. 44. 56. χ ad idem, altior - - 3. 47.

9. 3. 29.)
9. 3. 32.) margg. Mart. ad idem.

XXX. T. C. p. 12. a. c. Tubo A.

8. 43. 22.) margg. Mart. ad vert. ob ſitum tamen tubi ex die
43. 26.) 25 immotum heſternas parallelorum differentias haud immutatas crediderim.

Tubo B.

8. 41. 15. χ ad vert. altior &c. quam margo inf. Mart. 3. 42.

8. 59. 4.)
8. 59. 7.) margg. Mart. ad idem.

Plura intemperies cœli prohibebat.

Tubi ſemper eodem manentes verticali.

oero-

OCTOBRIS.

I. T. C. p. 14. a. c. Tubo A.

hor. min. fec.

7. 57. 50. λ ad vert. humilior &c. quam margo inf. Mart. 7.39.
8. 22. 13. χ ad idem, altior - - 4. 15.
8. 39. 0.) margg. Mart ad idem.
8. 39. 4.)

Tubo B.

8. 13. 23. λ ad vert. humilior &c. quam margo inf. ♂ 7. 33.
8. 37. 53. χ ad idem, altior - - 4. 19.
8. 54. 42.) margg. Mart. ad idem.
8. 54. 45.)

IV. T. C. p. 16. a. c. Tubo A.

7. 46. 56. ✡ ad vert. humilior &c. quam margo inf. ♂ 2′. 33″.
8. 11. 11. alia ad idem altior - - 8. 30.
26. 11.) margg. Mart. ad idem.
26. 15.)

Tubo B.

8. 2. 51. ✡ ad vert. humilior &c. quam margo inf. ♂ 3′. 32″.
42. 9.) margg. Mart. ad idem.
42. 12.)

Hæ ſtellæ forſan aliæ, quam λ & χ ♒. Ex die 25 Sept. in hunc ubi conſtanter in eodem ſitu manebant; hodie ſub alio verticali ſequentia.

9. 23. 18.) margg. Mart. ad vert. Tubo A.
9. 23. 22.)
9. 36. 19.) margg. Mart. ad vert. Tubo B.
9. 36. 22.)

V. T. C. p. 20. a. c. Tubo A.

8. 9. 38. ✡ quædam exit altior &c. quam margo ſup. ♂ 8′. 40″.
25. 42. ✡ alia ad verticale, altior - - 15. 28.
40. 1. ✡ alia ad idem, humilior - - 2. 23.
52. 28. ✡ alia ad idem, altior - - 5. 16.

9. 18. 41.) ♂ ad idem. 9. 20. 47.) exit ♂ e tubo.
9. 18. 45.) 9. 20. 51.)

hor.

Tubo. B.

hor. min. fec.

8. 17. 14. ✡ quædam ad vert. altior &c. quam marg. fup. ♂ 5. 18.

9. 31. 50 ⎫ Mart. ad idem.
9. 31. 53 ⎭

alio tuborum fitu.

10. 34. 39. ⎫ margg. ♂ ad vert. cujus ⎫ tubo A.
10. 34. 43. ⎭ margo inferior in filo. 5. ⎭

10. 48. 27. ⎫ margg. ♂ ad vert. cujus ⎫ tubo B.
10. 48. 30. ⎭ margo fuperior in filo. 5. ⎭

IX. T. C. p. 15. a. c. Tubo A.

9. 5. 27. ✡ ad vert. altior &c. quam margo fuper. Mart. 15. 18.
9. 20. ✡ alia ad oblig. altior - - 17. 51.
26. 58. ✡ alia ad vertic. altior - - 25. 30.
53. 46. ✡ alia ad idem, altior - - 15. 18.

10. 18. 1. ⎫ margg. Mart. ad idem.
10. 18. 5. ⎭

Tubo B.

9. 19. 21. ✡ ad vert. altior &c. quam margo inf. Mart. 15. 1.
21. 39. ✡ alia ad idem, altior - - 17. 40.
38. 39. ✡ alia ad idem, altior - - 10. 36.
40. 51. ✡ alia ad idem, altior - - 25. 20.
10. 7. 40. ✡ alia ad idem, altior - - 15. 9.

31. 58. ⎫ margg. Mart. ad idem.
32. - 1. ⎭

PRO VENERE.

Nè femel quidem cœlum ferenum.

Cypria qui faveat cœlo mihi? cum *Venus* alma
Tot vicibus Paphiæ prælata fit Ignea zelo.

Hæc funt, quæ Aftronomis offerre audeo, nullibi alteratis numeris, quæ nulla fpe, nullo fuadente, nemine excitante, habui, folo recte faciendi ftudio fuftentatus, & vel ideo non plane contemnenda.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLIII.

Pars I.

CATALOGUS BIBLIOTHECÆ BUNAVIANÆ. Tomus primus, Autores antiquos, ſacros & profanos, Opera varia, Scriptores Hiſtoriæ literariæ, Philologos, Epiſtolographos, Rhetores, & Poetas, exhibens, in Partes tres, totidemque Volumina, diſtributus.

Lipſiæ, impenſis viduæ B. Caſp. Fritſchii, typis Breitkopfianis, 1750 - 1752, 4 maj.
Alph. 13 plag. 12.

Multum fallentur ii, qui, audito *Catalogi* titulo, ita ſtatim judicabunt, non niſi vulgarem librorum indicem hic exhiberi, qualem rudis omnium rerum & imperitus quisque non ſolet tantum, ſed poteſt etiam, conficere. Alia omnia promittere Lectoribus vel ipſum magni tam muneribus,quam rebus in toga geſtis, & doctrina, *Bunavii* illuſtriſſimum nomen poteſt; qui, cum in condenda tali Bibliotheca, qualem, ſi ſummos forte Principes, ſed eos paucos tantum, excipias, nemo ante ipſum alius exſtruxerat, longiſſime ſe, non dicemus ſupra vulgus, ſed ſupra hominum doctorum principes, extulerit, non videbatur tum, cum de parando tam illuſtris Bibliothecæ Catalogo cogitaret, nulla in eo partim excelſi ſui animi, partim ingenii excellentis, veſtigia impreſſurus. Modeſtiæ igitur, quæ nec tantos Heroas dedecet, hoc tribuas, quod ſimplici nomine *Catalogum Bibliothecæ Bunavia-*

naviana inscribi voluit magnum & omni posteritate dignissimum opus, quod, si ex rei dignitate nomen petendum, inscribi potius sic debebat: *Indicis universalis locupletissimum specimen, ex Bibliotheca Bunavianae thesauro adornatum.* In ea enim, omnium applausu dignissima, ab annis inde compluribus, Vir summus, *Bunavius*, opinione fuit, magno id non sibi tantum, suis illis literatis opibus melius, quam fieri plerumque potest, usuro, sed, quicunque essent, studiosis literarum, commodo & fructui futurum, si quis ad parandum librorum, quotquot ex omni genere scientiarum scripti editive unquam essent, *universalem*, ut vocari solet, *Indicem*, quali ante quinque forte lustra immortuum *Salmonium*, Gallorum doctissimum, meminimus, curam studiumque converteret, &, scientiarum quoddam quasi corpus integrum formando, ejusque bene apteque membra componendo, quicquid scriptorum exstare certo nosset, ita ad genus locumque suum referret, ut, qui argumentum quodque quocunque modo pertractassent, Scriptores quaerenti, hos invenire aut omnes, aut saltem plurimos, facillimum esset. Hujus autem operis cum idem Comes Illustrissimus & amplitudinem, & impedimenta varia, agnosceret, intelligeretque haud difficile, perficiendo ei hominis unius vires haud sufficere, nec, nisi qui instructissimas adeundi Bibliothecas, librosque ipsos inspiciendi, copiam haberet, praestare aliquid hoc in genere vel mediocre posse; suarum ipse facultatum probe gnarus, nec negari debere literis, quod nemo ipso melius praestare feliciusque posset, arbitratus, rem, nemini adhuc tentatam, diu autem multumque ab omnibus expetitam, magno animo aggressus est, Clarissimoque Viro, *Jo. Mich. Franckio*, Bibliothecae suae dignissimo custodi, exstruendi hujus aedificii, aut, quod verius dici potest, palatii, munus nobile ac gloriosum demandavit, suprema ac praecipua operis tam illustris cura sibi ipsi reservata. Vident autem omnes, hoc praeclarius esse, literisque auspicatius, hoc consilium, quo certius patet, ipsam hanc Bibliothecam, quae in villa Nethnicio, Dresdae vicina, situque amoenissima, domicilium suum, a triginta autem annis

nis unum hunc possessorem, habuit, ab hoc uno instituta primum, hujus unius studio & sumtibus postea mirifice aucta, & ad hoc, quod tenet, fastigium perducta, hujus denique unius continuo & incredibili industria in concinnum ordinem redacta est, miram librorum selectissimorum in omni scientiarum artiumque, quocunque demum nomine appellentur, genere copiam continere, atque adeo per se universalis cujusdam Indicis, omnibus absoluti numeris, nec aliorum supplementa valde requirentis, tanquam formam habitumque præ se ferre. Is igitur, quem diximus, *Franckius*, natus factusque ad dextre exequenda hæc, quæ sapienter ipsi fuerant præscripta, Mecænatis sui ubique sequendam sibi legem arbitratus, eam condendi hujus *Catalogi* rationem tenuit, ut primum libris ordinem non daret alium, nisi quem ipse, a natura præscriptus, scientiarum ordo deposceret, factoque ab his, quæ totum scientiæ cujusque ambitum absolvunt, & generalia dici solent, initio, ad singulas cujusque partes & tenuiora membra, interdum etiam, ubi librorum copia id pateretur, ad argumenta singularia, progressus, ut scriptor quisque esset antiquior, ita ei præ recentiore altero locum daret, formam autem, quæ semidoctos tantum quosdam, & elegantiæ externæ studiosos, tenet, parum curaret; deinde, inter majoris molis libros, non tantum semper pretii, quantum splendoris, habentes, minoris etiam formæ scripta, lectu sæpe utilissima, *Schediasmata* nempe, *Dissertationes*, *Commentationes*, *Prolusiones*, suo quamque loco commodo, reponeret; tum, quæ præcipua hujus Catalogi esse dos deberet, &, si quid nostrum hic judicium valet, est omnino, non scripta tantum separatim & ex instituto edita, sed, in quibus boni aliquid inesset, *Epistolas* etiam, *Observationes*, ac *Præfationes*, ex Ephemeridibus literariis, Operibus doctorum hominum junctim editis, integris Scriptorum Collectionibus, tanquam ex latebris, protractas, in hunc, sine accessione ista multo minus commendabilem, etsi fortasse etiam minus sumtuosum, Indicem referret; denique in titulis librorum transscribendis illud inprimis curaret, ut satis ad intelli-

gendum argumentum pleni, nec justo contractiores, essent, typographorum etiam, quorum alius alio majoris aestimari solet, nomina accederent; ipsis autem titulis talia interdum, quae ad Autores librorum, aut libros ipsos, pertinerent, scituque inprimis digna essent, subnotata legerentur. Atque haec omnia ita sunt a Clariss. *Franckio* praestita feliciter, ut de toto hoc Opere, cui simile, si laborem industriamque spectes, in hoc certe genere, inveniri haud potest, ab iis omnibus, qui bene cupiunt literis, harumque commoda juvare cupiunt, multum ei sit studioseque gratulandum. Ordinem disponendorum, & in suos tanquam forulos redigendorum, librorum eum servavit, quem nemo non vehementer probet, & toti scientiarum corpori convenientissimum dicat. Vulgarem illam, libros inter se conjungendi, rationem, qua primum *Theologia*, deinde *Jurisprudentia*, tum *Medicina*, denique *Philosophia*, & cum hac *Historia*, *Mathesis*, *Philologia*, *res*que *literaria*, collocantur, utpote a nexu illo, quo artes omnes ac scientias ipsa natura inter se colligavit, alieniorem, merito ipse negligendam duxit, in eo maxime laudandus, quod, ducto hic etiam a Jove principio, praemissoque ceteris omnibus eo opere, quo nec antiquius, nec generi humano salutarius, exstat, sacro nempe *Bibliorum* libro, praestantissimis illis universae eruditionis magistris, quorum institutione haud usus, in omni scientiarum parte operam studiumque frustra consumet, *Autoribus antiquis*, tam Graecis, quam Latinis, eo quidem, quem in *Fabricii Bibliothecis Graeca* & *Latina* praescriptum videmus, ordine aetatis dispositis, locum praecipuum concessit; hisque *Judaicae* etiam & *Muhamedanae* eruditionis fontes, *Talmudem*, & *Coranum*, nec non *Opera eruditorum varia*, non ad unam, sed ad diversas doctrinae qualiscunque partes, pertinentia, junctimque edita, subjecit. Hos literarum humaniorum velut duces recto & concinno ordine ipsae earum partes sequuntur, *literaria Historia*, *Philologia*, varias variarum gentium *linguas* in se continens, *Critica*, *Scriptores Epistolarum* post se trahens, *Eloquentia*, denique *Poesis*, quae ipsa *tertiam Tomi* hujus *I Partem* claudit. Restat jam ex iis artibus, quae ad humanitatem

refe-

referuntur, *Hiſtoria*, non ſolum per ſe ampliſſima, ſed Illuſtriſſimi etiam *Bunavii*, qui in ea, tanquam in regione ſua, dominatur ac regnat, tam regali inſtructa apparatu, ut vel una hæc ſufficere implendis, qui ſequentur, *Tomis quinque* poſſit. Dabit enim nobis, quod ſperare a Clariſſ. *Franckio* jubemur, *Tomus* alter *Hiſtoriam univerſalem*, cum ſororibus ejus, *Chronologia*, *Geographia*, *Genealogia*, & *Heraldica*, cumque *antiquiſſima*, tam Græca, quam Romana, *Hiſtoria*, &, niſi moles *Tomi* id prohibeat, *Antiquitatum* & *rei numismaticæ* Autoribus; tertius *Eccleſiaſticam Hiſtoriam*; quartus *Italiæ & Germaniæ*; quintus & ſextus *Hiſpaniæ*, *Galliæ*, *Britanniæ*, & reliquarum regionum gentiumque, hiſtoriam. Longum hunc & ſpatioſum aliquando doctiſſimus *Franckius* humaniorum literarum campum emenſus, ad primarias illas & ſublimiores ſcientias, *Philoſophiam*, *Theologiam*, *Jurisprudentiam*, & *Medicinam*, recto gradu perget, in his omnibus ſervaturus inſtitutum ſuum, idque operam daturus, ut, perfecto tandem opere, nulla in re ſuis defuiſſe partibus, ſed impoſitum ſibi laborem ad ejus extrema usque fortiter ſuſtinuiſſe, dici jure poſſit. Vehementer autem optamus, &, qui ſuo rem quamque pretio æſtimare didicerunt, nobiſcum omnes optabunt, ut tam pulchre laudabiliterque cœpta æque felices deinde progreſſus habeant, nec, ut fere fit, fatalis aliquis caſus, interrupto egregii laboris curſu, multis illis, quæ ex opere literis tam fructuoſo certiſſime exſpectantur, nos commodis deſtituat. Nemo enim futurus eſt, qui non, inſpecto *Tomo* hoc *priore*, ſingulisque ejus *Partibus* perluſtratis, inſignem *Catalogi* hujus, ſive ordinandorum librorum ratio, ſive incredibilis horum copia, ſpectetur, præſtantiam agnoſcat. Et in librorum quidem diſtributione multum profecto artis & ingenii cognoſcitur, quippe generibus ſcientiarum ita in ſua membra parteſque diviſis, ut (liceat enim exemplo hoc uti, ex quo judicare de re tota facile omnes poſſint,) inter *Hiſtoriæ literariæ* Scriptores, *Libri quinti*, *Hiſtoria Scholarum*, *Academiarum*, & *Societatum literariarum*, inſcripti, *Caput II*, *hiſtoriam Academiarum* complexum, *Sectione I de Hiſtoria Academiarum generа-*

neralia; II nomen, jura, necessitatem, & utilitatem, Academiarum; III magistratum & dignitates Academicas, nec non *Studiosos, eorumque jura; IV Gradus Academicos; V Ritus Academicos, inprimis usitatam olim sic dictam depositionem Academicam; VI varias res, ad Academias pertinentes, earumque navos & emendationem; VII Academias Germaniæ,* ab *Altorfina,* ordine literarum, ad *Würzburgensem; VIII Helvetiæ, Basileensem, Genevensem, Lausannensem; IX Italiæ,* a *Bononiensi* ad *Urbinensem; X Galliæ,* ab *Andegavensi* ad *Valentinam; XI Hispaniæ,* a *Barcinonensi* ad *Valentinam; XII Lusitaniæ; XIII Britanniæ, Cantabrigiensem,* & *Oxoniensem; XIV Belgii,* a *Franeckerana* ad *Ultrajectinam; XV Daniæ, Hafniensem,* & *Soranam; XVI Sueciæ, Aboensem, Lundensem,* & *Upsaliensem; XVII Poloniæ, Cracoviensem,* & *Vilnensem;* denique *XVIII Prussiæ, Culmensem,* & *Regiomontanam,* ordine percurrat, deque his omnibus, quotquot aut seorsim, aut cum aliis libris junctim, editi in Bibliotheca *Bunaviana* exstant, Scriptores nominatim proferat. Atque talem *Franckiana* Musæ diligentiam, tale, suo librum quemque loco commodo reponendi, studium, in ceteris omnibus doctrinæ elegantioris partibus, maxime vero eo, in loco, animadvertimus, quo *Vitæ Eruditorum* sunt collectæ, integram pæne *prioris Tomi Partem alteram* implentes, &, ob servatum literarum ordinem, ita ad lectorum usum accommodatæ, ut ante oculos habere tibi novum *Eruditorum Lexicon* videare. Poterit vel hinc etiam intelligi, quam sit dives omni genere librorum melioris notæ *Bunaviana* Bibliotheca, & quam sperare nobis certo liceat, futurum, ut *Index* iste, aliquando absolutus, jure summo vocari *universalis* possit. *Codicis sacri,* tam Veteris, quam Novi, Fœderis, editionum ac versionum tantus hic numerus est, quantum in alia Herois togati Bibliotheca vix unquam invenias, a *pagina* quippe *1* ad *36* decurrens. Ad *Græciæ Latiique veteris Autores,* qui plagulis 48 continentur, deductus, vix mirari satis editionum optimarum, *Aldinarum, Juntinarum, Stephanianarum,* earum etiam, quæ *principes* vocari solent, & si quæ aliæ haud vulgare habent pretium, insignem

gnem apparatum possis: quem tantum esse apparet, ut hinc *Fabricianis Bibliothecis*, & *Annalibus Maittairianis*, haud spernenda peti supplementa possint. *Provinciarum & Urbium Italiæ, Germaniæ, & Galliæ, literariam Historiam* cum ornandam sibi Scriptores numero multi sumserint, commoditati Lectorum bene prospexit *Franckius*, illas omnes ex serie literarum collocando, hisque suos statim Scriptores subjiciendo. Simili modo *Bibliothecæ publicæ Germaniæ, Italiæ, Galliæ, & Britanniæ*, nec non *Catalogi privatarum Bibliothecarum*, ordinati sunt, magnum ita hoc Catalogo usuris quærendi adminiculum præbentes. Inter eos Scriptores, qui doctorum hominum *Vitas*, aut *Elogia*, plenius descripsere, videmus locum etiam iis datum, qui *Sanctorum* tantum ac *Beatorum vitas* scriptis tradidere; quod ipsum hoc minus improbamus, quo certius constat, etiam Sanctorum haud paucis sua in literas præclara merita fuisse, aut saltem vitam eorum conjunctam quodammodo cum incrementis studiorum fuisse. *Epistolographorum*, linguæ tam *Latinæ*, quam *Italicæ, Gallicæ, Anglicæ*, & *Germanicæ*, cum sit numerosissimus exercitus, octo quippe plagulis congregatus; mirum tamen vobis visum, & fortasse pluribus videbitur, frustra hic nonnullos (pæne dicturi eramus haud paucos) quæri, qui, etsi inventu utique rariores, tamen in una civis cujusdam nostri Bibliotheca asservantur omnes. Sed bene scimus, & ipse dudum nos usus docuit, in colligendis libris partes præcipuas fortunæ esse, nec raro nobis unis, quantumvis diligenter per omnem vitam vestigantibus, negari, quod aliis se velut sponte sua, & expetitum nunquam, obtulit; similique fato aliis carendum eo esse, quod nobis velut nescientibus in manus incidit. Satis alioqui in comparandis his, quæ non sunt vulgaria & ubivis obvia, felicem fuisse Illustrissimum Possessorem, haud difficile credat, qui *de comparatione eruditionis antiquæ & recentioris* scripta numero 36, *Indices expurgatorios* 33, *de Academia Parisiensi* Scriptores 72, & *de Roseæ crucis Societate* 63, magno hic studio collectos viderit. Ceterum, quod inprimis etiam commendabilem omnibus efficere potest hunc Catalogum, illud est, quod in transscribendis librorum titulis rarius peccatum est, certe nos

ra-

rarius observavimus peccatum. Nam, quod *Partis III pag. 1799. b. lin. 12.* pag. 143 pro *Append. pag. 134; pag. 1801 a. lin. 26 Gresteri* pro *Gretseri; pag. 1803 a. lin. 21 Flandor.* pro *Flandror.; pag. 1812 b. lin. 5 origenes* pro *origines; pag. 1809 a. lin. 14 linua* pro *lingua; pag. 1833 b. lin. 26 Buomattei* pro *Buommattei; pag. 1444 b. lin. 42 données* pro *donnée; pag. 1848 b. lin. 14 Dyon* pro *Dijon; pag. 1864 a. lin. 15 Lingua* pro *de Lingua; pag. 1867 a. lin. 22 Galteria* pro *Galleria; pag. 1881 a. lin. 18 Apolocyntosin* pro *Apocolocynthosin; pag. 1912 a. lin. 15 Matthia* pro *Matthaei; pag. 1914 b. lin. 10 Carpcovii* pro *Carncovii; pag. 1936 a. lin. 2 Claud.* pro *Philibertum; ead. pag. lin. 3 Motwlow* pro *Mowtlow*, exscriptum legitur, sunt hæc utique in levioribus habenda, & typographo potius, quam optimo *Franckio*, tribuenda, utpote qui his similes errores alios sub finem *Partis III* accurate notavit. Eidem *Parti* accesserunt in totum *Tomum Supplementa* minime spernenda, eorum partim librorum, qui, dum typis sunt exscripta *tria* hæc *Volumina*, Illustriss. Possessoris studio ac sumtu recens sunt coemti, partim etiam illorum, qui a Clariss. *Franckio* serius inter ceteros inventi, aut, quod in tanta copia librorum fieri pæne necesse est, omissi sunt. Videmus tandem gaudemusque, totum hunc *Tomum* duplici *Indice*, melioris utroque notæ, & ita utili, sicut laborioso, ornatum, altero *Autorum, in tribus his Voluminibus adductorum*, quorum cuique sua, breviori nota indicata, accesserunt scripta; altero *Anonymorum*. Et hic ipse nobis dictorum de Opere incomparabili,& omni ex parte egregio,finis erit; quibus appendiculæ loco illud addimus, habere eos omnes, quorum commodis hoc Opere prospectum est, cur pro præstantissimo hoc munere tantum gratiarum Illustrissimo *Bunavio* persolvant, quantum pro aureo quoque ac pretiosissimo munere demum persolvi potest; habere etiam, cur pro incolumitate Mecænatis hujus vota hoc religiosiora nuncupent, quo certioribus cognitum dudum argumentis est, tantorum hominum præsidio, & munifica inprimis ope, bonis literis, quæ nunc magis, quam unquam alias, spretæ & neglectæ jacent, insignia posse & subsidia parari, & afferri incrementa.

HISTOI-

HISTOIRE CIVILE, ECCLESIASTIQUE, ET litteraire, de la Ville de Nismes, &c.

id est,

HISTORIA CIVILIS, ECCLESIASTICA, ET LITERARIA, urbis Nemausi, cum notis ac monumentis, veritati probandæ inservientibus, comitata Dissertationibus historicis ac criticis in antiquitates, ac diversis de Historia naturali observationibus, Autore MENARDO, Consiliario præsidii ibidem, Sodale Academiæ regiæ Inscriptionum ac humaniorum literarum.

Tomus I.

Parisiis, apud Hugonem Dan. Chaubertum, 1750, 4 maj. Alph. 4 plag. 15, Tabb. æn. 2.

Quid amor in patriam valeat, volumen hoc est testis. Nemausum Illustris *Menardus* semper in amore & deliciis suis habuit, solum quippe suum natale. Illustravit eam hoc *Tomo*, cui nuper demum successit *alter*, nondum ad nos perlatus, sed, ut audimus, haud minori diligentia conscriptus. Romani urbem, suis vigentem legibus, ditionis suæ fecerunt, ac mirifice ornarunt. Visigothi eam ruinæ involverunt, vestigiis barbariei ubique relictis. Visigothos *Clodovæus* expulit. Stirpis regiæ Francorum Reges primi Nemausum restituere splendori pristino cœperunt. Autori visum est ordini chronologico accommodare expositionem suam. Annotationum accessionibus explanavit ea, quibus lux erat affundenda. Ad finem *Voluminis* cujusque exhibuit documenta ipsa literaria, diplomata, acta publica, quibus veritas insistit. Inedita dedit, & nonnihil eorum, quæ vitiose ab aliis erant evulgata, addidit accurate. Ex tabulariis ecclesiarum Nemausensium suppeditavit lectori Catalogos Episcoporum, unum circiter A. 506 confectum, alterum ad A. 1497 continuatum. Huic insertum fuit olim *Chronicon Nemausense* ab A. 815 ad A. 1323, quod edidit *Martenius*, at a continuatoribus auctum. Profuit Autori præterea *Chartularium* Seculi XIII, membranaceum, & complectens chartas

transscriptas, quæ ad Seculum IX, X, XI, sunt referendæ. Titulus ei, literis rubris scriptus, præmissus apparet hic: *Incipit liber de honore* (editibus) *Canonicorum.* Chartis vetustis subjecit Autor *Glossarium*, interpretans vocabula infimæ latinitatis, sermonis Francici veteris & Langedocici, quæ in Diplomatibus chartisque exstant. Sub finem Commentarii historici, suis voluminibus comprehensi, exhibuit *Dissertationes*, quibus *antiquitates* loci exquisita exponit diligentia. Adjecit figuras, in æs incisas, & syllogen *Inscriptionum Romanarum*, circa & intra Nemausum repertarum. Non omisit phænomena & gesta naturalis regni. Adjecit observationes meteorologicas, per complurium annorum spatia collectas. *Volumen primum* a fundatione, seu origine, urbis usque ad annum 1312 procedit. Edita sunt pauca opera, ad hunc censum pertinentia. Edidit *Gaillard Guiran*, Consiliarius præsidialis tribunalis Nemausi, A. 1666 *Recherches historiques & chronologiques concernant l'etablissement & la suite Sénéchaux de Beaucaire & de Nismes*, usus exemplis, descriptis a causarum patrono Nemausensi satis vitiose. Publicavit *Henricus Gautier* A. 1724 *Histoire de la ville de Nismes & de ses antiquités*, at compendiose, & a monumentis literariis tabulariorum destitutus. *Sammarthani* in *Gallia Christiana*, A. 1656 edita, Episcopos Nemausenses dederunt primi ultra nudorum nominum recensionem, vitiosis tamen documentis literariis usi. Menda, inde exorta, sustulerunt Benedictini, qui *Galliam Christianam* denuo in lucem emiserunt, A. 1739. Autor ipse *Histoire des Evêques de Nismes* edidit A. 1737, fœtum, fatetur id enim ipse, haud satis maturum. Urbem ipsam nunc, repræsentatam bifariam figuris in æs incisis, operis huic *Tomo* adjunxit. Hæc nos docuit & Præfatio, & rerum ipsarum tractatio. Ut ex opere ipso nonnihil decerpamus, dignitas ejus flagitat omnino.

Pag. 2. Nimausi urbis tam vetusta est origo, ut *Stephanus Byzantinus*, eam ab uno *Herculis* comite, *Nimauso*, conditam fuisse, memoriæ prodiderit. Massyliæ originibus ipsa est recentior, 150 annis Roma antiquioris. *Strabonis* ætate Nimausus jam fuit caput insignis locorum oppidorumque tractus, qui vocabatur

batur Volcorum Arecomicorum. Nomen est Celticum. Celtis *nemet*, *nemodb*, erat locus, ad religionis cultum consecratus. Arecomici igitur videntur ibi sedem religiosorum ac civilium conventuum constituisse, domosque e lignis ac terra struxisse sine muris. Phocæi, Massyliæ conditores, urbibus suis muros, turribus insignes, circumdederunt. Nimausenses videntur ex eorum moribus nonnihil suscepisse, de reliquo suis legibus obtemperantes. *Cassinius de Thuri* Nimausi longitudinem definivit 22° 1′ 11″, latitudinem 43° 50′ 35″. Volci constabant Pag. 4.
Tectosagibus, ad montes Pyrenæos & Garumnam habitantibus, ac Arecomicis, planitiem circa Nimausum incolentibus. *Arecomici* dicti ex *ar* - *com*, ad vallem. Horum urbs primaria erat Nimausus. *Vindomagus* interiit ad Occidentem Nimausi prope pagum Londres. Plura circum sita olim loca delevit & obliteravit temporum vicissitudo. Autor illa enumeravit. Nimauso suberant castella 24. Iberii Hispaniæ 9.
Nimausensem tractum occuparunt. Ligures expulerunt eos novis sedibus, populus Celticus a septentrionibus divagatus. *Hannibalis* ætate Iberii fere nihil ibi amplius tenuere. Arecomici trajectum Rhodani recusarunt *Hannibali* concedere. At eorum pars, ad occasum Rhodano adjuncti, cesserunt donis & calliditati *Hannonis*. *Hannibal* trajecit Rhodanum circa 12.
Arausicam, & quarto inde die pervenit ad confluentem Rhodano Isaram, quem apud *Polybium*, ubi legitur *Skoras*, restituit *Philippus Cluverius*. *Titus Livius* habet *Ararem*, ubi legendum est *Isaram*. Discessit in Italiam *Hannibal*, nec Aremoricorum fortunam mutavit. Arverni posthæc dominatum suum Narbonem usque protulerunt, deinceps progressi in confinia Massylorum, quibuscum, regionibus ad Rhenum usque occupatis, commercia instituerunt, mercibus per Galliam divendendis intenti. Volci se eis paulo post subtraxere. Ligures Transalpini, Provinciæ partem majorem incolentes, Massylis, horumque confœderatis, infesti erant. Salii, eorum pars, occuparunt terras, Aquis Sextiis ac Arelato confines, & infestarunt Massylos, Romanorum amicos. Romani his opem tulerunt, Salios submoverunt, horumque Regem *Teuto-*

malum fugere ad Allobrogas coegerunt, Delphinatum & Sabaudiam habentes. *C Sextius Calvinus* tunc jecit prima fundamenta oppidi Aquarum Sextiarum, atque Liguras transalpinos Romanis subjecit. *Domitius* & *Fabius Maximus provinciam* formarunt, Rege *Bituito* bis victo, quæ adhuc servat no-
Pag. 16. men. Narbo sponte Romanis se submisit. Ædui in Romanorum venerunt amicitiam. Incolæ Nimausi ac Aremorici se his dedidere. Inhiarunt tamen libertati avitæ Celtæ. Romani igitur Narbonem coloniam deduxere per *L. Crassum* Triumvirum A. U. C. 636 *Provinciæ*, quæ fuerat consularis, Prætor fuit præfectus post quatuor inde annos. Annum sequentem illustravit bellica Cimbrorum expeditio, quibus Teutoni accesserant, ipsique Tigurini, qui simul in Hispanias irruperunt, Romanis passim victis. Hispaniis eos *M. Fulvius* ejecit. *Marius*, quartum Consul, quievit initio ad Rhodanum, ac tandem, Cimbris ac Tigurinis alium Italiæ aditum quærentibus, vicit Teutonos ac Ambronas. Arecomici inter hæc Romanis fidem opemque præstiterunt admirabilem. Se-
19. quebantur posthæc *M. Lepidi Sertorii*que partes. *Pompejus* has fregit, Massiliisque ampliores dedit terras, ut Arecomicis faceret ægre, quorum ii, qui ad Rhodanum versus Occidentem habitabant, nil fuerunt passi. Carnotenses & Arverni impressionem fecerunt in provinciam Romanam, *Cæsare* absente. Illis Ædui se junxerant. Hos omnes *Cæsar* vicit. Invidia *Pompeji* pressus, Hispanias coegit suis se addicere partibus, Massyliamque expugnavit, ac privilegiis terrisque, a *Pompe-*
22. *jo* adjectis, orbavit. Ita Arecomici orientales simul fuerunt victi, teste inscriptione Nimausensi hac veteri: *C. Jul. Cæsar de Galliis & Allobrogibus & Arecomicis triumphavit. Augusto* imperante, Arecomici, ad Rhodani occasum incolentes, in
24. libertate sua perstiterunt. Ipse Gallias in quatuor provincias distribuit, quibus totidem erant moderatores. Idem colonos deduxit Nimausum, testibus vetustis inscriptionibus, in quibus legitur *colonia Nemausensis Augusta*. Colonos ibi statuit milites emeritos, quos in Britanniam trajecturus fuerat. Colonia hæc Nemausensis numo percusso victoriam *Augusti* Actiacam,

eam, Ægypto funestam, celebravit. Numum Autor exhibuit. Pag. 27.
Coloni Romani religionis suæ apparatum transtulerunt eodem. Senatus Romani formam ibi retulerunt *decem decuriones*. Sexviri operabantur juri dicundo. Undecimviri colonis distribuerunt agros colendos. Ædiles curarunt ædificia publica, aquæductus, & vias majores, nec non societates artificum. Erant præfecti armamentariis, vigiliis, fabris. *Thesaurenses* ærario Imperatorum ibi præerant. *Quæstores ab ærario* denarios coloniæ publicos curabant. Leges inter hæc veteres Celticæ haud sublatæ. Colonia fruebatur jure *Latino*; inferior eis, quæ jure *Italico* gaudebant, ac in civitatem Romanam fuerant adscitæ, e. g. Lugdunensis & Viennensis. Romani Nemausum ædificiis ornarunt publicis, & muris cinxerunt novis, quorum restant ruinæ. Eorum figuram exhibuit Autor. *M. Agrippa* instituit pontem fluvii Gardi. Aquæductus novus supplevit aquam, urbi innatam, factus opera ejusdem *Agrippæ*, ut Autori videtur, A. U. C. 735, cum vias quatuor magnas per Galliam instituit. Coloni balnea sumtuosa ad fontes urbis ædificarunt, probabiliter cura *Agrippæ*. Templum exstruxerunt iidem, Diis primariis dicatum, ex dimidio in ruinas jam conversum, columnas ordinis compositi ostendens, qui annis 25 ante C. N. Romæ fuit receptus. Viam militarem *Augustus* jussit reparari A. U. C. exeunte 751. Nemausus anno sequenti dejecit statuas, quas 35
antea *Tiberio* statuerat, siquidem cœperat degenerare. Hunc *Augustus* adoptavit anno C. N. quarto. Nemausenses igitur *Tiberio* statuas novas decrevere. *Augustus* in provinciis cœperat divino honore coli. Anno 11 C. N. Narbonenses *Augusto* dedicarunt aram e marmore candido. Tunc Nemausenses eidem struxere templum, & sacerdotes ei adjunxerunt. Statuis, *Augusti* in honorem erectis, inscripserunt hæc: *Sanctitati Jovis & Augusti sacrum*. *Tiberius* sibi instituit *Sodales Augustos*, seu sacerdotes, 25. In coloniis horum numerus ad sex pervenit. Initia constituti hujus sacerdotii incidunt in annum 14 C. N. Percussere tunc Nemausenses numismata,
quæ præferebant caput *Augusti* radiis cinctum, addita epi- 38.

 gra-

graphe: *Divus Auguſtus*. Viam Romanam, quæ ducebat Ne-
manſum, reparavit bis *Tiberius*, nec non *Claudius* anno æræ
vulgaris 41. Anno 59 obiit Orator, *Domitius Afer*, Nemauſi
natus, ob delationes *Tiberio* gratus, & prætura gaudens, atque,
Pag. 42. imperante *Caligula*, Conſul. Sub *Claudio* ac *Nerone* præfuit
aquæductibus Romæ, ac *Quintilianum* artem dicendi docuit,
ſcripſitque *de Teſtibus* Libros duos. Homo ingluviei deditiſſi-
mus deceſſit ex guloſitate in convivio. Floruit ſub *Domitia-
no T. Aurelius Fulvius*, vir fortis & arma ſecutus, natus
æque Nemauſi, Conſul, maritus filiæ unicæ *Arrii Antonini*, &
44. conditor generis, e quo *Antoninus* Imperator poſtea fuit pro-
creatus. *Trajano* monumentum conſecrarunt cum Græca in-
ſcriptione Nemauſani, auſpiciis Dei ſui tutelaris *Nemauſi* gau-
dentes. Unde pateſcit, veteres Græcos convertiſſe nomina
urbium ſuarum in Numinum nomina. *Adrianus* ibi in ho-
norem ſuæ *Plautinæ* duo Nemauſi ſtruxit ædificia ſuperba,
quorum utrumque erat ædes, *Plautinæ* ſacra, & alterum per-
ſtat. Amphitheatrum, A. 138 conditum, adjuvit ſumtibus *An-
47. toninus*, quod pæne ſolum & integrum reſervavit poſteritati
in hunc diem ætas. Nemauſenſes *Fauſtinæ*, *Antonini* filiæ,
M. Aurelii Cæſaris uxori, ſtatuam A. 147 erexere. *Antoni-
num Pium* Chriſtianis faviſſe, eorumque doctrinæ, colligit
51. Autor ex duobus momentis, patientia in *Juſtini* apologiam,
& edicto de inhibendis Chriſtianorum inſectationibus. Ha-
buit tamen in larario domeſtico *Fortunæ* imaginem. Nomen
Antonini tam amabile fuit militibus, ut per centum proximos
annos id jungerent Imperatores *Auguſti* nomini. S. *Honeſtus*,
qui in Navarrenſi tractu A. 260 obiit, ibique ſementem do-
ctrinæ Chriſtianæ fecit, Nemauſi erat natus parentibus digni-
tatis primariæ, a S. *Saturnino* ad Chriſtum converſus, Epi-
ſcopo poſtea Toloſenſi, cui ſucceſſit S. *Honoratus*. *Honeſti*
reliquiæ per Gallias paſſim diſtributæ. *Maximianus Hercu-
lius*, in Galliis commorari ſolitus, Chriſtianis ibi fuit gravis.
55. S. *Bauſilus* A. 287 Nemauſi apparuit, doctrinæ Chriſtianæ
operans, ideoque a ſimulacrorum cultoribus capite plexus.
Exſtant *acta martyrii*, quod ſubiit. Miſit quidem Papa *Fa-
bic-*

bianus circa medium Seculum III in Galliam meridionalem legatos Christianos; at inter Volcos Arecomicos lento gradu initia religionis Christianæ processerunt. *Constantinus Maximus* huic habenas relaxavit, & Arelati jam A. 314 jussit contra Donatistas *Synodum* celebrari. Seculo IV exeunte parum superstitionis paganæ Nemausi perstitit. Episcopi Catholici circa A. 393 Concilium ibi adversus *Ithacianos*, rectius *Idacianos*, iverunt celebratum, teste *Sulpitio Severo Dial. II n. 15.* S. *Felix* videtur circa eam ætatem Ecclesiam Nemausensem rexisse. *Croco* in Gallias irrumpente, Vandalorum Rege, ipse finiit martyrio vitam. Irruptionem anno 407 affixit *Idacius* in *Chronico*. Exercitus *Croci* adeo odit Romanos, ut eorum opera in Galliis vel tollerent, vel mutilarent. *Marius*, ductor exercitus Romani, *Crocum*, Arelato potitum, A. 408 vicit, & captivum duxit, cum ignominia moriturum. Duces exercituum Romani in Galliis passim ab *Honorio* defecerunt, ac mutua gesserunt bella. *Honorius* vix restituerat pacem, cum Visigothi Galliam australem invaderent A. 412 Rege *Ataulfo*, qui varia pactione *Honorium* illusit, donec A. 414 *Placidiam*, ejus sororem, Narbone secum junxisset matrimonio, quo facto, a *Constantio*, duce exercitus Romani, fatigatus, Narbonensem deseruit Galliam, transgressus in Hispanias. *Wallia*, ejus successor, rediit in Aquitaniam A. 419, & sedem constituit regiam Tolosæ. Episcopatus Nemausensis divisus fuit in Uzensem, Lodevensem, & Nemausensem angustiorem, circa A. 418. *Cassianus* & *Castor* in Narbonensi sub initiis Seculi V vitam cœnobiticam evexere. Volci Aremorici A. 450 adhuc non nisi Romanis subfuerunt Imperatoribus. Circa id temporis floruit Bibliotheca *Prusiani*, quam ibi *Ferreolus*, præfectus Gallorum, habuit. Fuit in proximo domicilium æstivæ amœnitatis, quo Senator Romanus, *Sidonius Apollinaris*, animum explevit, olim dictum *Veroangus*. *Narbonensem primam* Visigothis subjecit *Euricus*, *Theodorici II* frater & successor in Visigothorum regno, ad annum 472. Fugit paulo ante *Sidonius Apollinaris* e palatio suo *Veroango*, seu *Verocingo*. *Nepos* Imperator A. 475 Visigothis omnem pote-

Pag. 57.

61.

68.

statem

ſtatem voluit eſſe privam in Aquitaniam omnem, Arvernos, & Narbonenſem primam, quæ nunc nomen *Septimaniæ* induit, arceſſendum a ſeptem urbibus primariis, quas Viſigothi
Pag. 71. in ea tenuere. *Euricus* ibi Arianiſmum invexit. *Euricus*, vehementer inſectatus orthodoxos, obiit A. 484. *Alaricus II* fuit mitior, Francis in Gallias ſe inſinuantibus, & *Clodoveo*, eorum Rege, A. 495 Chriſtianam doctrinam amplexato, veritus, ne orthodoxi ex æquo omnes ab ipſo deficerent ad *Clodoveum*. *Clodovei* bellum, *Alarico II* illatum, mittimus. Longi eſſemus merito in eis, quæ conſequuntur enarrata, niſi incideremus in res, cum hiſtoria Galliæ conjunctiſſimas. Diligentiam & accurationem, Operi impenſam, non poſſumus non prædicare.

DEI BAGNI DI PISA TRATTATO &c.

id eſt,

DE BALNEIS PISANIS TRACTATUS ANTONII COCCHII MUGELLANI.

Florentiæ, ex typographia Imperiali, 1750, 4 maj.
Alph. 1 plag. 3, Tabb. æn. 4.

Antiquiſſima Græcorum inter Hetruſcos urbs Piſa, ad Arnum flumen condita, & prope ad ejus oſtium, quod Tyrrheno mari reſpondet, ſita, e præruptis montium jugis verſus auſtrum & boream defenſa, Romanorum, ſub Conſulibus, ſocia, inter primarias Italiæ ſemper viſa, & adhuc dum ruderibus priſtinæ magnificentiæ inclareſcens, nunc etiam, licet ſibi, uti olim erat, diſſimilis ſit, cum aliis præclaris libertatis privilegiis, tum literarum ſtudio, & eruditiſſimorum hominum confluxu, excellit. Non tamen illi tantum artes, ſed & natura, favet, quæ univerſum agrum Piſanum omni triplicis regni apparatu ditavit, &, quod nunc potiſſimum nominandum eſt, illi tam dulcium ac ſimplicium, quam metallicarum ac ſalutarium, aqua-

aquarum scaturigines impertita est, quarum salubritate illectæ vicinæ æque ac peregrinæ gentes, magnam urbi conciliant frequentiam. Hæ ad radicem montis Pisani surgunt, suamque cadentibus ex summo & aspero montis jugo aquis, nivalibus ac pluvialibus, originem debent, siquidem mons ipse in amplos crateres excavatur, inque illis aquas, purissimo aere mixtas, ad fontium capita dimittit, qui ad montis pedem excitantur, quo in loco balnea in eorum, qui usuri sunt, commoditatem magna cura, & ad usum publicum providentia, fuerunt instructa, eo salubriora, quo plus contra australem ventum, ejusque calores, muniuntur, & tepidum aerem spirant. Natura calent fontes Pisani, qui passim ad montis radicem promanant, e quibus potissimum versus orientem quatuor eminent, natura atque arte ornatissimi. Similiter ad occidentem duo crateres insignes aquas salutares colligunt, in quibus ultra centum homines una esse, & commode perlui, possunt. Parum tamen inter se hi fontes differunt, & calor utrinque unus est, qualitas & utilitas eadem. Clarissimus Autor, quem eruditus orbis scriptorum celebritate notissimum habet, aquarum Pisanarum viscera rimatus, ad virtutem illarum per qualitates externas, sensibus obvias, concludit. Color aquarum limpidissimus est, ut minima res, quæ in fundo balnei super pavimento est, conspici clare possit, estque aquis aliqua pelluciditas, aere haud inferior. Est tamen aliquid in aquis istis, quod parietem balneorum cœruleo colore in viridem tingit. Cumque aqua quievit, superficies illius alba nubecula, sensim viridescente, obducitur, qui color ex minimarum plantarum proventu oritur, quas Autor ex invisibili, per aerem sparso, seminio subnasci, arbitratur. Odor aquarum, cum scaturiunt, gravis haud est; cum autem matutino tempore balneum quis ingreditur, si aer humidus est, se sulphur subodorari putat. Sapor omnibus fontibus unus est, aliquantulum adstringens, cum aqua calet, cum refriguit, a fontana vulgari nihil quidquam differt. Vix autem saporem illum ferrugineum ex natura aquæ esse, Noster censet, sed ferreis istis hauritoriis deberi putat, quibus aqua trahitur, cum ex contactu calidæ ferreum cochlear in

martis crocum subito vertitur. Calor ubique idem est, parum certe variat. Si thermometrum, ex hydrargyro, chrystallinis tubis incluso, effectum, a gradu congelationis ad gradum aquæ ebullientis in octoginta spatia dividis, aquarum Pisanarum calor ad duo supra triginta gradus ibit, nec unquam erit infra quatuor & viginti. Igitur calor ille parum superat calorem æstivum aeris Pisani, qui est graduum viginti quinque, æquat autem fere calorem vitalem hominis sani, qui est viginti quatuor. Si singulos fontes metiris, singulorum calor aliquo gradu discrepat. Qui balneo utuntur, cum super fundo scaturiginis sedent, bullulas, de scaturigine surgentes, ejusdem caloris haud esse, intelligunt. Subito frigescit, & celerius aqua vulgari, quæ ad eundem gradum excocta est. Pondus specificum, ad stateram hydrometricam examinatum, uno grano plus pendet aquis vulgaribus fontium Pisanorum. Cum refrigescit, & aliorsum translata est, uno grano gravior se ipsa, cum calesceret, esse deprehenditur. Quod ad effectus sensibiles attinet, quos in homine aquæ edunt, solent illæ alacritatem aliquam excitare illis, qui bibunt, neque ingrata omnino cerebri, quæ de vertigine aliquid habet, bibentibus oboritur nebula, & veluti ebrietas, subito disparens. Si pota largiter aqua est, aliquando vomitum movet salubriter, sine aliquo incommodo, nec tamen, nisi cum ventriculus plenus est, hoc efficit. Ceteroquin intra bihorium, sudore, vel urinis, dissipatur, facilius tamen viis urinariis secedit, estque naturæ simillima, eam non offendit, & sine ullo sensu tristi minima corporis vasa permeat. Quadrupeda hanc aquam innocenter bibunt. Aliqua insecta & ranæ in illis vivunt. Si anguillas & pisces, vel lumbricos terrestres, immergis, languent equidem, non tamen pereunt, iterumque, si ad frigidam revertuntur, vigent, unde, calorem istum aquarum nativo animali calore parum superiorem esse, intelligitur. Carnes immersæ pallent, nec rubent, uti est, si aquis nitratis illæ immerguntur. Lacti mixta tardius ebullit, quam fit, cum aquæ aliæ una cum lacte coquuntur. Solvit ergo succos vitales, & pingue eorum recludit. Lintea alba immersa maculis notat rubellis ac flavis, quas aer subito disjicit & delet.

let. A pulvere gallarum, nec cœrulescunt aquæ, nec nigricant, sed saltem cum illo aliquantulum virent, uti & vulgares aquæ id ostendere solent. Cum autem aquæ thermali dimidium grani de vitriolo adjectum est, subito sese color sub gallarum consortio mutat, quod argumento esse potest, nihil quidquam hisce aquis subesse, quod ferrum referat; neque vero & acidum subest: nam charta, succo *ricinoidis tricocci* tincta, nihil rufescit. Solutio argenti, quæ aqua forti fit, a contactu aquæ nihil quidquam nigrescit, quod tamen, si sulphur subesset, fieri omnino oporteret, sed pulvisculus albus saltem subsidet, non aliter, ac si aqua vulgaris admixta fuisset. Est tamen aliqua inter aquam vulgarem & thermalem differentia, respectu alicujus particulæ, quam de alcali habet. Si enim sal plumbi, aceto destillato præparatum, solutumque, thermalibus aquis instillatur, subito separatus pulvis albus in fundo subsidet nebularum ritu, sed eadem solutio aquam vulgarem totam inalbat; unde intelligas, thermales aquas acidum, quod in solutione plumbi erat, plus turbare aquis vulgaribus. Separatio diversæ materiæ, quæ ad corpus aquarum thermalium constituendum concurrit, ex parte fit spontanea, ex parte autem arte atque analysi chymica celebratur. Sponte secedit terrena pars, eaque levissima. Cum enim aqua refriguit, in superficiem ejus discedit cuticula cinerei coloris, qui aliquando rosam pallidam spirat, ipsa autem materies inodora est, & insipida. Altera aliqua terra ponderosior secedit in fundum, colore albo prædita; hæc sensim virescit ob internascentes illi plantulas, quæ *Byssi*, vel confervæ minimæ, sunt species. Ad spontaneam principiorum hujus aquæ separationem illud attinet, quod proprio motu dissipatur in aerem, spiritus scilicet ille calens, qui aquæ innascitur, seque bullulis, cum aqua frigescit, prosilientibus manifestat; siquidem etiam, cum aqua refriguit, volumen ejus ad sensum imminuitur, specifico tamen pondere aucto ob auctam vim inertiæ. Disperit etiam aliquid ex aqua halitu insensibili, quem nares sentiunt. Illi enim, qui aquam hauriunt, aliquid percipiunt, quod olfactum grato aliquo sensu afficit, quicquid etiam illud sit,

quod transſpirat, ſive ignis, ſive ſpiritus aliquis metallicus. Analyſis autem chymica in aquis thermalibus triplicem detegit materiam, aquam, terram, atque ſales. Aqua, ſi ad originem reverteris, ſimpliciſſima eſt, pluvialis ſcilicet, quæ, ubi per montis Piſani ſcrobes excavatos deſcendit, ſeſe variis immiſcet particulis terrenis, ſalinis, & aliquibus ſulphureis, quarum connubio totum aquæ ſyſtema adunatur. Terræ viginti & ſex grana ad libram unam æſtimantur, veluti apparet, cum aqua deſtillatione abſtracta eſt. Sales amari ſunt, & proinde alcalici, atque eorum ſex grana cum dimidio intra libram aquæ inventa fuerunt: ad alcalium autem naturam accedere ſalem hunc thermalem, illud argumento eſſe poteſt, quod cum oleo vitrioli effervеſcit, quodque chartæ, violarum ſucco tinctæ, viridem inurit maculam, quam ſpiritus acidus iterum delet. Aerem cum omnibus aquis, tum huic thermali, ineſſe, res ipſa loquitur. In dubio tamen manet, cui cauſæ calor nativus attribui debeat, utrum a fomite aliquo ſubterraneo igneo, ad hypotheſin *Empedoclis* & recentiorum quorundam Phyſicorum, utrum vero a conflictu ſalium, ille calor originem trahat. Quod ad ſpiritum ſulphureum attinet, quem olfactus detegit, dubium haud eſt, illum igneæ alicui materiei, per thermalem aquam diffuſæ, penitus immiſceri, veluti effectus ſingularis aquarum thermalium, intra genus nervoſum obſervari ſolitus, abunde declarat, & maculæ nigricantes, argenteis vaſis impreſſæ, denotant, quas illa recipiunt, cum fundo balnei immerguntur. Fieri enim aliter nequit, quam ut ſulphureus ſit ſpiritus, qui argentum denigrare potuit. Principiis igitur aquarum Piſanarum rite conſtitutis, Clariſſimus Autor de facultatibus harum aquarum medicis exponit, docetque, illas, vel lege circuli, per minima corporis vaſa, transvectas, vel foris corpori, immerſione, aut ſtillicidio, admotas, ſingulares effectus in variis morborum curationibus edere poſſe. Potus aquarum thermalium, pro varia bibendi methodo, varios effectus edit. Cum enim paulo bibuntur præcipitantius, ſordes alvinas expurgant efficaciter; cum autem lentis hauſtibus epo-

tæ fuerunt, modesta aliqua successione permeant vasa lactea, radices venarum mesaraicarum, cavo alimentoso respondentium, subeunt, per illas ad venam portarum accedunt, atque hepar, cum illud suis liquidis non satis pervium est, admirabili aliqua facultate expurgant, & bilis vitia detergunt. Cum autem aqua Pisana sit subtilissima, possitque ab ipsis nervorum tubulis recipi; hinc & minima vasa penetrat, eaque aperit, & morbis nervosi generis satisfacit, vim vitæ auget, secretiones quasvis restituit, pituitam viscidam incidit, sudores molliter auget, sanguinis per viscera, ipsosque pulmones, quibus ceteroquin aquæ minerales non admodum favere solent, transitum promovet, eorum ulcera deficcat, glandulas autem, maxime mesenterii, obstruit, & præstantissimum dolorum in morbis athriticis atque rhevmaticis præsidium habetur. Externe detergit cutem, & minima ejus oscula halantia insensibili vapori reddit pervia. Nervos confirmat, soloque applicatu, &, cum aliqua pars singulariter curanda est, stillicidio, tonum vitalem auget; unde intellectu difficile haud est, quibus morbis, maxime autem chronicis, aquarum thermalium usus, tam internus, quam externus, salutaris esse possit, id quod singulari *Capite*, amplissimo & eruditissimo sermone, Autor exponit. Veluti autem unicuique rei suus modus est, ita quoque norma aliqua, secundum quam thermarum Pisanarum usus regendus est, stabilienda fuit, id quod singulari *Capite* peragitur, quo methodus istis aquis legitime utendi exposita est. Aquæ Pisanæ ad scaturiginem bibuntur præstantius, recoctæ parum differunt a vulgaribus, bibendæ sunt modeste, atque tunc quoque sorberi possunt, cum corpus aquis immersum est. Tempus huic curationi commodum a medio Majo ad medium Octobrem excurrit. Si diem in sua tempora dividis, matutinum compotationi maxime est commodum, quo, illa finita, corpus exerceri ante prandium possit. Cum a meridie aliquantisper dormitum est, repeti potus atque immersio possunt, si quibus necesse id esse videtur. Quod ad regimen vitæ, huic curationi commodum, attinet, victum oportet esse digestu facilem, & majori ex parte vegetabilem. La-

ctis usum aquæ istæ non respuunt; prandium cœna potest esse largius, somnus longior juvat, quo vires restituendæ sunt, quas aquarum usus dispersecat. Corpus exerceatur pro virium rationibus; animum oportet esse tranquillum atque hilarem. Finem denique huic Operi imponit historica variorum: fatorum, quæ thermis Pisanis vario tempore acciderunt, locupletissima enarratio. Præclarus Autor ubique ingenium ostendit fertile, orationem suavem, lectionumque Græcarum ac Latinarum uberrimam supellectilem inspergit; experientiam, rationi suffultam, in consilium ubique vocat, nihilque intermittit eorum, quæ legentium animos & juvare & oblectare possint. Neque vero sibi, aut suis, tantum scripsit, sed leges condidit, quibus omnium ubivis thermarum facultates poterunt æstimari.

THEORIA MOTUS LUNÆ, EXHIBENS OMNES ejus inæqualitates, Autore LEONHARDO EULERO.

Berolini, impensis Academiæ Imperialis Scientiarum Petropolitanæ, 1753, 4 maj.
Alph. 1 plag. 20½, cum Tabula ænea.

Academiam Scientiarum Petropolitanam ante aliquot annos Mathematicos invitasse, ut, quatenus theoria *Newtoniana*, circa motum Lunæ tradita, observationibus satisfaciat, accuratius inquirerent, & simul, qua ratione locus verus Lunæ ad quodlibet datum tempus determinari possit, ostenderent, eoque in certamine *Clairaltum* ceteris palmam præripuisse, nemo est, qui ignoret. Hac de Dissertatione *Clairaltiana Eulerus*, egregiis scriptis suis jam dudum clarissimus, una cum ceteris ferre judicium, officii sui existimans, transmisit ad Academiam Petropolitanam, una cum sua sententia, Tractatum hunc elegantissimum, qui, a Professore Astronomiæ *Popovio* in compendium redactus, cum in consessu Academiæ publice recitatus esset, dignus visus est, qui Academiæ impensis, ipso tamen Autore coram, ne quid forte nævorum absente eo obreperet, typis mandaretur. Theoriam *Newtonianam* maximam par-

partem ſatis accurate phænomenis reſpondere, nemini incognitum eſt. Eandem vero etiam circa determinandum motum Apogæi ultra dimidium fere a veritate diſcedere, huc usque traditum fuit. Nec tuto aſſerere licuit, etiam in ceteris phænomenis iſtam theoriam obſervationibus reſpondere, ſiquidem calculi, etſi theoriæ inniti prædicantur, tamen obſervationibus potius, quam theoriæ, innituntur. Quamdiu vero obſervationes calculo miſcentur, tamdiu etiam incertum eſt, utrum theoriæ, an obſervationibus, iſte conſenſus tribuendus ſit. Solas ergo vires, quibus Luna tam ratione Solis, quam Terræ, agitatur, in calculum inducere, motumque Lunæ inde definire, & formulas analyticas pro loco vero Lunæ ad quodlibet datum tempus determinando inde eruere, Cel. Autor conſtituit, ut, Tabulis aſtronomicis inde conditis, quibus omnes inæqualitates tam ratione longitudinis, quam latitudinis, contineantur, primo ſtatim obtutu pateat, utrum locus Lunæ ad datum tempus obſervationis inde computatus cum obſervatione ipſa conſentiat, & ſic theoria, fundamenti loco poſita, veris principiis innitatur, nec ne. Ad ejusmodi vero formulas eruendas neceſſario elementa quædam, ſive terminus, a quo calculus inchoatur, requiruntur, qualia ſex Autor fundamenti loco ponit, nimirum 1) Excentricitatem orbitæ lunaris, quippe quæ, ſalva theoria, vel major, vel minor, eſſe potuiſſet; 2) locum Lunæ medium pro quapiam Epocha propoſita, qui pariter ex obſervationibus eſt concludendus; 3) locum Apogæi orbitæ lunaris pro Epocha quadam data; 4) tempus periodicum Lunæ ſecundum motum medium, quod pendet a diſtantia media Lunæ a Terra, ideoque ex ſola theoria definiri nequit; 5) locum nodorum Lunæ pro Epocha quadam data; & 6) denique inclinationem mediam orbitæ lunaris ad planum eclipticæ. Quibus præſuppoſitis, inveniendus eſt ante omnia verus Apogæi locus ad quodvis tempus, partim ut anomalia Lunæ inde innoteſcat, partim vero, & quidem maxime, ut parti præcipuæ Problematis ſatisfieri, & motus Apogæi, quantum fieri poteſt, accuratiſſime definiri, queat, Cum enim, uti jam monuimus, theo-

theoria *Newtoniana* circa motum Apogæi ultra dimidium fere ab observationibus discrepet, quæ tamen alioquin observationibus satis exacte respondet; recte Autor inde infert, tutissimum ac certissimum illud criterium veritatis theoriæ cujusdam esse, si ope ejus motus Apogæi rite determinari possit, siquidem inæqualitates, alias vix sensibiles, in hac parte gravescunt, & errorem, uti jam vidimus, haud levem producunt. Quibus præmonitis, Autor ad ipsam elaborationem pergit, & *primo* quidem *Capite* motum corporis, a viribus quibuscunque sollicitati, considerat. Investigatis deinde viribus, Lunam sollicitantibus, iisque in calculum inductis, calculum ad quatuor æquationes reducit, omniaque Lunæ phænomena in sequentibus inde derivat, &, ut calculus eo magis contrahatur, loco temporis anomaliam Lunæ, prouti secundum methodum *Keplerianam* invenitur, in calculum introducit, quo facto, discrimen tantum, inter locum Lunæ, hoc modo inventum, & locum ejus verum, inveniendum restat, quod, cum unicum gradum superare nequeat, efficit, ut errores, ex neglectu terminorum minimorum alias imminentes, eo minus evadant sensibiles, ideoque calculus eo curatius absolvatur. Et, cum primo statim intuitu pateat, si, calculo curatiori instituto, theoria *Newtoniana* observationibus minus respondere inveniatur, illud alii causæ tribui posse nulli, quam quod vis, qua Terra Lunam sollicitat, quadratis distantiarum reciproce sit minus proportionalis, Autor hancce vim Terræ attractricem quadratis distantiarum reciproce proportionalem quidem assumit, sed ei insuper quantitatem inconstantem adjungit, sapienti sane consilio, siquidem, peracto calculo, hoc pacto statim apparet, utrum hæcce quantitati incognita sit nihilo æqualis, id est, utrum theoria *Newtoniana* veritati exacte respondeat, nec ne. Inventis vero hoc pacto formulis generalibus, necessarium erat, constantes, has formulas ingredientes, numeris exprimere, ut, substituta anomalia *Kepleriana*, ad datum tempus calculo vulgari inventa, verus locus Lunæ, ab omnibus erroribus & inæqualitatibus ulterioribus purgatus, inde determinetur. Sed, cum ob defectum Analyseos

ſeos formulæ, ſupra inventæ, integrari nequeant, niſi quantitates variantes, in hiſce formulis contentæ, ad unicam reducantur, Cel. Autor hanc ſibi præſcripſit legem, ut ſingulas inæqualitates ſeorſim conſideret, & eas, quas primo loco invenerat, ad poſteriores determinandas adhibeat, dein ope harum priores corrigat, donec errores, qui hoc modo evitari vix poterant, adeo evadant exigui, ut ſine ſenſibili incommodo omitti queant. Primo itaque loco eas determinat inæqualitates, quæ a ſolo ſitu Solis reſpectu Lunæ, ſive a differentia longitudinis Solis & Lunæ, naſcuntur, & ab Aſtronomis ſub variationis nomine comprehendi ſolent; quamobrem in hac parte tam eccentricitas Lunæ & Solis, quam inclinatio orbitæ lunaris verſus eclipticam, prorſus negliguntur, & nihilo æquales aſſumuntur, ita, ut ſola differentia longitudinis Solis & Lunæ in computum veniat. Hæc viam ſternunt ad eas inæqualitates, quas partim eccentricitas Lunæ, partim ejus quadratum, producit. Cum enim utrumque, tam ipſa eccentricitas, quam ejus quadratum, calculum ingrediatur; Autor inæqualitates, inde oriundas, in duas partes dividit, & primo quidem loco errores, qui a ſola eccentricitate, neglecto nimirum quadrato ejus, proficiſcuntur, dein vero etiam valorem illorum curatius, quadrato ſcilicet eccentricitatis in calculo retento, determinat, adhibitis tamen & illis inæqualitatibus, quas ſub variationis nomine ſupra indicavimus. Et, quamvis utraque inæqualitas etiam a parallaxi Solis afficiatur, tamen Autor errores, ab hac dependentes, ſingulari *Capiti* reſervavit. Harum vero inæqualitatum una per alteram correcta, ad motum Apogæi Lunæ Autor pergit. Quamvis enim in præcedentibus calculis ubique verum Apogæi motum, quem obſervationes oſtendunt, adhibuerit, & ita illud ipſum, quod in controverſia eſt, aſſumſiſſe videatur; tamen, cum in hunc finem, ceu jam ſupra monitum eſt, vim, qua Terra Lunam trahit, indefinita quantitate auxerit, nihilo minus de veritate, vel falſitate, theoriæ *Newtonianæ* inde judicari poterit. Si enim hæc quantitas indefinito nihilo æqualis reperiatur; manifeſtum erit indicium, theoriam modo dictam veram, ſin minus, falſam,

 eſſe.

esse. Hac ratione Autor theoriam *Newtonianam* experientiæ & observationibus satis exacte respondentem invenit, siquidem motus progressivus Apogæi pro mense apogistico 3° 2′ 9″, & pro mense periodico 3° 0′ 37″, æqualis esse, & sic duobus tantum minutis a motu vero deficere, repertus est; ad quem defectum, per se quidem exiguum, supplendum, quantitati incognitæ, quam vi attractrici Terræ Autor adjunxerat, valor quidem pusillus tribui potest, sed hic non modo adeo exiguus evadit, ut semper, nisi de motu Apogæi sermo sit, tuto pro nihilo haberi possit, verum etiam nullum superest dubium, quin valor ejus, calculo sub limam adhuc acriorem revocato, prorsus evaniturus sit. Saltem, cum tota differentia theoriæ *Newtonianæ* & observationum, quæ tam diu in suspenso tenuit Astronomos, ex neglectu quantitatum aliarum quarundam exiguarum ortum traxerit, uti luculentius ab Autore demonstratur, & ipse quoque Autor non dubitet, valorem harum quantitatum nondum ita absolutum esse, ut nulla prorsus ulteriori correctione indigeant, sperandum sane est, fore, ut valores earum veri, etsi admodum parvi, tamen ad exiguum istum defectum supplendum omnino sufficiant. Unde omnino licet concludere, theoriam *Newtonianam* cum motu Apogæi tam exacte convenire, ut aberratio, si quidem ulla adhuc locum habeat, merito pro nihilo haberi possit, præsertim cum ob summam parvitatem ope calculi ne certo quidem ea definiri possit. Cum itaque theoria *Newtoniana* hac ratione a fortissima objectione liberata sit; merito hujus inventi egregii nomine debitas *Clairalto*, Celeberrimo Viro, gratias cum Autore persolvimus, qui primus in egregio suo opere hunc theoriæ & veritatis consensum detexit, & tenebras, quæ hanc Astronomiæ partem huc usque obduxerant, discussit. Hoc igitur pacto cum primæ parti Problematis satisfactum, & consensus theoriæ *Newtonianæ* & observationum in aprico sit; progrediendum erat ad alteram partem, ejusmodi desiderantem formulas, quarum ope verus Lunæ locus ad quodlibet datum tempus determinari possit. Quem in finem Autor cumprimis eas considerat inæqualitates, quæ partim a sola orbitæ

bitæ ſolaris, partim ab utriusque orbitæ, eccentricitate, partim a parallaxi Solis, pendent, eruendas, unde demum diſtantia Lunæ a Terra curtata, motus Lunæ momentaneus, & longitudo Lunæ vera, determinantur. Ab his pergitur ad eas inæqualitates, quæ motum lineæ nodorum afficiunt, unde inclinatio orbitæ lunaris verſus eclipticam determinatur, eæque inæqualitates, quæ ex hac inclinatione oriuntur, inveſtigantur, nec non quantitates, ſupra inventæ, ulterius corriguntur. Ex hiſce igitur, quæ hactenus, quantum ſine calculo licuit, libavimus, patebit, inæqualitates, quas Cel. Autor in præſenti inveſtigavit, quatenus ad uſum earum reſpicitur, in quinque potiſſimum claſſes diſpeſci poſſe, quarum prima continet eas inæqualitates, quarum ope vera diſtantia Lunæ a Terra determinatur, ut inde porro tam Lunæ diameter apparens, quam ejus parallaxis horizontalis, aſſignari poſſit. Secundum locum occupant formulæ illæ, quæ motui momentaneo definiendo inſerviunt, ex quibus deinceps motus Lunæ horarius accurate exhiberi poterit. Tertio veniunt eæ inæqualitates, quæ veram longitudinem Lunæ ad eclipticam relatam præbent. Has excipit poſitio lineæ nodorum Lunæ, ſeu longitudo nodi adſcendentis, quam denique ſequitur inclinatio orbitæ lunaris verſus eclipticam. Haſce tamen inæqualitates adeo inter ſe eſſe permixtas, ut ſingularum valor a ceteris pendeat & determinetur, certiſſimum eſt, adeo, ut ipſe Autor calculum ſuum, quamvis accuratum ſatis, tamen omnibus numeris abſolutum prædicare non audeat, ſed, inæqualitates quasdam, quæ ad plura minuta ſecunda aſſurgere poſſe videntur, prætermiſſas eſſe, eo lubentius concedat, quo minus negari poteſt, non calculo, ſed defectui Analyſeos potius, hoc tribuendum eſſe. Ceterum, ut formulæ pro determinando vero loco Lunæ, ejusque a Sole & Terra diſtantia, ad uſum aſtronomicum adhiberi queant, ad elementa, quæ, uti ſupra monuimus, fundamenti loco poſuerat, determinanda Autor aggreditur, eumque in finem accuratas aliquot obſervationes lunares, in ipſis momentis oppoſitionis, vel conjunctionis, Lunæ inſtitutas, ſupponit, & longitudinem Lunæ mediam, ceteraque elementa, ad certam epocham

 inde

inde elicit. Nihilo tamen minus, cum hactenus traditam methodum non solum satis operosam, sed etiam ita comparatam, ipse Autor deprehenderit, ut plures inæqualitates, motum Lunæ haud leviter afficientes, non satis exacte exhibeat, siquidem hac approximandi methodo nexus inæqualitatum paulatim negligitur, in Additamento viam stravit Noster, ad varias alias methodos detegendas, ab hactenus tradita in accidentalibus quidem tantummodo diversas, quoad applicationem vero usu forsitan suo non destitutas, cum certissimum sit, vel solas terminorum expressiones ad calculi solutionem sæpius plurimum tribuere. Problemati itaque huic satis arduo & intricato, quantum per vires humanas licuit, egregie satisfecit Autor Celeberrimus. Et, quamvis methodus ejus non parum operosa, ideoque compendiosior maximopere optanda, sit, tamen, hoc inter pia vota astronomica magis referendum, quam sperandum, esse, lubenter concedimus.

BIBLIOTHECA ANTIQUA VINDOBONENSIS Civica, seu Catalogus librorum antiquorum, cum manu scriptorum, tum ab inventa typographia ad annum usque MDLX typis excusorum, qui in Bibliotheca Vindobonensi Civica servantur, cum annotationibus historico-literario-criticis. Pars I, Libros theologicos complectens.

Viennæ Austriæ, typis Leopoldi Jo. Kaliwoda, 1752, 4.
Alph. 1 plag. 22.

Cum, quanto civitatibus ornamento Bibliothecæ sint, quamque vehementer hominum, etiam alienigenarum, alliciant retineantque studia, neminem facile fugiat; magnis sane beneficiis eruditos afficere jure suo putantur & ii, qui condunt Bibliothecas, ψυχῶν ἰατρεῖα, & qui opes earum exponunt luci, ad omniumque velut fructum afferunt; præsertim si vel ab ingenio, vel ab industria, vel scientia denique, satis ad eam rem instructi sint. Quæ dotes omnes satis elucent in *Philippo Jacobo Lambachero*, civitatis Vindobonensis ab epistolis, atque,

que, cujus hoc ipso libro indicem dedit, Bibliothecæ præfecto. Cujus ut tanto facilius merita vel erga rempublicam suam, vel civitatem literariam, appareant, paulo uberius, quid præstiterit hoc in libro, persequemur. Primo loco *Biblia, & quæ ad ea pertineant*, enumeravit, in quibus eum sibi ordinem servandum præscripsisse videtur, ut integros Codices iis præmitteret, qui aliquam tantum librorum sacrorum partem exhibent. Omnes quidem, quas attulit ille, editiones hic repetere, nec utile, nec necesse, est; eas tamen præterire non decet, quarum rara est apud eos memoria, qui operam suam in percensendis libris rarioribus posuerunt. Atque hic nobis occurrunt *Biblia Hebraica, Soncini* (quod oppidum haud ita longe situm est a Mediolano) *per Abraham Ben Hhaim, anno mundi, juxta minorem supputationem, 248, i. A. C. 1488, in fol.* Prima hæc est Bibliorum Ebraicorum editio, ab ipsis Judæis excusa, tantæque raritatis, ut, inter impressos libros vix rariorem occurrere, Noster existimet. Nam libri Ebraici & omnes rari sunt ante annum 1500 typis exscripti, quorum duos modo videre sibi contigisse in tot Bibliothecis, ab se perlustratis, *Maittairius* testatur in *Annal. typ. Tom I pag. 44*; & hæc nostra potissimum Biblia tam raro sunt obvia, ut nec *Maittairius*, quem laudavimus modo, nec *Jac. Lelongius*, ea usquam repererint, nec *Buxtorfius* ullam eorum scientiam habuerit. Exstant tamen eadem Romæ in *Barberina* & S. *Pudentiana*, ac Florentiæ in *Medicea*. Perrarum quoque est *Psalterium & Canticum Canticorum* per *Jo. Potken*, Romæ, ab *Euchario Silber*, 1513, in 4; nam primum est opus, Æthiopicis typis exscriptum; quanquam falso animum inducat *Jo. Potken*, Præpositus Coloniensis, eam linguam esse Chaldaicam, deceptus nempe ab Æthiopibus, a quibus eam Romæ didicerat. In *Bibliis Græcis Psalterium* exstat, *Venetiis apud Aldum Manutium*, in 4. sine anno, exscriptum, quod & singulari elegantia adornatum *Maittairius l. c. pag. 74* judicat, & intra annos 1495 & 1496 foras datum putat. In *Latinis Bibliis* plura occurrunt *manu scripta*, & quatuor quidem in membrana ex Seculis XII, XIII, (in quo septem literæ priores La-

tinæ ad longiora, quatuor autem ad breviora, capita, in usum veterum Concordantiarum, quas vocant, in margine adscriptæ, reperiuntur, quod nusquam se vidisse, *Echardus* in *Formal. Bibl. Dominic. Tom. I pag. 207* profitetur,) XIV, & unum in charta ex Seculo XV. Præterea occurrunt *Biblia cum Postillis Hugonis Cardinalis*, fol. Basil. per *Jo. Amorbach*, *1498-1502*, *Voll. VII*, quæ nec in *Lelongii*, nec *Maittairii*, notitiam pervenerunt. *Psalterium* etiam *Latinum membranaceum* manuscriptum ex Seculo XII assertur, in quo prima *Davidis* Ode sacra integra in tabulis, auro, argento & minio, aliisque coloribus variegatis, literis uncialibus exarata est, quod idem in reliquarum initiis observatur. In *Codicibus Biblicis vulgaribus* (ita enim dicuntur, qui translati sunt in sermonem patrium,) occurrunt primo *Biblia Germanica*, sine loco & anno, quorum initium est: *An den anegang schief Got den himel und die erde, wan die erde was eytel und lere*; deinde quæ arte *Ant. Koburgeri* Norimbergæ A. 1483, cum imaginibus, exscripta: tum quæ Augustæ Vind. per *Jo. Schœnberger* A. 1487 *Voll. II* foras data sunt. De *Psalterio, Germanice, ex Hebræo & Græco, verso per Ottmarum Nachtigall*, cum brevi expositione, Argentor. 1524, 4, traditur, cum, quis fuerit iste *Nachtigall*, *Bruckerus*, Vir Clariss. se ignorare professus sit in *Schelhornii Amœn. lit. Tom. VI pag. 455*, ita sciri facillime posse, si Germanicum nomen in Latinum vertatur: nam, quis sit *Luscinius*, in omnibus fere occurrere nomenclatoribus. Cur vero tam multus sit *pag. 22 seq.* Clariss. *Lambackerus* in defendendo ab *Emsero* crimine, ac si *Lutheri* Germanicam librorum Novi Fœderis translationem retinuisset, non videmus, maxime, cum ipse tandem confiteatur, non instituisse *Emserum, novam prorsus, ex Latino & Græco*, translationem Germanicam conficere, sed veterem tantum & *novam Lutheri* conferre, easque *ex textibus, in Ecclesia probatis, emendare* & restituere. Quid hoc aliud est, quam fateri, *Emserum* purpuræ *Lutheri* suos hinc inde pannos assuisse, atque illi deinde nomen suum, velut hederam, præfixisse? In *Libris Apocryphis, Veteris ac Novi Testamenti, Somniale Danielis*

Pro-

Prophetæ, quod vidit in Babylon, exſtat MStum in membrana ex Seculo X, (vid. *Memorab. Biblioth. Reg. Dresd. coll. IV num.* 407,) item *Liber de ortu & vita B. Virginis Mariæ & infantiis Salvatoris noſtri* MStus ex Seculo XIV, nec non *Evangelium Nicodemi* MStum in charta ex Seculo XV, qui uterque liber multum differt ab iis, qui editi ſunt. Sequuntur a *pag. 33 Critici & Interpretes Biblici Catholici*, in quibus plures ſunt, perquam raro obvii, quos anguſtiæ noſtræ non omnes capiunt. Eminent in iis *Notabilia ſuper omnes libros Bibliæ*, 8, MSt. membr. Seculi XIV, a mamotrecto multum diverſa; *Magdalii Jacobi Gaudenſis Correctorium Bibliæ*, una cum ejusdem *Compendio Bibliæ metrico*, 4, Colon. *Quentel.* 1508, de cujus nomine obſervat, eum *Jacobum* dictum eſſe, vel cum ſacro tingeretur fonte, vel cum religioſæ Prædicatorum Sodalitati aggregaretur; familiæ nomine, pro more gentis Batavæ, caruiſſe, & ideo a *Gauda*, civitate patria, *Gaudenſem* appellatum eſſe; *Magdalii* autem nomen adſcititium eſſe, ideo in libris ejus, antea editis, non reperiri. De ætate illius erudite obſervat, natum eum eſſe A. 1469: quia ipſe Autor in fine epiſtolæ, quam præmiſit Carminibus de Machabæis, data ad *Heliam Marcaum* A. 1517, fateatur, hunc annum ætatis ſuæ eſſe *quadrageſimum octavum. Commentaria veterum ſuper utroque Teſtamento, cum expoſitione vocabulorum ſuper IV Evangeliſtis & Actibus Apoſtolorum usque ad emiſſionem veræ translationis de utraque Teſtamento*, 4, ſine loco & anno, opuſculum eſt 27 foliorum, breviſſimas annotationes, & expoſitionem quorundam vocabulorum vulgatæ editionis, ex Patribus collectam, complexum, &, quantum ex forma externa judicare licet, Compluti ab *Arnaldo de Brocario* excuſum. Sed breviores eſſe, in perſequendis reliquis, nos oportet, atque ſummas tantum attingere. Venit igitur Noſter, enumeratis Catholicis, ad *Criticos & Interpretes Biblicos acatholicos*; deinde ad *Concordantias & Lexica Biblica*; tum ad *Hiſtoricos Biblicos*; poſt ad *Poetas Biblicos*; poſtremo ad *Grammaticos Biblicos*, in quibus locis omnibus non pauci reperiuntur libri rari, & ab aliis vel omiſſi, vel minus accurate proditi.

Al-

Altera hujus Catalogi *Pars Sanctos Patres, aliosque Scriptores veteres ecclesiasticos*, complectitur. Atque hic primo enumerantur *Sancti Patres Graeci*, in quibus editio prima Operum *D. Dionysii Areopagitae, Graece*, 8, Florentiae, apud *Phil. Juntam*, 1516, eminet: quae simul Anonymi cujusdam *glossarium* difficiliorum vocabulorum, quibus usus est *Dionysius*, & Epigrammata, cuivis ejus libro praefixa, complectitur, quae posteriora *Lambecius* in Cod. MSt. Bibliothecae augustae Vindobonensis etiam reperit, atque, ea S. *Maximi* esse, censuit, ac falso pro ineditis habuit, *Lib. III pag. 67 Hist. Bibl. Vindob.* Nec minus magno habenda sunt numero *S. Ephraemi opuscula de compunctione cordis, de judicio Dei & resurrectione, de beatitudine animae, de poenitentia, de luctamine spirituali, de die judicii*, 8, absque loco & anno: propterea, quia antiquissimam versionem exhibent, cujus *Vinc. Bellovacensis Spec. hist. XXIV c. 87* meminit, quam pervenisse ad nostra tempora, multi dubitarunt; editam esse, nemini adhuc in mentem venit, quod ipsum tamen Autor noster, argumentis satis idoneis, evincit. Porro rara, nec *Dupinio*, nec *Caveo*, nec *Fabricio*, memorata, est editio *Basilii M. operum, a Raphaele Volaterrano in Latinum conversorum, fol. Romae, Jac. Mazochius, 1515, Volum. II*, atque illa, cujus index est: *S. Basilii M., Caesariensis Episcopi, opera, interpretibus Jo. Argyropylo, Gregorio Trapezuntio, Raphaele Volaterrano, Rufino Presbytero, fol. Coloniae Euchar. Cervicornus, 1523.* Alia, non inferioris loci, praetermittimus, atque unius adhuc *Nicetae, Serrarum, postea Heracleensis, Metropolytae, Synopsin prophetiarum, adversus Judaeos, de S. Trinitate, de Deo, de Jesu Christo, & Spiritu Sancto, Graece*, 8, MSt. chartac. Sec. XIV, commemoramus, opus quippe non ineditum modo, sed iis etiam, qui Historiam literariam persecuti sunt, plane incognitum. Incipit: *Σύνοψις καὶ συναγωγὴ τῶν ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος κινουμένων τοῦ Μωσέως καὶ ἐκ τῶν Προφητῶν.* Graecos excipiunt *Patres Latini*, inter quos plures sunt & inventu rari, & cognitu perquam utiles, ut *S. Cypriani opera*, fol. Venet. per *Lucam Venetum*, 1483, nemini adhuc observata, ut *Lactantii opera*,

opera fol. Ven. *Adam.* 1471, ut editio *Bedæ Vener. in VII Epistolas canonicas interpretationis & expositionis*, fol. Ven. apud *Bonet Locatellum* 1506, non solum a nemine commemorata, sed prologo etiam ipsius *Bedæ* adornata, qui in aliis omnibus editionibus desideratur. Editus hic quidem est jam a *Caveo Hist. Script. Eccl. pag.* 403 ed. Genev. sed vitiose admodum, cujus ideo editio hic & emendatur, &, qui factum sit, ut in editionibus Operum *Bedæ* omnibus desideretur, ostenditur, nempe inde, quia *Jodoc. Badius Ascensius*, in excudendo *Bedæ* opere, non editione hac nostra, sed Codice quodam MSto, usus sit, in quo ille defuerit, quem cum reliqui editores sequerentur, inde factum esse putat, ut ex sequentibus editionibus ille excideret. Negat igitur Clariss. *Lambacherus*, ideo factum esse, quod *Jacobo* primas inter Apostolos tribuere, certe hunc & *Joannem* pares *Petro* ponere, videatur, quod *Caveus* erat suspicatus. Causam interponit hanc, quod *Beda* in *Comment. in Joann. XIII, 6*, non solum de hac *veritate catholica*, *Petrum beatissimum Apostolorum primum esse*, ipse non dubitet, sed nec alius dubitare ea de re possit. Nunc quidem, hunc *Bedæ* locum, quem affert, aliter fortasse intelligi posse, non disputamus: id tantum monemus, cum ille Prologus, in quo nostra versatur oratio, *Joannem Petro* parem clare admodum ponat, atque luculentam quandam, cur Ecclesiæ Hierosolymitanæ primæ debeantur, rationem afferat, quia nempe *inde fons & origo Evangelicæ prædicationis incipiens, per orbem diffusa sit universum, cujus ideo cathedræ dignitatem veneratus sit etiam Paulus, in eo nominando dicens: Jacobus, Cephas*, rel. suspicionem *Cavei* non ineptam videri, immo tanto facilius prologum omitti potuisse, quod contrarius esse & *Bedæ* ipsi, & *veritati catholicæ*, quæ quidem putabatur, editoribus videretur. Sed sequimur ordinem indicis nostri, & ad S. *Patres Græcos & Latinos, simul excusos*, progredimur, in quibus *Corpus veterum Poetarum Christianorum*, Græc. & Latin. 4, Venet. apud *Aldum* A. 1501 & 1502 Volum. II excusum, nobis se offert, cujus duo Volumina rarissime simul inveniuntur. Sequitur *tertia Pars* Catalogi, complexa *Theologos, qui post S. Patres scripserunt*,

atque in his primo *Scholasticos*, quos perlustrantibus nobis occurrunt memoria digni *Bandini sententiarum theol. Libri IV*, fol. Viennæ Austr. 1519, quos fundum præbuisse *Lombardo*, quidam putant, unde sententias sus meteret. Sed hic ex *Ciacconii Biblioth. Script. ferme cunctorum pag. 333* ostenditur, *Bandinum* duobus ferme Seculis *Lombardo* posteriorem fuisse. Ceterum opus est ejus summæ raritatis. *Christophori Marcelli universalis de anima traditionis opus*, fol. Venet. 1508, scriptum est rarissimum, ac fere incognitum. Pergitur ad *Casuisticos*, tum ad eos, qui *de potestate ecclesiastica* exposuerunt, postea ad illos, qui *de statu Ecclesiæ* præceperunt, postremo ad *Polemicos*, & quidem primo *Catholicos contra atheos & infideles*, inter quos *Martius Galeottus, de incognitis vulgo*, fol. MSt. chart. Sec. XV elucet, cujus ne argumentum quidem adhuc cognitum fuit, quod hic copiose enarratur; item *Jo. Francisci Mirandulani de providentia Dei contra philosophastros, fol. in Suburbio Novi 1508*, opus rarissimum, & *Fabricio* incognitum, (vid. *Bibl. Gr. Tom. VII,*) immo in ipsius Autoris Operibus omissum. Quod in *Polemicis Catholicis contra hæreticos* etiam reponuntur, qui se sacrorum emendationi, per *Lutherum* factæ, objecerunt, parum humane ab Autore factum esse, neque ingenio ejus liberali, artibusque polito, satis dignum a nobis habendum, nullus dubitabit, nisi qui, quæ sint imperii Romani leges, quæ fœderum pacta, prorsus nesciat. Sed pertinent huc plura, quæ aliis notanda relinquimus, a veritate non minus, quam humanitate, aliena, quæ brevitas nostra non capit. Restant *Polemici Catholici variarum inter se controversiarum*, in quibus est MStus *Tractatus Laur. Vallæ in donationem Constantini M.*, Autori æqualis, sed hinc inde ab editis discrepans. De qua donatione *Vallam* primum movisse controversiam, censet; quippe quam *scriptores veteres ejus ætatis non omisissent, si scivissent; scivissent omnino rem, si facta esset*, ut ait *Becanus Loc. Comm. II, 5.* Tunc recenset *Polemicos acatholicos, symbolicos & catecheticos catholicos*, in quibus est *Pauli Ricii Dialogus in Symb. Apostol. a priori demonstrativus, 4, Aug. Vindel. 1514*, quod opus

rarissi-

rarissimum, & in suo genere unicum, hic vocatur, quia nec ante, nec post, *Ricium* aliquis inveniatur, qui veritatem Symboli Christiani *a priori* demonstraverit. Magno, credimus, civitatis sacræ bono: neque enim eæ sunt omnes Symboli doctrinæ, quas possit humana ratio *a priori*, ut dicunt, demonstrare. Sequuntur *symbolici & catechetici acatholici*, quorum principatum tenet *Expositio & confessio fidei ac doctrinæ, quam Status appellantes exhibuerunt C. Maj. in præsentibus comitiis Aug.* Germanice, 4. sine loco, 1530, eamque *primam* hujus *famosissimæ Confessionis* editionem vocat. Quæ res ut oculorum maxime judicio discernenda est: nam, septies eam hoc anno editam esse, inter omnes constat; ita mirari satis non possumus, qui fiat, ut, cum, didicisse fideliter artes, mores emolliat, scriptor eruditus ita repente ad maxima convicia hic abripiatur, & crimina *variationum* illius, per *Melanchthonem* sensim factarum, repetat, toties a nostris diluta. Quid enim est, cur ista res ad invidiam conferatur, cum non mutata illa, sed incorrupta, ipsique *Carolo V* exhibita, Confessionis formula, atque ex ipsis imperii sacris scriniis promta, doctrinæ nostræ sit hodie norma? nisi forte putare aliquis velit, hoc ideo fieri, ut vulgi, cui doctiores fere ἑτεροδοξίας suspecti videntur, ita voculas & reprehensiones effugiat. Symbolicos libros excipiunt *liturgici catholici, & acatholici*, hos *concionatorii catholici, & acatholici*, deinde *ascetæ, aliique libri pii; Poetæ pii; Scriptores multiplicis argumenti catholici, & acatholici*. Agmen claudit *Appendix Theologiæ Judaicæ & Cabbalisticæ*. Subjuncta est Dissertatio literaria de *editione quadam antiqua Gennadii Scholarii de via salutis humanæ*. Prodiit illa, *Jo. Alex. Brassicani* opera, Viennæ Austriæ A. 1530, 8, typis *Urbani Alantsee*, sine ulla Capitum distinctione. Duo vero sunt, quæ Autor in ea observavit: primo, multum eam ab aliis differre, illa maxime, quæ reperitur in *Bibliotheca Patrum*, & quidem in iis ipsis, quæ ab *Allatio* laudentur; deinde, eundem illum Dialogum inter opera S. *Anastasii* circumferri, sub titulo *viginti quæstionum ad Antiochum*. Unde colligit, Dialogum, de quo loquimur, non ita indubie *Genna-*

dio Patriarchæ adſcribendum eſſe, ut ab eruditis adhuc factum ſit, eumque potius Græci alicujus Schiſmatici ſequioris ævi fœtum eſſe, judicat. Adjuncta eſt huic Viri Clariſſ. *Bricherii Columbi, Patricii Finarienſis, ad Phil. Jac. Lambachar, civitatis Vindob. Secret. Epiſtolaris Diſſertatio, qua hiſtorica quædam capita, & anecdota aliquot erudita, proponuntur & enucleantur.* Sunt hæc anecdota 1) Anonymi *Epigramma Græcum in S. Joannis Chryſoſtomi Sermones*, quod literis uncialibus ſcriptum, ac Codici MSto, rutilanti atramento, mira elegantia, in membrana Sec. XI exarato, præmiſſum eſt. Id, cum lucem nondum viderit, huc transſcribemus:

Pag. 95.

Τοὺς μαργάρους σου τῶν λόγων χρυσοῖς λόγοις
Κεραννύων, ἄριστα καὶ περιπλέκων
Χριστοῦ μαθητὰς σὸς μαθητὴς εἰκότως
Ἔδειξε πολλῷ μᾶλλον εὐπρεπεστέρους
Ἄρρητον ὥραν, ἡδονὴν ψυχῶν ξένην,
Νύμφης τε Χριστοῦ κάλλος, οὐκ ἔχον κόρον,
Ὧν τὴν ἀπαστράπτουσαν ὁ πλουτῶν χάριν,
Λήθην τε νικᾶν, καὶ χρόνου φθορὰν θέλων,
Εἰς τοῦτο καινὸν ἐγχαράττει βιβλίον,
Τοῖς εὐσεβοῦσι πρᾶγμα μυρίου πόθου.
Ἡ βίβλος ἔσχεν ἤδε Ματθαίου λόγους
Οὕσπερ διετράνωσε τὸ χρυσοῦν στόμα.

Hoc eſt, interprete *Columbo:* „Uniones ſermonum tuorum aureis ſermonibus miſcens, & optime nectens Chriſti diſcipulos, diſcipulus tuus merito oſtendit longe multo ornatiores. Inexplicabilem venuſtatem, voluptatem animarum inuſitatam, ſponſæ Chriſti pulchritudinem, non habentem ſatietatem. Quorum fulgente gratia cum locupletetur, ut oblivionem vincat & temporis edacitatem, in hoc novo inſcripſit libello, opus futurum iis, qui pii ſunt, infinitæ voluptatis. Hic liber continet *Matthæi* ſermones, quos declaravit

„os

„os aureum„. 2) *Sophronii*, *Constantinopolitani Patriarchæ*, *Epistola*, unde apparet, re vera vixisse *Sophronium* P. C. & quidem Seculi XVI anno 9, quinquagesimo post captam a Turcis urbem, ideoque supplendum esse laterculum Patriarcharum Constantinopolitanorum, quem *Fabricius* dedit *B. G. Lib. V Cap. V §. XXXI Volum. VI pag. 746.* 3) *Fridiani Pignutii*, Poetæ Lucensis, ad *Conradum Celten* Ode sapphica. 4) *Philippi Gundelii versio Epigrammatis Agathiæ Scholastici in imaginem Plutarchi.*

Satis jam ex locis hujus Catalogi, quos percurrimus, intelligi potest, quantæ opes serventur in hac Bibliotheca. Videas enim hic *sacrorum Librorum* editiones antiquissimas, mireque raras, & recentiorum editionum exempla; *Patrum* editiones primas, neque corruptas, (quod multis post exortum *Lutherum* accidisse, Clariss. *Lambacherus* autor est, nec nos negamus; maxime tamen a suarum partium hominibus, ut indices expurgatorii, & tot eorum detectæ fraudes, hac luce clarius ostendunt: quod autem de *Georgio Fabricio*, nostrate, affert, satis dilutum est *im allerneuesten aus den anmuthigen Wissenschaften A. 1752 pag. 354.*) sed sinceras eas; *Theologorum scripta* infrequentissima, quibus primum culta est sanctior disciplina; ac Codices manu scriptos, non admodum quidem copiosos, plerosque tamen perquam memorabiles, non paucos etiam eximiæ raritatis. Subjectis annotationibus id potissimum egit Autor, ut, quæ, ab aliis non observata, nosset, vel certe non satis recte tradita, moneret suppleretque. Exhibuit denique modo libros, ab inventa arte typographica, ad annum 1560, excusos, cum antiquissimus liber hujus Bibliothecæ impressus sit A. 1460. Quæ omnia satis indicio sunt, quanto affecturus sit rempublicam literariam beneficio Autor doctissimus, si pergat integram Bibliothecam, cui præest, ita luci exponere publicæ; præsertim si tandem operi suo idoneos indices subjungat, quibus librorum & Autores, & editiones, ordine enumerentur, & reliqua, quæ observata sint de iis, indicentur.

D GREGORII PLACENTINI, EX ORDINE S. BASIlii Magni, Commentarium Græcæ pronuntiationis, notis in veteres Inſcriptiones, & in alias, nunc primum editas, locupletatum, ad MIRTISBUM SARPEDONIUM, Paſtorem Arcadem.

Romæ, 1751, 4.
Plag. 11.

Qui nuper controverſiam, dudum ſopitam, de pronuntiatione Græci ſermonis Romæ reſuſcitavit *Mirtisbus Sarpedonius*, inter alia ideo *Gregorium Placentinum* reprehenderat, quod in Epitome Operis *Montfauconiani de Palæographia Græca*, a ſe confecta, ſatis modeſte pronuntiaſſet, eſſe arduum, quomodo veteres Græci pronuntiaverint, liquido demonſtrare, ſe autem, quamvis, novorum Græcorum pronuntiationem a veteri prorſus non defeciſſe, non auſit pertendere, exiſtimare tamen, ſi diſtent novi hac in re a veteribus longiuſcule, illos ab iisdem diſtare quam longiſſime, qui *Eraſmo* autore confictam pronuntiandæ Græcæ linguæ rationem tueantur. Cui ſententiæ probandæ quæ attulerat *Placentinus* argumenta, ea *Mirtisbus* refutare inſtituerat. Quem hoc opuſculo ſibi reprimendum, & argumentum, quod Romanas ſcholas nuper exercuit, liquidius exponendum, ſuæque exiſtimationi conſulendum eſſe, exiſtimavit Noſter. Quod etiam ea præſtitit lenitate & modeſtia, ut exemplo poſſit illis eſſe literatis, qui de rebus exigui momenti lites & odia ſuſcipiunt acerrima. Non ſe, ait, ad *Mirtisbi* exemplum, de illa pronuntiatione, quæ *Platonis* & *Demoſthenis* ætate Athenas perſonuerit, diſputaturum, ſed de illa, quam nullo pæne non tempore inter Græcos viguiſſe, numi, ſaxa, membranæque, loquantur. Argumenta, quibus *Mirtisbus* ſe aggreſſus fuerit, aut eſſe nullius momenti, aut tam pæne nullius, ut innumeris allatis contrariis eorum vis frangi queat. Hæc in univerſum præfatus, ipſum ad argumentum accedit, & primo ſtatim domiturus impetu adverſarium, celebrem *Platonis* locum, quo fretus *Mirtisbus*, *Reichlinianis* bellum indixerat, luſtratum, eumque ex arce veluti munitiſſi-

nitissima proturbatum, iit. Quo in loco ait *Plato*, diversis temporibus vocem Græcam, quæ *diem* significet, fuisse diversis modis pronuntiatam, ab antiquissimis quidem Græciæ incolis ἱμέρα, a posteris eorum ἐμέρα, a recentissimis denique ἡμέρα. Persuaserat sibi *Sarpedonius*, fore, ut locus hic tam valide stringeret atque angeret adversarios, ut hiscere contra non auserint. At, falsum eum spei fuisse, demonstrat *Gregorius*, urgens, præter id, quod *Plato* de pronuntiatione vocis minus, quam de etymologia, sollicitus fuisse, eamque obscuratam tot diversis scribendi modis queri, videatur, etiam hoc, locum illum Philosophi non *Erasmianæ* parti magis, quam *Reuchlinianæ*, favere. Nam aut illos eum arguere ε & η eodem modo pronuntiantes, aut, si negent facere, se quoque, *Reuchlini* asseclas, non eodem modo η & ι pronuntiare, sed hoc lenius atque brevius, quam illud, quemadmodum *Erasmiani* ε & η distinguant. Vacillasse quoque illam *Platoni* æqualem pronuntiationem literæ η, & statim ab *Alexandro* in exilitatem tenuissimam prolapsam fuisse. Attulerat porro *Mirtisbus Terentii Mauri* effatum, *literam* E *ad* H *proxime accedere, temporeque momenti ambas, non soni nativitate, distare.* Non diffitetur, ita pronuntiasse *Maurum*, recteque id eum fecisse, largitur ultro, at hilum eo non proficere causam adversariorum, cum nondum compertum sit, qui pronuntiatum olim a Latinis E fuerit. *Quintiliano* enim autore *in here neque* E *plane, neque* I, *audiri*, & *Gellio* teste *usos fuisse veteres* E & I *plerumque indifferenter.* A balatu ovium porro, quem *Suidas* & *Eustathius* literis βη expresserunt, voluerat *Mirtisbus* vincere, η ut *e* longe productum, non ut *i* pronuntiatum, olim fuisse. Verum respondet Noster, non satis luculentum esse argumentum quod a voce inarticulata animalium depromatur, quam Autores varii, ut varie auribus acceperint, ita variis quoque scribendi modis reddiderint, quidam *ba*, alii *ma*, rursus alii *mi*. Tandem, *ab ovium custode*, ait, *accepisse, tenellos agnos, dum ubera matrum sugunt*, vi, *grandiores vero factos* ve, & *interdum etiam* be, *molliter sonare.*

His per *secundum Caput* disputatis, tertio demonstratum it Autor,

Autor, η ut ι longum esse pronuntiandum, ex *Eustathio* præcipue, affectatas *Homero* παρηχήσεις ubique fere crepante, ut in ἦτοι & ἴτυς, in ῥῖτον & ῥῆτον, in ἴμεν & ἦμεν, in ἤρην & ἴριν, in ἥβην & ἶβιν Dubium non est, *Mirtiibum*, si quidem litem hanc continuaturus sit, judicium *Eustathii*, ut Grammatico novoque Græculo dignum, proscripturum, *Homericam*que Poesin a tam frigido commento liberaturum esse, quod nihil aliud efficit, quam *Eustathii* ævo η & ι eodem modo fuisse pronuntiata. Stringit tamen hoc multo fortius, ibi locorum a Poetis ι usurpari, ubi grammaticæ rationes η flagitant, poeticæ repudiant, ut ὑσμῖνι pro ὑσμίνῃ, ἀλκὶ pro ἀλκῇ, Δωδῶνι pro Δωδώνῃ, &c. Porro firmandæ sententiæ suæ allegat *Gregorius* Coptorum exemplum, qui cum figuras literarum multarum, tum nomina quoque *Hida* pro η, *vida* pro β, *Zida* ζ, & *Thita* θ, a Græcis *Ptolemæorum* Regum ætate accepta, retinuerint. In Syriaca etiam Novi Test. versione Κρήτῃ *Criti*, Ἀθῆναι *Athinus*, Κλήμης *Climis*, παράκλητος *paraclita*, efferri. A Russis quoque arcessit autoritatem, sed quæ magni ponderis esse nequit, propterea quod constet, eos a Græcis sacra sua, omnemque pæne humanitatem, illo ævo accepisse, quod ad dirimendam hanc litem valere negatur. Provocatur quoque ad Arabicam Novi Test. interpretationem, forte non majore cum emolumento, item ad Patres ecclesiæ antiquissimos, *Clementem Alexandrinum*, *Justinum Martyrem*, alios, & ad illam notam circa nomen Christi & Χρηστοῦ παρήχησιν. Verba, quibus *Caput* hoc finit Autor, qui tueatur, ipse viderit, exemplis hisce antiquissimis, Syrorum puta, Arabum, Patrum, & Russorum, autoritates *Terentiani Mauri*, cujus incerta sit ætas, & *Persii*, *Juvenalis*, *Martialis*, atque *Ausonii*, inferiores esse. Crediderit ergo, ante *Martialem* exstitisse Arabicam & Syriacam Novi Fœderis interpretationes. Addit, non proficere adversarios opponendo vitiatam apud Coptos, Syros, Russos, literarum Græcarum pronuntiationem, cum non sit, quo refutetur, qui contendere ausit, Græcam pronuntiationem ore Romano haud minus vitiatam fuisse. Denique tot gentium in eandem pronuntiandi rationem consensum tot Seculorum decursu haud mutatam,

non

non posse veritatis vocem & indicem non esse. *Capite IV* demonstrare studet Autor, υ & ι olim eadem propemodum ratione fuisse pronuntiatum: qua tamen in re ita se gessit, ut æque dextre versatus in ea fuisse, atque in superioribus, haud videatur. *Capite V* de Diphthongis disputationem suscipit, & insignem *Sexti Empirici* locum profert, quo evincitur, αι, & ει, & ϗ, quamvis diphthongi audiant, non magis tamen, quam α, & ε, & ο, compositas, sed æque simplices, μονοειδεῖς, ἀσυνθέτϗς, καὶ ἀμετaβόλϗς, & elementa, esse. Longa illa est *Sexti* dictio, quam cum totam *Placentinus* in suo libello posuerit, nos capitalia ejus verba satis habebimus reddere: Τὸ στοιχεῖον κρίτέον μάλιστα ὅτι στοιχεῖόν ἐστιν, ἐκ τϗ ἀσύνθετον καὶ μονοποιὸν ἔχειν φθόγγον, οἷος ἐστὶν ὁ τϗ ᾱ καὶ ε̄ καὶ ο̄. ἐπεὶ ϗν ὁ τϗ αι καὶ ει καὶ ϗ δίφθογγος ἁπλϗς ἐστι καὶ μονοειδὴς, ἔσται καὶ ταῦτα στοιχεῖα. Unde conficitur, diphthongos ita dictas non ideo fuisse, quod duæ vocales diversæ in ipsis voces exprimendæ sint, sed quod duobus φθόγγοις, hoc est, *literis*, non *sonis*, compositæ sint. *Sexto* subjicit Noster *Eustathium*, cujus tamen autoritas in hac causa exigua est, tradentis ad *Iliad. I:* Κενὸς καὶ καινὸς τὰ αὐτὰ κατὰ τὸν ἦχον ἀπαραλλάκτως εἰσί. *Terentianum Maurum* quoque docere, αι Latino *ae* æquivalere, & necesse non esse, ut ει semper exaretur, quandoquidem ι longum in utroque vices ejus abunde expleat: cui effato spectabiles accedunt Autores, *Priscianus* & *Gellius*, quorum ille, *ei pro omni i longo exaratum fuisse more antiquo*, testatur, hic, *magni amici* in genitivo, *magnei amicei* in nominativo plurali, scribi, suadet, distinctionis gratia in scribendis saltem iis, quæ pronuntiatio confundat. Αυ ut *aw* fuisse pronuntiatas a Græcis, confici e loco *Ciceronis*, qui in prodigiis luctuosæ *Crassi* adversus Parthos expeditionis referat hominem Græcum, Brundisii caricas, Cauno advectas, per compita circumgestantem venales, & *Cauneas* proclamantem, tum, cum *M. Crassus* exercitum navibus imponeret, non intelligens, eam vocem ad se pertinere, eaque se moneri, *caveat, ne eat.* Οι & υι jam *Thucydidis* ætate fuisse eodem modo pronuntiata, constare ex illo, quod *Lib. II Belli Peloponnesiaci* referatur oraculo satis noto ἥξει δωριακὸς πολεμὸς καὶ λιμὸς ἅμ' αὐτῷ: quod ἔπος, ut olim

 sci-

ſcidit in partes urbem Athenienſium, ita eſt modo comparatum eſt, ut tam a *Reuchlinianis*, quam ab adverſa parte, arripi & jactari æquo jure queat. Mittimus *Dionem*, de homine, cui gentile nomen fuerit ποιητικὸς, narrantem, ideo eum a *Nerone* ſublatum fuiſſe, quod nominis illius uſurpatione majeſtatem Pythicarum ſuarum victoriarum violaret; unde conſtat, ea ætate ποιητικὸς & πυθικὸς ſono fuiſſe ſimillima. Mittimus quoque *Hieronymum* & *Bedam*, e quibus demonſtratur, veteribus οι & υ idem valuiſſe. De litera β Autor *Cap. VI* agit, demonſtratque, eam olim ut Latinum *v*, ſeu noſtratium *w*, fuiſſe elatam. Septimum objurgat *Mirtisbum*, ſaxorum literatorum autoritatem ideo contemnentem, quod ea exarata ab hominibus plebejis illiteratisque fuiſſent. Negari quidem non poſſe, mendoſiſſimæ & orthographiæ & elocutionis illa ſaxa exemplum præbere, at ejus tamen, quæ illis temporibus in uſu eſſet; ita ut ex eo, quod lapidarius γλυκιτάτη, & ζιστάτη, & ἀνιρ, & τειμι, item κι pro καὶ, & ὀσείῳ pro ὁσίῳ, Grammaticorum ſanctionibus aut ignoratis, aut ſuperhabitis, dederit, tuto conficiatur, eodem modo ι & η & ει fuiſſe tum a vulgo pronuntiata, cum illa ſaxa ſculperentur. Ea data occaſione profert *Placentinus* e Muſeis, cum ſuo, tum amicorum, quasdam, aut recens humo egeſtas, aut parum notas, inſcriptiones; & in ſigillorum, quæ in ſaxis conſpici ſolent, explicationem, poſt *Urſatum*, *Maffeum*, & *Corſinium*, excurrit. Quo ipſo prodit, id ſibi fuiſſe in his edendis conſilium, ut augeret libri molem, & ne, quæ in adverſariis haberet de ſigillis veterum conſignata, ſibi perirent, hoc præcipue tempore, quo argumentum illud Italorum duo præcipua exercuit ingenia; ne denique ignoraretur, quæ ſibi adeſſet urnarum teſſarumque veterum ſupellex. Parum enim in illis eſt doctum & lepidum; ſed pleraque ejus commatis, cujus hoc eſt marmor, quod *pag. 50* literis ligno ad imitationem in marmore exaratarum inciſis conſpectui datur: *Venegeſtus Previter* (id eſt, Presbyter) *in paca* (pace) *dem. dormit*; & qualis eſt inſcriptio teſtæ *pag. 54*, etiam ex ligno exhibita, his verbis concepta: *Opus ſervile Fortunati Mardonæ ex prædiis Titi Manlii Maximi Severi*. Inſperſæ huic in ſiglas veteres excurſioni ſunt obſervationes quædam, ſi non novæ,

novæ, nec tamen contemnendæ, ut illa est de avibus, anchoris, & piscibus, in cippis Christianorum sepulcralibus sculptis, velut indiciis sectæ; pisces propterea fuisse saxis incisos, quod Græca vox, piscem significans, ΙΧΘΥΣ, siglas efficere sententiæ hujus: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σ. Peculiari *Capite*, quod ordine *nonum* est, siglas & significationes, a quibus sepulcra gentilium agnoscuntur, persequitur Autor, finitaque illa disputatione, quæ haud multo minus, quam dimidium operis, implet, revertitur ad argumentum suum, & urget, H potius e gemino I, quam gemino E, compositum esse, ideoque magis probabile esse, illius, quam hujus, indolem sequi; Latinos quoque in ea litera reddenda variasse, & haud pauciora suppetere exempla vocum Latinarum, in quibus η Græcum ι sonet, quam proferri queant exempla vocum, in quibus *e* longo fuerit expressum; tandem, vel illo quoque concesso, ubique Latinos η per *e* reddidisse, non tamen inde confici, Græcis vetustis η ut *e* sonuisse. Nam Dores ε, η, ο, & ω, in α mutasse, non tamen recte propterea statui, aut η ut α, aut omnes illas literas eodem modo, fuisse prolatas. Affertur quoque *Dionysii Halicarnassensis de Structura orationis* locus, quo η dicitur *infra circa fundum linguæ formari modice aperto ore:* quem locum quamvis *Gregorius* sibi suæque caussæ magis existimet favere, non deerunt tamen (tam anceps ille est) adversæ parti, qui eum pro se allegent. Ad novam comminiscendam & amplectendam Græci sermonis pronuntiandi rationem *Erasmum* & ejus asseclas movit hoc quoque haud in minimis, quod perpetuus Jotacismus aures offendat, & parum dignus sit tantis laudibus celebrata ab antiquis Græcæ linguæ venustate. Verum *Platonem* opponit, qui, laudato veterum more, literam ι creberrime frequentandi, recentiorum ab eo defectionem improbet. Gracilem quidem ea ratione fieri orationem; at veteres in Græca gracilitatem notasse, desiderasse varietatem. Nullum denique esse sermonem tam divitem, tam prudentem, sollicitaque ambigui omnis evitatione rationem aurium habentem, in quo defectum linguæ judicium audientis legentisve, & sermonis filum, supplere, necesse non habeat. Sermonem Græcum vulgarem contraxisse quidem aliam a vetusto faciem tot seculorum

 decur-

decursu, & tantis rerum vicissitudinibus; at potuisse nihilo minus pronuntiationem haud temeratam perstare, & ad nos propagari. Pronuntiationis, quam hodierni Græci solam norint, natales ignorari, cuinam ævo debeantur; contrariam vero gemini Seculi spatium haud excedere. *Pag. 78* subjicitur oculis Græca Seculi XV inscriptio, ligno iterum expressa, literarum quarundam formas exhibens, tam peregrinas, ut credibile non sit, alibi easdem eodem modo sculptas pictasve unquam fuisse, aut exstare. Est autem hæc: Μάρκος ὁ Λοκατέλλος ἐνταῦθα δηκαίος (sic exaratum, & sic collocatus est accentus,) καὶ ἐυσεβὴς. Postremo loco argumentum hoc in illis ponit Autor, quibus invidiam *Sarpedonii* sectæ facere studet, quod futurum sit, ut juvenes Græci, Græca ad modum *Erasmianum* pronuntiare docti, si secum in patriam eandem rationem retulerint, in odium & contemtum apud suos incurrant, velut hæreticorum institutis innutriti, cum *Erasmiana* pronuntiatio solis sese approbaverit hæreticis. *Ultimum Caput*, seu *duodecimum*, *Sarpedonii* Corollarium aggreditur, quo ille ambarum pronuntiandi rationum optionem juvenibus in hanc legem dederat, ut, cui Græce cum Græcis agendum olim fuerit, is modulo, genti illi adamato, assuefiat, ille vero alteram instet viam, qui, dudum conditorum Græciæ sapientum in libris audire sermones, satis habeat. Illud enim eum suadendo urget Noster, sua ipsum vineta cædere; hoc autem inutile esse, cum fuerint Græce doctissimi homines, numero quamplurimi, qui de *Erasmiana* pronuntiatione ne fando quidem inaudiverint.

HISTORIA DE USU SYMBOLORUM, POTISSImum Apostolici, Nicæni, Constantinopolitani, & Athanasiani, in sacris tam veterum, quam recentiorum, Christianorum publicis; Autore JOANNE RUDOLPHO KIESLINGIO, S. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. Lipsiensi.

Lipsiæ, ex officina Jo. Georg. Lœwii, 1753, 8.
Alph. 1.

Haud

Haud pauci exſtant, qui in publica veteris Eccleſiæ Chriſtianæ Symbola commentati ſunt, Autores. At enim vero plerique omnes, e quibus *Voſſius*, *Pearſonus*, *Uſſerius*, *Kingius*, & *Witſius*, inprimis appellandi ſunt, circa hiſtoriam & expoſitionem horum Symbolorum potiſſimum ſubſtiterunt. His motus rationibus, id conſilii iniit S. Rev. Autor, ut uſum horum Symbolorum, in ritibus ſacris, iisdemque publicis, explicaret diligentius. Quo nomine antiquitatum & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cultoribus rem haud ingratam procul dubio præſtitit. Librum in *tres* diviſit *Sectiones*, variis conſtantes partibus. *Sectio I* tradit uſum Symbolorum in ſacris Chriſtianorum publicis. Exhibet hæc *Sectio* in univerſum inſtitutionem de Symbolorum uſu, atque exponit verboſius, veteris Eccleſiæ proceres gravioribus adductos eſſe cauſis, ut Symbolum aliquod, quod Chriſtianis bene formandis, erroribus propellendis, nec non cultui divino in Eccleſia decenter peragendo, inſervire poſſit, conderent, quod, ob Apoſtolorum doctrinam, appellare amamus Apoſtolicum. Invictis demonſtrat argumentis, illam ipſam fidei confeſſionem non ipſis Apoſtolis, ſed viris Apoſtolicis, eſſe vindicandam, attamen ſatis antiquam, quia primorum Seculorum Patres, *Juſtinus Martyr*, nec non *Irenæus*, illius faciant mentionem. *Sectionis II Pars I* agit de Symboli Apoſtolici uſu in ſacris Chriſtianorum publicis. Summa quondam veteris Eccleſiæ Chriſtianæ fuit circa ritus ſacros bene inſtituendos, nec non primos homines Catechumenos dextre formandos, cura. Quo vero horum futurorum civitatis Chriſtianæ inquilinorum ſaluti bene proſpicerent laudati Patres, illis brevem, & ſuccinctam, quam exhibet hoc Symbolum, fidei formulam addiſcendam tradiderunt, quo digni æſtimarentur, qui ſacra lotione initiati Chriſto adſcriberenrur. Quæ fuerit primorum Chriſtianorum circa declamationem hujus Symboli a Catechumenis præſtandam ratio, quique ritus in hoc ſacro ſpectaculo obſervati, ex optimis Patrum & Conciliorum Autor oſtendit documentis, multum lucis iisdem paſſim afferens. Nec præterit miram, quæ ſe in hoc Symbolo, circa verba, & integras formulas,

mulas, offert, variationem, ex hæresibus, hinc & inde sparsis, inprimis enatam. Confirmat ritum circa infantes lustrandos, & fusius disputat de interrogationibus, ex hoc Symbolo institutis, quibus testes, seu sponsores, nomine tenellorum infantum fidem publica in corona afferunt. Operæ duxit pretium, hic loci excurrere in concertationem, de hoc argumento potissimum in Anglia ortam, quia Presbyteriani hanc consuetudinem improbant, & quæstiones non ad infantes, sed ad ipsorum patrinos potius, dirigendas esse, statuunt. Multis autem rationum firmamentis affirmatur, consuetudinem, ipsos infantes, sacro fonte tingendos, de fide interrogandi, non solum esse satis antiquam, sed & naturæ fœderis, quod Deum inter & hos infantes initur, optime conformem. Abiit porro hujus Symboli usus ad homines denuo initiandos, seu confirmationis ritu collustrandos, qui adhuc in Anglia est superstes. Quæ fuerit causa, ob quam hæc consuetudo tempore emendatæ a B. *Luthero* Ecclesiæ est proscripta, exponitur solidius, demonstraturque, hunc ritum veteris Ecclesiæ Protestantibus, in libro *Interim*, sub nomine Sacramenti esse demandatum; quare, illum potius omittendum, quam sub hoc oneroso titulo retinendum, ex vero statuerunt. Difficile vero est dictu, demonstratuque, si vel omnia, quæ introspexit Clariss. Autor, denuo evolvas primorum Patrum documenta, hujus Symboli usum quoque in sacra Eucharistia fuisse conspicuum. Prisca Ecclesia, simplicitatis, & institutionum divinarum, amantissima, procul dubio hoc Symbolum in re eucharistica non adhibuit, licet variis hymnis sacris, inprimis autem cantionibus *Davidicis*, sacro in conventu sit usa. *Sectionis II Pars II* agit de usu Symboli *Nicæni* in sacris Christianorum publicis. Docet S. Rev. Autor, novum hoc Symbolum *Nicænum* aliquantisper in Ecclesia Orientali antiquasse Apostolicum. Restitit quidem Ecclesia Occidentalis Symboli Apostoli tenacissima, sed tamen impedire non potuit, quo minus illud postea in rebus sacris usurparetur. Quid? quod ipsa Romana Ecclesia hoc Symbolum

lum successu temporis in usum sacræ Eucharistiæ adoptavit. Sed ad breve tantum temporis spatium hujus Symboli duravit autoritas, quia illud per Symbolum Constantinopolitanum multis accessionibus est auctum. Errant proinde illi, qui, *Nicænum*, quod nostra ætate manibus versamus, integrum & purum esse, sibi persuadent, cum illud his accessionibus Symboli Constantinopolitani jam sit instructum, ornatumque. *Sectionis II Pars III* tradit usum Symboli *Nicæno-Constantinopolitani* in sacris Christianorum publicis. Invaluit postea Symboli Nicæno-Constantinopolitani in Ecclesia Orientali usus, licet Occidentalis Apostolicum pressis adhuc teneret manibus. Cum autem errores Arianorum, & Macedonianorum, Hispaniam, Angliam, & Galliam, inficerent, & misere turbarent, permiserunt Pontifices, ut hujus Symboli usu his hæresibus poneretur obex. Graves autem postea concertationes inter Patriarcham *Photium*, & *Nicolaum I*, Pontificem Romanum, de lacinia, *Filioque*, sunt enatæ, & tanta animi contentione ab utraque parte agitatæ, ut Ecclesia Græca nostro adhuc ævo cum Latina nondum redierit in gratiam. Disputatur vero, utrum illa formula in primis hujus Symboli exemplis exstiterit, quod nec Græci solum, sed & Viri acutissimi, *Usserius*, *Vossius*, *Walchius*, firmamentis inixi satis validis, negant. *Nicolaus* autem *I*, Pontifex Romanus, autoritate usus dictatoria, eam accessionem Græcis obtrudere voluit, quam Græci ex adverso in omnibus Conciliis, *Foro-Juliensi*, *Gentiliacensi*, *Lugdunensi II*, & *Florentino*, fortiter respuerunt. Interim Pontifices Romani, *Gregorius XIII* & *Urbanus VIII*, Græcis nonnullis, cum Romana Ecclesia unitis, eam formulam ex juramento tenendam satis dolose imposuerunt. *Sectionis II Pars IV* paucis commemorat usum Symboli *Athanasiani* in rebus sacris. Prout hujus Symboli natales valde dubii sunt; ita mirum non est, ejus quoque usum in sacris publicis, si excipias fidei confessionem, esse admodum rarum. Monachi saltem Carthusiani & Ambrosiani illo quotidie utuntur; *Lutherana* vero Ecclesia illud tantum

adhi-

adhibet ad coercendos divinitatis Jesu hostes. *Sectio III* agit de usu Symboli potissimum Apostolici in sacris *Lutheranorum* publicis. In eo occupatus est Clariss. Autor, ut *Lutheranæ* Ecclesiæ, quæ nonnulla circa horum Symbolorum usum mutavit, causam agat, eandemque contra Pontificiorum vindicet criminationes. Solide evincit, *Lutheranam* Ecclesiam Symbola antiqua non proscripsisse, sed eadem in Confessione Augustana adduxisse. Retinuit eadem Ecclesia Symbolum Apostolicum in sacra lotione. Mutavit autem usum Symboli *Nicæni* in sacra Eucharistia, eliminatis insuper nonnullis ritibus, superstitionem & levitatem redolentibus. *Lutherus* satis bene agnovit Symbolum ad sacræ Cœnæ naturam non spectare; quare illud ab eadem separandum duxit. Etenim fidei confessio non epuli sacri convivis solum, sed omnibus etiam Christianis, est relicta, nec non demandata. Rejecto igitur Symbolo *Nicæno*, adoptavit Apostolicum, quod, in hymni formam redactum, ante orationem sacram ex umbone recitandam, a toto decantatur cœtu. Nihil temere suscepit *Lutherus*, cum hujus Symboli declamatio variis in Conciliis inculcetur. Mutavit porro *Lutherus* sermonis genus, quo Christi cives Symbolum, patrio sermone redditum, eo melius intelligant, & ipsis de sua constet fide. Nec improbat Autor hujus Symboli usum, qui in publicis funeribus conspicitur, quia hoc modo confessio fidei ὑπὲρ νεκρῶν more antiquissimorum Christianorum redditur. Ex hac brevi hujus opusculi delineatione planum est, res in illo tradi haud vulgares & detritas, sed satis limatas, bene dispositas, & judicio haud destitutas. Operam dedisse videtur S. Rev. Autor, ut argumentum latius patens in brevem & concinnam aliquam redigeret summam, & paucis multa, eaque jucunda, acuta, & utilia, diceret, atque, hac usus arte, sui lectoris palatum exstimularet, alliceret, satiaret. Eidem Viro doctissimo nos laborem hunc ex animo gratulamur, similesque alios ab actuosa ejus & polita Musa cupidissime exspectamus.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLIII.

Pars II.

FRID. HOFFMANNI, CONS. REG. BORUSS. INtim. & Archiatr. Prof. Med. Prim. in Academ. Halensi, Operum omnium physico-medicorum Supplementum secundum, in tres Partes distributum; quibus continentur opera varia, quæ in magna Operum collectione, & primo Supplemento, desiderantur.

Genevæ, apud Fratres de Tournes, 1753, fol.

Pars I Alph. 7 plag. 22, Pars II Alph. 8 plag. 16, Pars III Alph. 2 plag. 8, cum Tabb. æn. 3.

Neminem facile futurum esse opinamur, qui, quantam inter Germanorum Medicos consecutus famam fuerit Illustris *Hoffmannus*, nesciat; quandoquidem id ipsum tot ejus abunde testantur scripta, tot, quibus decoratus jam dudum fuit, exterarum etiam gentium, parum alioqui Germanorum meritis faventium, laudes & præconia confirmant. Maxime autem rem eandem persuadere omnibus potest incredibilis illa eorum, qui artem medicam profitentur, legendi habendique opera *Hoffmanniana*, cupiditas, quam explere posse variæ ac diversæ eorum editiones videbantur, sed re ipsa non expleverunt, quod multa in illis relicta & prætermissa esse observabantur, haud levi æstimanda pretio, atque adeo, quæ cum ceteris publicarentur, dignissima.

ma. Et hoc ipsum etiam in splendidæ hujus Genevensis editionis Autoribus taxari consuevit, quod haud pauca, in magno utique pretio habenda, suæ non adjecissent editioni, qui tamen ex eo excusari poterant, quod ipsius jussu *Hoffmanni* ea tantum, quæ ipse studiosius elaborasse sibi videbatur, in priora conjicerentur *Volumina*, reliqua vero, quæ, ut abortivos immaturæ ætatis partus, repudiabat ipse, supprimerentur. Nunc itaque, variis variorum monitis excitati, iidem Viri boni in *Supplemento* hocce *secundo* ea nobis exhibent, quæ in ejusmodi Operum editione desiderari demum poterant, magnoque hac in re ipsis adjumento fuit studium Cel. *Nicolai*, Medici Halensis, qui, quæcunque hic leguntur, scripta collegit, & in ordinem redegit. Sed de digerendis hisce primaria movebatur difficultas. Etsi enim, si temporis, quo prodierant scripta, ratio fuisset habita, hoc modo, quibus sensim sensimque a Cel. Autore aucta fuerit salutaris doctrina inventis, cognosci potuisset; tamen, quod ipsa scientiarum diversarum pertractata capita ordinem ita valde perturbassent, eam eligere maluit scriptorum disponendorum rationem Cel. *Nicolai*, qua ipse in Medicina systematica condenda usus fuerat Illustris Autor. Hanc ob rationem *primo* hic occurrunt loco Opuscula physico-medica varii argumenti, & inter hæc *Dissertationes* duæ, *ad Historiam Naturalem spectantes*, tres, *quibus Chemia illustratur*, decem, *ad Physicam pertinentes*. Sequuntur dein, *quæ veluti ad Medicinam prolusiones haberi possunt*, *nec non Physiologiam explicant*, earumque undecim numerantur. Tum ad *aquas medicatas* progreditur ordo, de quibus quatuor exhibentur Dissertationes, quibus etiam mox adduntur aliæ *diateticæ*, quarum sunt quatuordecim, aliæ *pathologicæ*, novendecim, aliæ *therapevticæ*, septem numero, tandemque finem *priori Parti* imponunt opuscula *de remediis, eorum generibus, operandi & applicandi modo, una cum cautelis & observationibus necessariis*, quo *Capite* duodeviginti specimina continentur. In tanta harum Dissertationum celebritate, non opus esse, arbitramur, ut earum inscriptionibus Lectori simus molesti, cum satis constet, Illustrem earum Autorem, licet aliquando aliis il-

larum

larum commiserit elaborationem, argumenta tamen suppeditasse, quibus demonstrationum veritas inniteretur. Illi autem, quæ de cortice Cascarillæ agit, Dissertationi icon addita est ex *Catesbio*. *Altera Pars* hujus Supplementi *practicas Dissertationes* proponit, copiosas admodum, morborumque naturam, & tractandi eosdem methodum, sufficienter demonstrantes, duas & septuaginta. In his tamen si quædam adhuc deficiant, quæ typis exscriptæ prostant, sciendum est, relictas fuisse, quæ parum tantum mutatæ in Systematicam Medicinam ab ipso earum Autore fuerunt translatæ. Accedunt etiam duæ his icones, quarum altera hydropis pericardii rarissimi historiam illustrat, & cordis pericardiique, ex Museo *Ruyschii* desumtam, figuram sistit; altera vero ad fistulæ ani curationem pertinet, in qua syringotomus, ab Illustri *Hoffmanno* inventus, cum aliis, ad hanc operationem suscipiendam necessariis, instrumentis, delineatur. *Tertia* tandem *Pars* tota nova est, tres continens manu scriptos & relictos Tractatus, de quibus adeo nobis adhuc pauca dicenda esse videmus. Primus eorum tradit *historiam corporis humani anatomicam, cum usu ejusdem in Physiologia, Pathologia, & Chirurgia.* Præmissis autem partium momentis, quæ ex anatome cognoscuntur, morborum naturam, variaque illos tollendi argumenta, pensitat, & in universum totius anatomes hanc facit disquisitionem, ut ab integumentorum communium consideratione ad musculos procedat abdominales, & ea, quæ in abdominis cavo collocantur, viscera perscrutetur, post ventris medii, seu thoracis, tandem supremæ cavitatis, sive capitis & organorum sensoriorum, contemplationem instituat. Prout autem, non totius anatomes capita hic fuisse ab Ill. *Hoffmanno* expensa, satis jam ex tractationis ratione apparet; ita nec in his, ut decebat, momenta cuncta sollicite fuisse explicata, perlegenti constabit, qua tamen in re & temporis, & ipsius hujus doctrinæ investigationis, rationem habendam esse censemus, ideo hoc ipsum monentes, ne forte aliquis, completum anatomes opus se hic inventurum, speret. Secundus Tractatus *de erroribus Medicorum in theoria & praxi medica* disquirit,

quirit, in quo, perlustratis erroribus generalioribus, qui ex perversis præcipue hypothesibus originem sumunt, qua quidem occasione in *Stahlianam* simul sectam invehitur Autor, specialiores deteguntur errores. In his autem cautelæ etiam, in exhibendis porrigendisque remediis non negligendæ, proponuntur, ipsam hanc scriptionem commendantes. Tertius Tractatus *materia* est *medica, in qua medicamentorum simplicium historia, vires agendi, & legitime applicandi modus, una cum compluribus cautelis ac observationibus practicis selectissimis, perspicue & succincte traduntur.* Pluribus jam, ad doctrinam de materia medica referendis, Dissertationibus, quarum etiam quædam in hoc Supplemento continentur, docuerat Illustris Autor, se illa, quæ Medicum nobilitat, genuina remediorum historia scientiaque non destitui; quare vix opus est, ut moneamus, hanc etiam materiæ medicæ explicationem secundum eandem normam descriptam hic reperiri, licet forte, si nunc scripsisset ejusdem Autor, in tam amplificata Historiæ naturalis cognitione varia penitius potuisset percontari. Divisa autem illa est ad normam trium, sic dictorum, naturæ regnorum, quorum primum est minerale, alterum animale, tertium vegetabile, quod *novem* sub se complectitur *Sectiones*, quibus de lignis medicis, de corticibus, viscis, fructibus, purgantibus, balsamis, succis, & viribus herbarum, agitur, quas ex sapore potissimum dijudicandas esse, judicat Cel. Autor. His igitur splendidæ huic Operum *Hoffmannianorum* editioni, quæ & chartæ & typorum nitore omnibus commendatur, finis imponitur, eoque magis nemini non gratam hanc futuram esse ominamur, quod minora, quæ in Academiis scribi solent, opuscula sensim paulatimque adeo rara evadant, ut haberi nequeant, nunc vero *Hoffmanniana* hæc collecta, & convenientem in ordinem disposita, sui Autoris memoriam servent, & perennem reddant.

REMARKS ON THE EPISTELS OF CICERO TO Brutus, and of Brutus to Cicero, &c.

id est,

id eſt,

JEREMIÆ MARKLANDI, COLLEGII S. PETRI apud Cantabr. Collegiati, Animadverſiones in Epiſtolas Ciceronis ad Brutum, & hujus ad illum, per modum Epiſtolæ ad amicum. Accedit Diſſertatio in Orationes quatuor, quæ Ciceroni vulgo tribuuntur, ſcil. poſt reditum in Senatu, ad Quirites poſt reditum in Senatu, pro Domo ſua ad Pontifices, de Haruſpicum reſponſis; cum excerptis quibusdam e Virorum doctorum ad eas Orationes notis, & MARKLANDI ad hæc excerpta animadverſionibus.

Londini, 1745. 8 maj.

Alph. 1 plag. 2½.

Epiſtolis, quæ ad hoc usque tempus *Ciceronis* & *Bruti* fuerunt habitæ, amœbeis ante hos decem fere annos movit controverſiam in Anglia *Jacobus Tunſtall.* Cui ſe oppoſuit *Conyers Middletonus*, patronus & defenſor harum Epiſtolarum, editis non tantum Vita *Ciceronis*, ſed illis ipſis Epiſtolis, de quibus lis agitatur, Latino & Anglico ſermone, una cum Præfatióne, in qua *Tunſtalli* argumenta ſubvertere nititur. Novum huic & duplo majorem librum *Tunſtallus* oppoſuit. De quibus ſingulis jam olim a nobis actum. Acceſſit parti, quæ, ſpurias, affirmat, illas Epiſtolas eſſe, Vir magni nominis, nec minoris eruditionis, *Jeremias Marklandus*, editoque hoc libro, cujus capita percenſere nunc aggredimur, tam acute docteque & ſolide *νοθείας* convicit illas Epiſtolas, & ſimul quatuor, in titulo libri citatas, Orationes, ut non putemus, fore quemquam, niſi aut ſtupidum, aut contentioſum hominem, qui de impoſtura porro dubitare velit. Libellus, quem forma Epiſtolæ ad Amicum Anonymum ſcribere placuit Autori, *tribus* potiſſimum *Capitibus* abſolvitur. *Primo* dictiones Autor exhibet, quæ a puro & elegante & *Ciceroniano* dicendi genere abhorrent. *Secundo* modos ratiocinandi perſtringit, qui vix mediocri ſcri-

 ptori

ptori & infanti, nedum *Ciceroni*, congruunt, homini, qui acerrimo judicio pollebat, & facultate, ut bene dicendi, sic etiam multo magis exacte cogitandi. *Tertio Capite* momenta quædam attingit historica, e quibus imposturam & falsitatem harum Epistolarum asseverat elucere. Ut tamen verum fateamur, in illo regnat argumento Criticus acutissimus, quod a dictione petitum est, ut contra *Tunstalli* opus maxime circa momenta versatur historica. Sane stupuimus, legentes, quam ille Vir, *Marklandus*, *Ciceronem* ad unguem calleat; quam ceteros quoque procul dubio scriptores Latinos optimos; cum viderit & deprehenderit, quæ deprehendere, cuivis alii datum non est. Est quidem, ubi fervor disputationis eum abripuit, ut damnaret, quæ non oportebat. Sed ea multo pauciora sunt, quam exspectaveramus a Viro, quem nostri homines Criticum audacem, & insolentem, & hypercriticum, appellant. Quid de opere statuendum sit, & quam valentia sint ejus argumenta, intelligetur, quando summa ejus capita cognoscenda cuivis proponemus: quod nunc facimus, idque ideo paulo diligentius, quia libri tales Anglicani raro trajicere fretum, & ab aliis legi nationibus, solent.

Primum, quod occurrit statim post titulum, est tabula, quæ totius libri argumentum omne exhibet in compendio, & uno sub conspectu. Inde a *pag.* 1 usque ad *pag.* 27 differit Autor de instituto suo, & generatim de his Epistolis. *Tunstallum*, ait, primum dubitasse de his Epistolis, num genuinæ sint. Inde se ad ulterius inquirendum fuisse incitatum: sibi enim neque difficile, neque improbabile, fuisse visum, ut diligens aliquis *Ciceronis* lector, non prorsus absurdus homo, omni tempore, ex quo Latina lingua desiit in usu esse, compilaverit aliquid ex ejus scriptis, quod sub ejus nomine ediderit. Quem ad modum fecit Epistolarum Autor, qui dimidiam certe partem earum ex vero *Cicerone* transscripsit, & idem sumsit sui calami gymnasma, de quo multa in scriptis *Ciceronis* exstant. Cum autem aliunde nequeat Autor aliquis ἀμφισβητήσιμος deprehendi, quam ex paritate, aut dissimilitudine, dictionis & ratiociniorum, & modo res ætate sua gestas narrandi,

di, num rebus ipsis & testimonio scriptorum congruant, nec ne; ad hunc lydium quasi lapidem admovisse se has Epistolas, & deprehendisse, quod earum Autor neque dicendi, neque ratiocinandi, genere *Ciceroniano* fuerit usus, & pugnantia multa cum historica veritate prodiderit. *Ciceronem*, ubi voluit imitari, sæpe non intellexisse; aliam habuisse linguam vernaculam, quam Latinam; unde conficiatur, eum sexto Seculo P. C. N. posteriorem esse. *Primam* & *septimam Epistolam*, concedit, genuinas esse. *Decimam quintam* quoque faciem vetustatis præ se ferre. Celebrem illam *Bruti* Epistolam, *vigesimam secundam*, esse, ait, vitiosissimam. Qua vixerit ætate impostor, demonstrari posse, negat. Sed probabilem esse *Tunstalli* opinionem, non unum his Epistolis, sed saltem duos, patres esse, quod eleganti confirmat observatione, quod scilicet Autor primi Libri phrasi *cum* sequente opposito *tum* utatur κακοζήλως, & quidem decies septies, ut numeravit Anglus, Autor vero *secundi Libri* ea prorsus abstinuerit. Videtur Anglo impostor potissimum hausisse sua argumenta ex Orationibus *Ciceronis Philippicis*, *Epistolis ad familiares*, & *ad Atticum*. Cetera non videtur ipse legisse, unde interdum genuino *Ciceroni* contradicit.

Hæc fere sunt, quæ disputat Anglus in prolegomenis. *Primam Partem* demonstrationis orditur a *pag.* 27, & primo quidem loco producit illud ex *Epistola VI* secundum ordinem *Middletoni: Huic persuadere cœpimus ut imperator* &c. ubi sensus prodit, *persuadere* positum esse loco *suadere*, quemadmodum impostor sæpe composita pro simplicibus adhibet, uti & Autores quatuor spuriarum Orationum; quemadmodum in nota castigat Autorem Orationis *pro Domo sua*, qui *excogitavit* posuit pro *cogitavit*. Illo enim tempore, cum hæc scriberet *Marklandus*, nondum destinaverat, ex professo de illis Orationibus perhibere. *Pag.* 30 arguit illud ex Epistola *Bruti*, *semper in præsentibus malis prohibendis*, cum prohiberi nequeant *nisi futura*; præsentia & præterita prohiberi non possint. *Pag.* 34 ex eadem Epistola *Bruti* perstringit illud: *Octa-*

Octavius is est, qui quid de nobis judicaturus sit, exspectet populus Romanus. Constructionem nempe, ait, ibi perplexam esse, cum debuerit, *a quo, quid judicaturus sit, exspectet populus Romanus.* Sed, nimis subtilem hanc esse Criticam, putamus, miramurque, Virum Graece callentissimum, in his non observasse Graecismum de elegantissimis unum. *Pag. 38* proscribit illud ex *Epist. 22: Neque jam revocari in integrum potest.* Dicit, eum locum ex *Livii XXXI. 32*, transscriptum, sed male, cum, praetermissis intermediis, conglutinaverit non cohaerentia. *Pag. 41* negat, intelligi posse illud ex eadem Epistola: *judicium, quod tanta firmitate ac magnitudine dixerit in exturbando Antonio*, & aeque Latinum esse, *judicium magnitudine dirigere*, atque *dirigere in exturbando aliquo* (pro *in*, vel *ad*, *exturbandum aliquem*), negat. Item illud *pag. 44* eadem ex Epistola: *ob ejusdem mortem deterritus*, cum non dicatur, *ob alicujus mortem*, sed *alicujus morte deterreri.* *Pag. 45: ut sui juris & mancipii esset respublica*, pro *sui juris & arbitrii.* *Pag. 47* ex eadem: *Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram*, pro *sed nihil tanti fuit, ut venderemus.* *Pag. 49* damnat tanquam transpositionem ἄκριτον illud *Epist. XIX: Sed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, extimescam*, cum *movere* per naturam rerum prius sit, quam *labefactare.* *Pag. 52 Epist. XV* ait vocem *segnis* alieno sensu adhibitam, *aetas enim, mores, liberi, segnem efficiunt*, pro amantem otii; cum segnities vitium sit. *Pag. 55 largitiones* imperite poni pro concessione honorum & imperii, vel honorum largitionibus in illo *Epist. XI: quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animum;* quo ipso in loco quoque, *liceat*, reprehendit, dictum pro *possit.* Ex *Epist. XII* allegat *pag. 61* illud, *in Pansae locum petere constituit*, ubi deest, quid petierit, aut petere voluerit, cum debuerit *in Pansae auguris* (vel *Pontificis*) *locum petere.* Simpliciter enim dicebant *petere* pro magistratum, vel munus, petere. *Pag. 66*, obscurum esse, queritur, locum ejusdem Epistolae: *Domitius in sua Epistola celebrabitur; &*, videri sibi, ait, debuisse dici, *celebrabitur ob suam epistolam;* simul-

ſimulque excurrit in deſignandas varias ſignificationes verbi *celebrare*. Hæc ex *Bruto* attributis Epiſtolis. Ex *Ciceronianis* allegat *pag*. 69 illud *Epiſt. X: qui petit, cujusve ratio habebitur*; pro *cujusve abſentis ratio habebitur*. *Pag*. 74 illud ex *Epiſt. IX: qui M. Antonii ſectam ſecuti ſunt*, cum vetus dicendi mos veterum Senatusconſultorum fuerit, *qui M. Antonium ejusque ſectam ſecuti ſunt*, cujus impoſtor fuerit imperitus; aut, ut *Ciceronis* ætas ferebat, *qui cum M. Antonio fuerunt*. *Pag*. 76 eandem ſtili veteris ignorantiam deprehendit in illis *Epiſt. X: ad fidem & dignitatem tuam pertinere*, cum veterum more dici debuiſſet, *ad rempublicam fidemque tuam pertinere*. Etiam in illo peccatum in veterem formulam ait *pag*. 79 *Epiſt. V: honos quoque juſtus & debitus Diis immortalibus decretus eſſet*, cum nunquam *decreti* Diis honores, ſed ſemper *habiti*, legantur, & dictio *honorem decernere* non Diis, ſed hominibus, congruat. Obſervatio certe elegans, & de profundiore Critica depromta, cujus occaſione Autor demonſtrat, infimam quidem eſſe artis criticæ partem exactam linguarum ſcientiam, ſed Criticum profeſſo tamen valde neceſſariam, & ſine qua ad illam nobiliorem, ſanum ſcilicet ratiocinium, perveniri nequeat. Simul quoque locum *Ovidii* pertractat & defendit *Heroid. XXI*, 57: *perdere velle velis*; & monſtrat, quam anguſtis circumſcripti ſint limitibus, qui noſtro tempore bene ſtudent Latine ſcribere, præ veteribus, penes quos novandi jus & fas erat. *Pag*. 93 improbat *reponi* pro ſuffici, ſubſtitui, ſubrogari, poſitum in illo *Epiſt. XXII: Scilicet, ut — rogaremus alterum, qui ſe in ejus locum reponi pateretur*. Culpat quoque *pag*. 96 *ſoleres* poſitum pro *ſolebas* in illo *Epiſt. V: nec te ſcripſiſſe ad tuos, ut ſoleres*. Sed id præter rem factum putamus. *Pag*. 97 taxat a *Bruto*, *in poteſtate mea habui*, dictum. *Pag*. 100 damnat *explere alicujus meritum*, *Epiſt. XXII* dictum pro meritam gratiam referre. *Pag*. 105 emendat eadem in Epiſtola *vindici quidem alienæ dominationis, non modo vicario*, id eſt, *nedum vicario*. *Pag*. 110 negat, bene dici *veriſſimum dicendi genus* pro optimo, quæ phraſis occurrit *Epiſt. XXI*. *Pag*. 111 negat, *tardare* verbum a *Cicerone* uſurpatum ſenſu ceſſitandi, moras nectendi, ὀκνεῖν, βραδύνειν, quo tamen hypobolimæus *Cicero* utatur *Epiſt.*

XXIII, & usquam occurrere apud genuinum *Tullium*, nisi sensu transitivo retinendi, & moras injiciendi. *Pag.* 116 negat, *infideliter* Latinum, certe *Ciceronianum*, esse. *Pag.* 120 civitate Latina quoque excludit verbum *quatefacere*. Accedit huc, quod sequente *Capite pag.* 140 notat, *fugere urbem Epist. XIX*, pro *evitare*.

Secundam Partem Epistolæ suæ orditur *Marklandus pag.* 130, in qua νοθείας arguit has Epistolas e capite factorum historicorum, & monstrat, novum *Tullium* in eo contradicere veteri, quod *Epist. XXI*, *Solonem*, dicat, *ex septem sapientissimum* fuisse, quam laudem vetus ille *Thaleti* tribuit. *Pag.* 132 memoriæ lapsum & ἐκλοπίαν nullo modo excusandam novi *Tullii* exagitat, qui eadem in Epistola ad *Brutum* (numero est *quinta*) primum, veniam sibi dari, postulat, quod omittat Epistolarum *D. Bruti* & *C. Antonii*, in senatu recitatarum, argumenta ipsi enarrare, quandoquidem, ea ipsum jam ex amicis Romanis cognovisse, certo credat; procedente tamen sermone late persequitur idem. *Brutum* quoque, *pag.* 135 monstrat, ab impostore absurdum fingi non minus, quam *Ciceronem*. *Brutus* enim *Epist. XI* a *Cicerone* petit, sibi ignosci, quod homines aliquos appellet cives, sua quidem ex sententia indignos illo nomine; quos ipsos illos ipse *Cicero Epist. IX* jam *cives* appellaverat. Miramur tamen, hæc ad caput factorum historicorum a *Marklando* relata esse, cum debuerint potius ad caput ratiociniorum referri. Mera enim sunt ἀκρισία & defectus consilii. *Pag.* 139 negat, verum *Tullium* potuisse scribere, quæ spurius *Epist. IX* narrat, *Pansam e prælio Mutinensi fugisse*, quandoquidem historia repugnet, & ipse *Cicero*, qui, *Pansam* ob vulnus ex prælio elatum, alibi perhibet. *Pag.* 145 negat, *a Lepido bellum terra marique gestum*, quod impostor *Epist. XVII* affirmat, quia Historicorum nullus belli mari a *Lepido* gesti meminerit. *Pag.* 151, falsum, ait, novum *Brutum* in eo, quod *Ciceroni* significet, se ab *Antistio vetere* sublevatum numis ex *sua* (*Antistii*) *pecunia* fuisse, cum constet, eam pecuniam fuisse publicam, tributa ex Asia coacta. *Pag.* 155 illud miratur, quod impostor, hunc *Antistium* Romam ire, fin-

fingat, candidatum Præturæ, cum illo tempore non fuerit nisi Quæstor; Quæstori autem non licuerit ad Præturam adspirare, nisi prius Ædilitate, aut Tribunatu plebis, fuerit functus. *Pag. 158* illud exagitat, quod impostor, *Brutum*, fingat, literas a *Lentulo* accepisse nono Aprilis, quas genuinæ *Ciceronis* Epistolæ 29 Maji traditas memorant. *Pag. 162*, novum *Ciceronem* aperte contradicere veteri, monstrat, eo quod, *Lepidum* semper fuisse publicæ rei inimicum, dicat *Epist. III*, quem vetus & verus *Philipp. V*, 14, semper amicum prædicet. *Pag. 166*, anticipasse tempora impostorem, demonstrat, eo, quod *Salvidienum* Senatorem memoret, qui Senator non fuerit nisi anno tertio a *Bruti* morte; item *pag. 170* eo, quod, *C. Marium*, dicat *Epist. X*, augurem factum lege *Domitia*, cum *Marius* ante illam legem latam jam augur fuerit. Plura sciendi cupidum argumenta historica, imposturæ ἐλέγχους ad librum *Tunstalli* relegat.

Tertio Capite suæ Epistolæ, quod *pag. 176* incipit, demonstrat *Marklandus* fraudem ex impostoris humili, languido, absurdo, & hiulco, ratiocinandi genere, & quod a *Ciceroniano*, masculo, sano, & apto, multum abhorreat. Exempla proponit hæc. Primum ex *Epistola V*: *Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam*, quæ mera est absurditas. Alterius sententiam defendere, & suam, contrariam, non relinquere, sunt ἀσύστατα & ἀδύνατα. *Pag. 185*, ineptam effici conclusionem ex illis *Epistola XIV*, ait: *Scribis, acrius prohibenda bella civilia esse, quam in superatos iracundiam exercendam. Vehementer a te, Brute, dissentio.* Quodsi enim vehementer dissentit a *Bruto Tullius*, statuere omnino debuit, *acrius exercendam iracundiam* (debuerat *ultionem* dicere) *in superatos, quam prohibenda bella civilia, esse*: quod inhumanum. Eadem *Epistola* castigat illud: *magis mihi probatur militum severitas, quam tua.* Atqui *Brutus* severitate in victos utebatur nulla. Debuerat ergo dicere, *quam tua lenitas*, aut *clementia*. *Pag. 188* urget hoc ex *Epist. XVIII*, quod *Brutus Ciceronem* roget, velit liberos *Lepidi* protegere, addens: *hoc vel a Cicerone, conjunctissimo homine, privatim, vel a consulari tali viro, remota necessitudine privata,*

 im-

impetrare debeo. Prius argumentum est satis probabile & efficax, at alterum ineptum. Qualis enim nexus: *Cicero* vir consularis est, ergo *Lepidi*, proditoris & hostis publici, liberos tueri debet. *Pag. 190* profert hoc ex *Epist. XVII: acerbum, parentium scelera filiorum pœnis lui, sed hoc præclare legibus comparatum est*, &c. & argumentatur sic: quicquid *acerbum*, id est, durum & crudele, est, id nequit *præclare*, id est, sapienter & juste, a legibus institutum dici. Sed hoc quidem argumentum nostro judicio non valde stringit. *Pag. 190* urget hoc ex *Epist. XV*, quod *Brutus Attico* scribit, *scire, omnia fecisse Ciceronem optimo animo*, & eadem tamen queritur, illum in *Antonii* locum velle *Octavianum* tyrannum subrogare. *Pag. 196* exagitat locum *Epist. VIII: nec illa modo, quæ nimirum sola ab homine sunt postulanda.* &c. Sed miramur, acutum Virum vim vocis *sola* non perspexisse, quæ totum evertit ejus ratiocinium, quod brevitatis gratia nolumus adscribere. Non male nobis quidem videtur Autor dixisse, fidem, vigilantiam, (seu industriam,) & patriæ caritatem, ab omnibus omnino hominibus postulari sola, absque prudentia: (prudentiam itaque dotem esse, quæ non debeat ab hominibus postulari, qua hominibus privatis,) at in homine politico &c. etiam præter ista prudentiam requiri. Ea occasione ἀνακόλουθον & resolutum argumentum ridet *pag. 198* ejus, qui *Orationem pro domo* confinxit, in illis: - - *tota urbe careo* - - *urbis enim celeberrimæ ac maximæ partes adversum illud* - - *vulnus patriæ contuentur. Pag. 200* verba proponit *Epistolæ XIX: rempublicam, quam virtute atque animi magnitudine magis, quam eventis rerum, liberasti, exitu libera*, tanquam ἀδιανόητα. Neque exputamus,quomodo quis *virtute rempublicam* possit *liberare*, & *eventis rerum non liberare*, aut quid sit *animi magnitudine liberare. Pag. 203* infantiam accusat in illis *Epist. XX: A te,mi Brute,contendo,ut Ciceronem meum ne dimittas,tecumque adducas, quod ipsum - - tibi jam jamque faciendum est.* Debuerat enim: *Ciceronem meum ne dimittas, & una cum illo venias, quod ipsum* (tuum scilicet advenire) *tibi jam-faciendum est.* Nam reipublicæ intererat, non *Ciceronem* filium veni-

venire, ſed *Brutum*. *Pag.* 206 abſurda ipſi vapulat dictio *Epiſtolæ XXII: quanto diligentius homines metuant, quam meminerint.* Bene quidem *diligenter meminiſſe* dicitur, at, qui dicat *diligenter metuere*, ſanum hominem aliquem fore, non putamus. *Pag.* 209 locum ex eadem producit, quem negat intelligi poſſe: *Idem Cicero ſi flexerit* &c. & *pag.* 211 alium: *Ego medius fidius non exiſtimo* &c. Inficetum & ineptum uſum particulæ *enim* aliquot in exemplis *pag.* 213 exagitat.

In his finit *Marklandus* Epiſtolam ſuam, monens, niſi jam nimius fuiſſet, potuiſſe ipſum & debuiſſe unam ſumere atque alteram ſpuriarum earum Epiſtolarum, & loca deſignare veri *Ciceronis*, e quibus illi centones conſuti fuerint, adeoque ſuum aſſertum comprobare, dimidiam minimum partem dictionis & argumentorum e vero *Cicerone* fuiſſe compilatam. Deinde, potuiſſe, ait, atque debuiſſe ſe vindicias ſcribere quamvis impoſtori, & probitatem phraſium, immerito proſcriptarum, demonſtrare. Quod opus inutile non fuiſſet, &, ut exſpectandum fuerat a tam erudito homine, multa nos procul dubio docuiſſet.

Hanc Epiſtolam excipit ejusdem *Marklandi* Diſſertatio in quatuor Orationes, vulgo *Ciceroni*, ſed, ut ipſe putat, male tributas, ſcilicet *poſt reditum in Senatu; ad Quirites poſt reditum;* (ſic enim ipſe, tempora ſecutus, ordinat,) *pro Domo ſua ad Pontifices; de Haruſpicum reſponſis*.

Harum Orationum γνησιότητα nemo ante *Marklandum* in dubium vocavit. Et, quod majus eſt, tanquam genuinæ ab *Aſconio Pædiano*, *Valerio Maximo*, & *Arnobio*, citantur. *Ammianum Marcellinum* quoque, putant aliqui, ſed illi falſi, locum ex his aliquem expreſſiſſe. Verum id ipſum imponere Critico non debet, qui ut maxime verſatus in uſu linguæ Latinæ, præſertim *Ciceronis*, & omni in alterutram partem animi propenſione, & autoritatum reverentia, liber accedat ad hoc examen, neceſſe eſt. Potius ex peregrino & ridiculo, nervisque ſoluto, & ſtupido, dicendi genere, item ex inepta formularum quarundam & tædioſa repetitione, concludat, has Orationes ab homine non urbano, ſed provinciali, ſed eo tamen

 ad-

admodum antiquo, *Ciceroni* suppositas fuisse, qui *Tullianas pro P. Sextio, & in L. Pisonem*, transscripserit, & fuerit imitatus.

Sed speciatim de singulis agere, & primum quidem de Oratione *post reditum in Senatu*, orditur *pag. 243*, eamque *νοθείας* inde arguit, quod, cum genuina *Ciceronis* Oratio fuerit de scripto recitata, (quod faciebant, cum aliquid cum cura elaboratum pronuntiare quoque cum efficacia volebant,) hæc Oratio nihil eleganter atque diligenter scriptum & exasciatum monstret, absurda vero non pauca, ut illud frigidum scomma *Cap. II, hostes atque interfectores reipublicæ*, & illud *Cap. IV*, quo Senatoribus usu pedum interdicit, quando ex lege *Clodii* adversus *Ciceronem* citat, *ne quis Senator pedibus iret*, cum debuisset, *ne quis in sententiam pedibus iret*, quo prodit hominem provincialem, ritus & formulas fori Romani ignorantem; item *Cap. V*, quo Prætores & Ædiles numero Senatorum excludere videtur; item eo, quod eodem tempore *Pisonem* Consulem Romæ & Capuæ tradat *Cap. VII*. Obscurum queritur *pag. 248* illud *Cap. XI, equis insignibus*. Permutatum ait *divinitus* cum *divine* in illo *Cap. XII, in hominibus de me divinitus meritis*; cum *divine* debuisset. *Divinitus* enim est *θεόθεν*, sed *divine*, *θείως*, Latinum, negat, esse. *Omnis mihi ætas erit ad hoc agendum*, pro *erit mihi in hoc agendo consumenda*. Pugnare cum historia illud ejusdem *Capitis* ait *pag. 249*: *nostra memoria Senatores ne in suis quidem periculis mutare vestem solebant*, cum ipse *Cicero* mutaverit, & *Licinius Macer, Lentulus* & *Muræna*, & *P. Sulla*, ille autem casus, ad quem respicit hic locus, quinque, vel sex, annis contigerit post hanc Orationem dictam, nempe A. U. C. 701 in causa *Milonis*. Contradicit hic novus *Cicero* veteri *Cap. XIV*, quod, vilitatem annonæ secum rediisse, affirmat, cum verus *Cicero*, caritatem ingentem fuisse, dicat, illo ipso die, quo hæc Oratio dicta fingitur. *Pag. 254* taxat, quod eodem *Capite* imperatorem se *Cicero* appellet, sex ante annis, quam fieret; & quod Autor discrimen inter imperatorem, & cum imperio, esse ignorarit.

Pag. 260 perstringere instituit Orationem *ad Quirites post redi-*

reditum, quæ nihil aliud eſt, quam præcedentis *in Senatu* compendium. Perlecto hujus Orationis initio, quod admodum intricatum eſt, in ſuſpicionem impoſturæ harum Orationum ſe primum veniſſe, perhibet *Marklandus*. Ex *Cap. I incredibili lætitia voluptate*, tanquam dictionem ſequioris ætatis, proſcribit; &, quamvis facili opera poſſit *lætitia & voluptate* reſcribi, priorem tamen ſcriptionem ab impoſtore proveniſſe, affirmat. Ex eodem *Capite* arguit, quod novus *Cicero* ſe reſtitutum dicat in ſuas fortunas. Orationem autem eam pronunnuntiabat die ſexto Septembris, cum ex vetere & vero *Cicerone* conſtet, non niſi menſe poſt ſuas eum opes recuperaſſe, imo ipſe Autor ibi contradicat, ut apparet ex collatione *Cap. VIII.* Ex *Cap. IV*, ſenſu carere, notat, illud *Senatus, ut aliquando perficeretur — perfecit.* Ex *Cap. V* probat, differentiam verbi *efflagitare* & *flagitare* ignotam ei fuiſſe, cum illud loco hujus poſuerit: quod in Poeta utcunque ferri poteſt, in Oratore nequit; item tempora miſceri, quod eodem *Capite*, *Gabinium*, dicat, a *Cicerone* defenſum (ante A. 696), cum *Cicero* cauſam ejus non dixerit niſi tertio anno ab hujus Orationis æra, ſcilicet A. U. C. 699. *Pag.* 277 vitioſe dictum in eodem cenſet illud, *non in reddenda, ſed augenda, mercede*, ubi vox *merces* duplicem obtinet ſignificationem, & primo quidem loco pro ἀμοιβῇ, altero autem pro μισθῷ, poſita eſt. *Pag.* 280 arguit impiam impoſtoris adulationem, cujus capax verus *Cicero* non fuerit, ex *Cap. VIII: Numen veſtrum æque mihi grave & ſanctum, ac Deorum immortalium.* Tandem ex *Capite IX* hoc promit *pag. 282: ſuperiorem eſſe contra improbos*, ubi pravam dictionem, *contra improbos*, nemo non agnoſcit. Ultimo loco examinat, ſitne *Marcellini* locus aliquis, ut putant eruditi, ex hac Oratione depromtus: quod Noſter negat.

Pag. 284 Orationem *pro domo ſua ad Pontifices* ſub examen vocat, & ipſum ſtatim titulum emendandum cenſet; rectius certe inſcriptam fuiſſe *de domo ſua apud Pontifices.* Et genuinam *Ciceronis de domo ſua* Orationem ab hac multum diverſam eſſe. Stolidam magis & tædioſam hac Oratione ullam eſſe,

negat

negat *pag. 286,* nisi illam *de Haruspicum responsis* excipias. Verum *Ciceronem* dicere in sua illa Oratione, *rem a se accurate actam esse.* Nunc autem Autorem sua ex confessione priora *duodecim Capita,* plus quinta totius parte, in alienis, & ad propositum non pertinentibus, consumere. Totam denique ex Orationibus *pro P. Sextio,* & *in L. Pisonem,* descriptam & depromtam esse. Judicium desiderat in illis *Cap. XIV, contaminatis gentibus, & quam deseruisti, & quam polluisti.* Bis idem dicit; quid enim *polluere* aliud, quam *contaminare? Pag. 288* formulam *jubere ut,* aliquibus suspectam, aureæ ætati vindicat. *Pag. 291* ex *Cap. XVIII* tanquam ineptam Sophistæ λεπτολογίαν perstringit illud: *non tulit, ut interdicatur; quid ergo? ut interdictum sit. Pag. 293* illa *Cap. XIX* verba tanquam ἀδιανόητα exagitat: *cujus legis quam quisque partem tetigit digito, voce, præda, suffragio, quocunque venit, repudiatus convictusque concessit. Digito & voce tangere legem,* sic satis potest intelligi, quid sibi velit, nempe legem scribere, & suffragio suo approbare. Sed quid est *præda legem tangere?* Etiam *quocunque venit*, pro *quodcunque in tribunal venit,* obscurum valde & ineptum est. Error natus ex non intellecto, & male applicito, loco *Ciceronis pro P. Sextio Cap. 31: Quisquis erat, qui aliquam partem - - sceleris Clodiani attigisset, quocunque venerat, quod judicium cunque subierat. Pag. 295* ex *Cap. XX* id profert: *ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse tibi curationem ferres, facere potuisti.* Ex *Or. II Cap 8 de Leg. Agrar.*, unde sumsit impostor, apparet, *curationem tibi ferres* notare debere, ferres legem, aut rogationem, de mandanda tibi curatione. Sed illa hæc exprimendi ratio Latina non est. Quid verba designent ejusdem *Capitis, ut in Asia cistophorum flagitaret,* non expedit Anglus, sed ut δυσερμήνευτα relinquit. Absurdum clamat id *Cap. 25*, quo dicit, *Clodii potestatem jam distractam & exstinctam* terrorem *Pompejo* incussisse. Et certe quis hostem sanus metuat exstinctum & suppressum? *Pag. 298* locum illum e *Cap. XXXII* vexat: *Universus Senatus multo ante, quam est lata lex de me, gratias agendas censuit civitatibus illis, quæ M. Tullium, tantumne?*

tumne? imo etiam civem optime de republica meritum, recepiſſent. Quibus verbis id primum ineſt vitium, quod literas commendatitias Senatus Romani, quibus, ut *Ciceronis* curam haberent, civitates jubentur, confundunt cum ejusdem literis, quibus gratias ille civitatibus pro habita cura, & monſtrata *Ciceroni* benevolentia, perſolvit; deinde, quod detrahant juri & honoribus *Ciceronis*, cum in illis Senatus literis non tantum civis optime de republica meritus, (quod nomen ſexcentis aliis cum ipſo commune erat,) ſed civis conſervator reipublicæ, fuerit appellatus. *Pag. 301* impuram caſtigat dictionem *Capitis XXXV*, *pulcherrimi facti, quod — geſſiſſem.* *Pag. 302* ex *Cap. XLIII* perverſum uſum vocis *libertas* pro *licentia* in iſtis, *ſignum de buſto meretricis, — quod eſſet ſignum magis iſtorum, quam publicæ libertatis.* *Pag. 303* urget, probabile prorſus non eſſe, quod *Cicero* furem appellarit *Appium Claudium*, tum Prætorem, paulo poſt Cenſorem, virum probum & ἀξιωματικὸν, quemadmodum impoſtor eum eodem *Capite* appellare veritus non fuit. *Pag. 304* improbat illud *Cap. XLIV*, *hominem ſua virtute egentem.* *Pag. 305* illud ex proximo *Cap. XLV*, *quanta eſt*, pro *quanta quanta eſt.* *Pag. 306* ex illis *Cap. XLVI*, *poſtem teneri in dedicatione videor audiſſe templi*, efficit, Autorem, quisquis ille ſit, peregrinum fuiſſe, non Romanum hominem, quandoquidem referat ut rem ignotam ſibi pariter atque ſuis auditoribus, poſtem templi in dedicatione teneri, quæ res neminem Romæ fugiebat. Cui favet ſuſpicioni etiam ex *Cap. XXVIII montani*, quos tanquam partem urbanæ plebis memorat, Autorum, quotquot extant, ſolus. Cum ſcilicet noſſet fama, vel lectione, homo provincialis, Romam ſeptem montibus eſſe impoſitam; opinabatur, montium incolas non incommode poſſe *montanos* dici, eoque nomine ab incolis convallium & humiliorum tractuum diſtingui. Favent quoque *ſcribæ*, ad quorum benignam de ſe opinionem, tanquam hominum magnæ exiſtimationis, provocat, cum deſpecti fuerint & parum valentes in rebus Romanorum publicis, quod *pag. 309* Noſter exequitur; nec non, quod *Cap. XLV* ait, Tribunum plebis potuiſſe Pontifices,

ut ad templi dedicationem adessent, cogere, quod Romanis legibus adversatur. *Pag. 315* imperitiam Latinæ linguæ deprehendit in *Cap. LVIII*, ubi *tecta* & *domum* distinguit, quasi diversa essent; certe *tecta* pro *villis* accipere (quod ille forsan volebat) vetat linguæ ratio; item quod eodem *Capite definitam moderationem rei familiaris* pro *definito modo* dixerit; item *per religionis vim* pro *per speciem religionis;* item *Cap. L verbum consecrationis* pro *verbum de consecratione.*

Pag. 318 aggreditur Orationem *de Haruspicum responsis*, quam ex eo quoque capite suspectam facit νοθείας, quod neque apud *Ciceronem* ipsum, neque apud alium Scriptorem, vestigium ejus a *Cicerone* scriptæ, aut habitæ, exstet. Quod *Asconius Pædianus* in Comment. ad Orat. *pro C. Cornelio* eam citet, id ipsum imposturæ eam arguere, quia monstret, hunc *Ciceronem* vero contradicere. Hac occasione simul inquirit Anglus in ætatem *Asconii:* quam figit Seculo fere post *Ciceronem;* hanc autem Orationem confictam conjicit illo tempore, quod *Valerium Maximum* intercedit & *Asconium*, id est, intra A. U. C. 786 & 812. A *Quintiliano* etiam hoc opusculum citari. Sed id suæ sententiæ non officere, cum constet, aliunde deceptum aliquando fuisse *Quintilianum* in discernendis veterum genuinis scriptis a spuriis; quandoquidem inter *Sallustii* genuina opera citet invectivam in *Ciceronem*, de qua tamen eruditorum nemo dubitat, quin hypobolimæa sit. Hæc generatim de hac Oratione. Speciatim illud *Cap. I, duobus inceptis verbis*, exagitat, pro quo alius castigatus Autor *duobus primis verbis* dixerit. Item quod, *Clodium*, dicit, *se ex curia repente proripuisse*, quem *Cap. IV consedisse & conticuisse* dicit. *Pag. 333* ex temporum ordine arguit, quod, cum hæc Oratio dicta fingatur anno U. C. 697, in ea tamen commemoret *Cap. 3* de cæde *Clodii*, quæ anno demum 701 contigit. *Pag. 334* tanquam superfluum & ineptum proscribit *virili* e *Cap. V* in illis: *ea sacra, quæ viri oculis ne imprudentis quidem adspici fas est, non solum adspectu virili, sed flagitio stuproque, contaminarit.* Quorsum illud *virili* in *adspectu virili?* Lector certe, aut auditor, intellectis præcedentibus,

tibus, etiam non admonitus, novit, *Clodium* adſpectu neque muliebri, neque equino, ſacra contaminaſſe. *Pag. 336* reprobat ut minus Latinum illud *Cap. VI: ne una quidem litera attigit religionis*, pro *de religione*. Ex eodem *Capite* conficit, impoſtorem alienigenam fuiſſe, non certe Romanum, & conſtitutionum Romanarum imperitum, quod *L. Claudium*, hominem plebejum, faciat regem ſacrorum, quod munus tantum ad Patricios pertinebat. *Pag. 337 Valerii Maximi* locum examinat, qui transſcriptus ab illo ex hac *Ciceronis* Oratione putatur. Verum Anglus noſter e contrario, impoſtorem, credit, verba *Valerii* fuiſſe imitatum, ſed ſic, ut, quæ ille dixerat eleganter, hic ſolœce & inepte efferret; ut vel inde patet, quod, male intellecto *Valerii Maximi* loco de area *Sp. Melii*, hic homo, *Æquimelium* inde dictum, perhibet, quia ibi *æquum accidit Melio*, frigidum acumen. Dicas, Germanum te audire dicentem: *weil ihm da ſein Recht wiederfahren. Pag. 344* locum *Arnobii* examinat, quem is, ut palam eſt, ex hac Oratione, Autoris nomine ſuppreſſo, transſcripſit. Unde conficitur quidem, eam *Arnobio* eſſe antiquiorem, ſed non magis *Ciceronem* ejus Autorem eſſe, quam *Hortenſium*, aut *Curionem*. *Pag. 345* illud ex *Cap. XII* tanquam peregrinum & minus urbanum allegat, *id cum ipſum ſibi monſtrum eſt*, pro *id cum per ſe monſtrum eſt*. *Pag. 346* multa reprehendit in illis *Cap. XIII, ſi illi ſunt veſtri, quos tu impia mente conquiris, violatis oculis legis*. Primum enim quærit, cui bono facta ſit Sibyllinis libris controverſia, certe ad præſentem rem eam diſputationem nihil facere. Et, ſi fuerint antea veri libri Sibyllini, non minus veros quoque illos futuros fuiſſe, poſtquam *Clodius* eos inſpexit. Deinde, *conquirere*, pro *quærere*, aut *inſpicere*, vel *excutere*, peregrine poſitum, affirmat. Tandem *violatos oculos* male dictos pro illis, qui violarunt. *Pag. 348* locum ejusdem *Capitis* irridet, quo prædicere & reſpondere facit impoſtor haruſpices de ludis jam præteritis. *Pag 349* nove dictum caſtigat illud *Cap. XV*, *pulvinar ſtuprare*, cum nequeant niſi fœminæ & pueri ſtuprari dici, res, ut templa, ſubſellia, pulvinaria, ita haud dicantur. *Pag. 350* inſaniæ & ſtuporis conſpi-

cuum profert exemplum e *Cap. XVIII: An tibi luminis obesset cæcitas plus, quam libidinis?* *Apulejo* magis, aut *Trimalchioni*, aut *Orosio*, congrueret, quam *Ciceroni*, *luminis cæcitas*, pro luminis defectus, & *libidinis cæcitas*, pro cœcus libidinis furor. Perverse quoque *conniventes oculos* quod dixit habuisse *Appium Cæcum*, improprium & ridiculum est, cum, illum virum, constet, non conniventem oculis, sed prorsus cœcum, lumine cassum, fuisse. Etiam hoc affectatum, *quod Dii omen obruant*, pro *avertant*. Stultum est, quod eodem *Cap. XVIII* infirmitatem corporis ab ipso corpore distinguat. *Pag. 352* carpit illud *Cap. XXII, illos homines sapientissimos miror* &c. in cujus periodi priore membro concedit, honorem suum a *Clodio* violari: in posteriore negat, violari posse. O infantiæ! Qualis illa dictio *Cap. XXIII?* quam *pag. 353* Noster exagitat: *qui omnes angustias, omnes altitudines, omnium objecta tela, semper vi & virtute perfregit, obsessus est ipse domi;* quid ibi *altitudines* sibi volunt? quid est *altitudines*, quid *tela*, *perfringere?* Prava quoque latinitas est illa *Cap. XXIV, si reditus ei gratiæ patuerit*, pro *in gratiam*. Horribilem hyperbolen attingit *pag. 355*, qua *Clodii* canes *ipsa rostra mandentes* fingit, cum *Cicero Verrin. III, 11*, modestiore metaphora tantummodo *lambentes* introduxerit. *Pag. 356* vindicat ut bene Latinam dictionem, *nisi me fallit*, e *Cap. XXVIII*, quam *Hottomannus* suspectam habuerat, putans, dicendum fuisse, *nisi me fallit animus*. Ex eodem *Capite* tanquam valde suspectum & peregrinum, & tantum non absurdum, allegat *pag. 357*, *cum quibusdam multis*, pro *cum aliis multis*.

In his definit Anglus noster criticam suam in ipsa spurii, ut putat, *Ciceronis* loca exercere. In sequentibus a *pag. 358* usque ad finem, seu *pag. 392*, *Manutii*, *Grævii*, & aliorum, notas examinat in loca harum Orationum, e quibus expedire se haud potuerunt. Quia vero jam nimii fuimus, abrumpendum nobis orationis esse filum videmus, ceterasque doctissimi *Marklandi* observationes, quamvis egregias, Lectoribus, qui librum possident, permittendas. Tempus docebit, num aliquis Vir doctus ad solidissima hæc & acutissima argumenta, & ἀφύκτους νοθείας ἐλέγχους, responsurus sit, aut respondere valeat.

USU-

USURA CONTRACTUS TRINI, DISSERTATIONIbus historico-theologicis demonstrata adversus mollioris Ethices Casuistas & Nicolaum Brœdersen, Autore F. DANIELE CONCINA, Ordinis Prædicatorum. Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Autoris adversus usuram.

Romæ, ex typographia Palladis, apud Nicol. & Marcum Palearinos, 1746, 4.
Alph. 2 plag. 17.

Eminentissimo ac Reverendissimo Cardinali *Angelo Mariæ Quirino*, Archiepiscopo Brixiensi, Autor Opus suum consecravit, commotus illius sermone diserto, & loco *Basilii* per illum monstrato, qui in *Homilia in famem & siccitatem* sic habet: *Confringito tabulas injustas, quo sic peccatum solvatur: deleto gravissimarum usurarum pactum, ut terra pariat ac producat consueta. Cum enim æs & aurum, & ea, quæ sterilia sunt, præter naturam gignant, terra, quæ secundum naturam fœcunda est, sterilis redditur, & ad inhabitantium supplicium infructuositatis condemnatur.* Adversarios Autor expertus fuit, qui ipsius *Historiam de Probabilismo & Rigorismo* refellerunt, & tractationes suas Eminentiss. Principi Cardinali *Quirino* dicarunt. Viginti, & plures, adversarii ex Ordine Franciscano in *Concinam* insurrexere præter eorum subsidiarias copias. Expetit itaque *Concina* Eminentiss. Cardinalis præsidium, quo sanctissima justæ ac necessariæ defensionis jura sibi serventur sarta tecta. De usuris quæstionem, in Italia vexatissimam, ipse Summus Pontifex *Benedictus XIV* ad institutum ex Purpuratis suis & Theologis conventum detulit, eorumque auditis suffragiis, Epistolam edidit encyclicam, qua doctrinam Ecclesiæ Romanæ consuetam confirmavit. In hanc Epistolam Autor Commentarium adornavit, ipsique Papæ inscripsit. Edidit nunc *Volumen alterum*, quo contractuum usurariorum originem, progressum, & incrementum, persecutus est. Dominorum terræ potestatem summam perpendit, qui usuras permittunt. Ipse errores, recens invectos, refel-

refellere contendit. Extollit præconiis amplissimis *Bossueti Historiam variationum ecclesiarum Protestantium*, immemor justitiæ, quam veritati in dies magis magisque protrahendæ debemus; immemor vicissitudinis dogmatum, quæ passim adhibita fuit jam ante annum 1517. *Novemviralis* certe *Consultatio*, quæ Romanis typis A. 1538, ipso *Paulo III* Pontifice jubente, in lucem prodiit, continet gravissima reformationis ecclesiasticæ capita, quæ sane semper perstitissent inviolata, nisi variationi fuisset antea locus. Docet Pl. Rev. Autor, Epistolis *Schelhornii*, *Reimari*, *Leichii*, *Kieslingii*, & *Menckenii*, ad Eminent. *Quirinum* e Germania scriptis, vim veritatis apertissime demonstrari, ratus, eas ipsas, quæ in publicam lucem edantur, esse prorsus dignas. An humanitas, epistolis illis scribendis adhibita, sit veritatis dogmatum theologicorum documentum, arbitrentur alii. Non solemus in his *Actis* agere disputatores; damus potius pro viribus indicia sententiarum, quibus stabiliendis, vel destruendis, Autores operam impenderunt, luculenta, & honorem eruditioni scriptorum quorumcunque pro merito, vel humanitate, ita habemus, ut eos decet, qui non dogmata, eorumque defensiones, sed acta literaria compendiosa, & judicia humanissima, exhibent. Si quid præterea per transennam prodimus, id nolumus dictum & scriptum, quamprimum id Autoribus displicuerit. At hæc obiter. *Dissertatio prima* Autoris definitionem contractus & divisionem, statum controversiæ, & Patrum testimonia, inprimis *Basilii*, *Hieronymi*, & *Ambrosii*, ac documenta Ecclesiæ, Conciliis Pontificumque decretis comprehensa, adversus contractus trini usuram ad Seculum usque XVI, exhibet. Contractus trinus constat tribus contractibus, societatis, *assecurationis*, & venditionis lucri majoris incerti pro lucro minori certo. *Sixtus V* constitutione peculiari eum damnavit. Improbatam fuisse usuram Concilio Nicæno, decretisque *Innocentii III*, *Alexandri III*, & *Gregorii IX*, traditur, & P. *Gibalinus* refellitur. Adduntur prioribus decreta *Gregorii XIII*, *Sixti V*, *Innocentii XI*, & Synodorum ac Episcoporum pronuntiata inde ex Seculo XVI ad nostram usque ætatem.

Pag. 25.

Decre-

Decretalis Gregorii XIII vindicatur a narratione P. *Valentis*.
Sixti V. ſolennem conſtitutio, qua uſuræ contractus pro- Pag. 32.
ſcribitur, defenditur ab interpretationibus *Leſſii*, *Filliucii*, *Bo-*
nacinæ, Cardinalis *de Lugo*, *Gibalini*, & aliorum Probabiliſta- 41.
rum, a vivæ vocis oraculo deſumtis. Sunt, qui, conſtitu-
tionem illam haud ſuſpectam fuiſſe, monent, nominatim
Leſſius, *Bonacina*, *Theophilus Raynaldus*, *Gibalinus*, alii, qui
tamen *obſequium in Sedem Apoſtolicam* haud deſeruere. Con-
tra eos acriter diſputare contendit Noſter. P. *Joſephus Gi-* 62.
balinus, trinum contractum uſuræ non eſſe improbandum,
ſtatuens, tametſi fraudes ac uſuræ periculum contineat, im-
probatur. *Diſſertatio ſecunda* hiſtoriam caſuiſticam contra-
ctus trini *impliciti* ac *expliciti* exponit. *Diſſertatio tertia* 169.
verſatur in diſſolvendis argumentis, quæ in patrocinium trini
contractus proferri ſolent. Sunt ea a *Gibalino*, *Leſſio*, *Caſparo*
Joſepho Gagna, aliisque, in ſcenam producta. *Diſſertatio quar-* 197.
ta diluit argumenta, quæ a Theologorum & Canoniſtarum
autoritate, nec non ex rationis lumine, ad uſuras probandas de-
ſumi ſolent. Contractum hunc pugnare cum omnibus legi-
bus divinis & humanis, Autor tandem arbitratur. *Diſſerta-* 258.
tio quinta ſpectat ad R. P. *Pichlerum*, aliosque recentiores,
uſuram omnem jure divino & naturali vetitam eſſe, per-
miſſam tamen ex Principum privilegiis & conſuetudine, ex-
ſtimantes. *Pichlerum*, *Gletlium*, aliosque politicos doctores,
Noſter impugnat, vel refellit, ratus, eminentem Monarcha-
rum poteſtatem lege evangelica coerceri, nec hac eſſe ſuperio-
rem. P. *Pichlerus*, prænomine *Vitus*, fuit Academiæ Ingol- 261.
ſtadienſis Profeſſor, *Tanneri* & *Haunoldi*, qui ibidem docue-
runt, ſuffragiis munitus. Dicitur *Pichlerus* approbaſſe ea, 268.
quæ de uſura omnino permiſſa tradiderunt *Molinæus*, *Salma-*
ſius, & ante hos *Calvinus*. Doctrinam *Pichleri* ab Eccleſia
fuiſſe reprobatam, *Concina* docet, ratus, a *Pichlero* Deum
ignorantiæ & hominum imperio fuiſſe ſubjectum, leges
omnes naturales everſas, & religionem Romano-Catho-
cam ſibilis ac deriſioni hoſtium objectam. Negat, ad uſuras 271.
usque permittendas pertinere Principum in ſuos jura. Negat,
argu-

argumento, a præſcriptione petito, hic vim ineſſe. Negat, nervum ineſſe argumento, quod ex ſimilitudine furtivæ mercis emtæ in nundinis petitum fuit. *Pichlero* errores alii objiciuntur. Quærit *Concina*, an proſcribendi ſint P. *Pichleri* ac *Ghletlii* libri. Uſuras ſocietati eſſe pernicioſas, arbitratur,
Pag. 307. credens, patronos uſurarum ignorare prima evangelicæ legis
313. fundamenta. S. *Auguſtini* pronuntiatum affertur, quo neceſſitates, ab adverſariis confictæ, uſuris patrocinantes, prodi ac refelli dicuntur. *Auguſtinus* in *Pſ. CXXVIII* ita: *Audent etiam fœneratores dicere: Non habeo aliud, unde vivam. Hoc mihi & latro diceret, deprehenſus in fraude. Hoc effractor diceret, deprehenſus circa parietem alienum. Hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad proſtitutionem. Hoc & maleficus, intentans mala, & vendens malitiam ſuam. Quicquid tale prohibere conaremur, reſponderent omnes, quia non haberent, unde viverent, quia inde ſe paſcerent. Quaſi non hoc ipſum maxime in illis puniendum eſt, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam tranſigant; & inde ſe volunt paſcere, unde offendant eum, a quo omnes paſcuntur.* Si uſura eſt inhoneſta, neceſſitatis rationem ſolius habere omnino non licet. Fœnerari tamen, & uſuram percipere, non ſunt unum idemque.
317. Contendit Noſter, uſuram moderatam eſſe reipublicæ pernicioſam, &, ubi uſuris ſit locus, jacere agriculturam, omnesque artes liberales. Uſuræ damna, in rempublicam redundantia, affirmant, eſſe inevitabilia *Benedictus XIV* in Epiſtolis encyclicis adverſus uſuram, *Baſilius* in *Pſ. XIV*, ubi fœnus damnatur, *Ambroſius de Tobia Cap. VI*, fœneratores exoſus, Concilium
325. Lateranenſe, ſub *Alexandro III* coactum, *Innocentius IV de Uſur.* Aſſeſſores Synodi Melodunenſis in Gallia, edicta Imperatorum *Caroli V*, *Rudolphi II*, aliorumque, *Caroli IX*, R. G. edictum A. 1567 contra uſuram, *Ludovicus XIV* decreto ad S. *Germanum*, A. 1673 promulgato, Reges Neapolitani, *Ariſtoteles*, & Philoſophi. Addit Noſter, per uſuras exhauriri univerſitatis opes, & in paucorum loculos transferri, ceteris laboran-
329. tibus incaſſum. Appendicem geminam Autor Operi adjecit. Priorem in *duo* diſtribuit *Capita*. Uno *Commentarium* ſuum, Nea-

Neapoli antea publicatum, altero Scholasticos, & præcipue *Thomam Aquinatem*, it vindicatum. *Capite secundo* ex *Buceri* testimonio, in Anglia Seculo XVI obtinuisse doctrinam de usura fugienda, docet. In *Commentario* hæresin impegerat eis, qui, permissas esse usuras, contendunt. Nec calculum in præsens reducit, ratus, sententiam, de usura moderata permissa increbescentem, esse hæreticam, aut hæresi proximam. Ratione hac utitur potissimum. Illa opinio, quæ sacris literis, sanctis Patribus, Conciliis, Pontificum constitutionibus, & universo Theologorum consensui, adversatur, hæretica est. Pag. 331.
Usuram non esse permissam, nec hominibus permitti posse per jus fasque, tradiderunt Cardinalis *de Lugo*, *Ludovicus Molina*, *Franciscus Sylvius*, *Guilielmus Estius*, *Dominicus Soto*, *Bonus Merbesius*, Collegium Salmanticense, *Natalis ab Alexandro*, *Joannes Malderus*, Episcopus Antwerpiensis, *Joannes Viggers*, *Florentius de Cocq*, *Ludovicus Habert*, *Ivenin*, *Martinus Becanus*, *Gregorius de Valentia*, *Leonardus Lessius*, *Martinus Navarrus*, aliique bene multi. Christus dicitur *Luc. VI, 35*, his 343.
verbis: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, omnem vetuisse usuram. Concilium omnino Lateranense, A. 1512 habitum, sic *Sess. X* definivit: *Dominus noster, Luca Evangelista attestante, aperto nos pracepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus. Ea enim est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, qua non germinet, nullo labore, nullo sumtu, nullove periculo, lucrum fructusque conquiri studetur.* Sunt, qui putant, pecunias, usuris addictas, germinare usu & fructu, inter negotiandum, utrinque. Respondent quidam, a *Leone X* ibi opinionem Theologorum recenseri, non exponi verba Jesu, a *Luca* repetita. At, *Leonem X* exposuisse verba *Lucæ*, Autor conficit autoritate *Martini Navarri*, *Boni Merbesii*, ad omnes Patres & Theologos consentientes provocantis, & *Natalis Alexandri*, qui ad *Leonem X* provocavit, nec non idem sentientis *Joannis Pontas*, *Francisci Gennet*, *Francisci Sylvii*, *Azorii*, ac aliorum. Nec tamen negat, P. *Dominicum Sotum*, & paucos alios, loco *Lucæ* 348.
usuras haud prohibitas esse, declarasse. Jesus certe ibi Apostolos suos, recens electos, instituit, primosque instruxit discipu-

 los,

los. In *montibus pietatis* pro personarum indemnitate aliquid est, mutuum sumenti, solvendum, nec *Lucæ* verba creduntur numis obstare indemnitatis. Hoc vero per substitutionem pretii & fructus, inde redeuntis, ob personæ credentis indemnitatem, ad usuras trahi posse, negant Rev. *Concina*
Pag. 351. & complures. *Brœdersen* tradidit, Scholasticos adulterasse doctrinam, ad usuras spectantem. Negat id Noster, arbitratus, hæreses ex contemtione, Scholasticis impacta, esse natas, quas secutus sit *Brœdersenius*. Theologiam Scholasticam laudat, quæstiunculas Scholasticorum ridiculas reprehendit ita, ut addat illud *Cani: Scholasticorum disputationibus infensi semper haeretici fuere. Molinaeus* docuit, Scholasticos usuram omnem damnasse, *Tract. de Usur. n. 10. Concinæ Brœdersenium* appellat *Caroli Molinæi & Protestantium exscri-*
355. *ptorem*, addens, hunc transscripsisse ex *Du Pinio*, scriptore audaci, censum errorum, quibus Scholastici fuisse implicati judicantur. *Brœdersen, de Usuris licitis & illicitis* disputans, *Lib. XII P. I Cap. 1 pag. 1575* hæc Scholasticis tribuit errorum capita: 1) ipsos commentum excogitasse de sterilitate pecuniæ; 2) ipsos nomine *centesimæ* intellexisse *centum*; 3) ipsos usuræ definitionem mutasse; 4) ipsos docuisse, alienari in mutuo rei mutuatitiæ dominium, usumque liberum ac irrevocabilem a dominio non esse distinctum. Quid ad hæc Noster? Miratur, *Brœdersenii* sententias avide arripi, nec esse, qui contra eum, ejusque admiratores, calamum stringant. Scholasticos it vindicatum, ratus, pecuniam per se esse rem sterilem. *Aristoteles* damnat quidem usum pecuniæ, extra permutationis conditiones adhibitum, τόκον tamen a similitudine parientium arcessit, *Polit. I, 7. Philo* putavit, *Mosen* vetuisse, ne Israelida ex Israelida sumeret usuram, quippe qui, indignum esse, crediderit, *colligere fœnus a pecuniis, tanquam fœturam a pecoribus.* At *Moses* tamen permisit Ebræis usuram ex extraneis. *Justinianus Instit. III, 15*, pecuniam numeratam, quippe quæ ipso usu consumatur, annumeravit rebus, quæ nec naturali, nec civili, ratione usumfructum recipiant. *Franciscus Hotomannus I, 7*, pecuniam nudam esse rem sterilem,

lem, pronuntiavit. *Basilius Homil. in Famem & Siccitatem* edit. *Maurina* ita: *Dum æs & aurum, & ea, quæ sterilia sunt, gignunt præter naturam, terra tamen, quæ naturaliter parit & fœcunda est, sterilis redditur, & ad incolas puniendos damnatur infœcunditatis.* Exceptionem eorum, qui, a *Basilio* improbari fœnora, monent, diluere conatus est Autor in libro, *Esposizione del dogma, Lib. II. Basilii* plura in hanc rem loca affert idem, præcipue ex *Homilia adversus Fœneratores. Gregorius Nyssenus Orat. contra fœneratores* dilucide: *Tu æris & auri, rerum parere non solitarum, ne quære fœtum.* Sentenția eadem confirmatur ab eodem *Homil. IV in Ecclesiast. Basilius* in *Ps. XIV: An non exactio usuræ est, quæ domos evertit, divitias dissipat, efficitque, ut, qui honesto & nobili loco nati sunt, deteriorem vitam vivant. - - Narras mihi fœnore ditatos, sed non narras fœnore strangulatos. Gregorius* ille in Oratione laudata: *Addo, mutuum dandum esse sine fœnore & exactione usuraria - -. Æque enim obnoxius est pœnæ, qui non dat mutuum, & qui dat sub conditione usuræ.* Autor operis imperfecti *in Matthæum Homil. 38: Adbuc dicit aliquis: Qui agrum locat, ut agrarium recipiat, aut domum, ut pensionem recipiat, num est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram? Absit.* Thomas Aquinas II, 2, Qu. 78, A. 1: *Est illicitum, pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur usura.* Idem in *Catena* ad *Luc. VI, 35*, eadem docuit & confirmavit sententiis *Basilii, Chrysostomi, Athanasii, Cyrilli, Ambrosii, Gregorii Nysseni*, damnans eorum *sollicitudinem, qui quærunt ab inope divitiarum augmenta, æris & auri, metallorum sterilium, exigentes fructum.* Catechismus Romanus *ad VII præc. Decalogi Qu. 18* usuram præter sortem ex pecunia mutuata damnat, desumta ratione prohibitionis ex *Luc. VI, 35.* Mutatam fuisse doctrinam de usura Seculo XIII, pernegat Noster, quærens: Quinam fuerunt mutationis autores? An nemo, & quis contradixit? *Thomas* in *3 Sent. Dist. 37 Art. 6: Ab omnibus dicitur communiter, quod dare ad usuram peccatum mortale est.* Usuram esse lucrum ex mutuo, contendit Noster *Diss. I*, & in operis *Esposizione*

Pag. 359. 364. 379.

del Dogma Lib. I, II, ac multis Autorum pronuntiatis firmat. Rev. *Brœdersen* negat. *Melanchthon, Molinæus, Grotius, Noodt, Barbeyracius, Bœhmerus, Jo. Franc. Buddeus,* ingenue falsi fuerunt, plurimos Patrum Ecclesiæ, & ipsum *Lactantium,*
Pag. 385. usuras prorsus damnasse. Applaudimus pronuntiato, monentes, Cel. *Scipionem Maffæum* a *Concina* sæpius pungi, non nominari. Id minime dissimulamus, Rev. *Concinam* pugnare non andabatarum, sed veteranorum, more, ac difficulter adversarios ei responsuros.

Die Catechetische Theologie, &c.

id est,

JOANNIS FRANCISCI BUDDEI, B. M. THEOLOgia Catechetica, ex Manuscripto edita a M. JO. FRID. FRISCHIO, S. S. Theol. Baccal. & Diac. Tauchensium in agro Lipsiensi. Præmissa est Cel. JO. GEORG. WALCHII, S. Theol. Doct. Introductio in Historiam Catecheticam.

Tomi II.

Prostat Jenæ, apud Christianum Henr. Cunonem, 1752, 4. Tom. I Alph. 7, Tom. II Alph. 4 plag. 2.

Opus hic nobis in manus traditur posthumum Celeberrimi, post fata etiam, Theologi Salani, in quo poliendo Editor doctissimus non mediocrem, sed tanto labore dignam, exhibuit diligentiam. Lineas tantum primas B. *Buddeus* in Catechetica sua Theologia duxerat, & ductas superstites esse jusserat, ubi, quæ addenda erant, orali doctrina, in prælectionibus suis, dum viveret, theologicis, tradiderat. Operæ pretium se facturum esse, Editor noster arbitratus est, si secundum rationes beati Viri institutum hoc prosequeretur, atque Theologiam omnem, seu universam, ut dicunt, secundum Catechismi *Lutheri* doctrinas atque rationes, elaboraret, eum in finem, ut docti æque ac indocti homines, catecheticis formis assueti, facillime haberent, ex quo discerent, atque discen-

discenda quærerent ac invenirent. Prius, quam de ipso hoc opere Lectores erudiamus, ordo rerum postulat, ut de *Walchiana* introductione, lectu utique dignissima, paucis commemoremus. Duo sunt præcipua rerum momenta, quæ hic explicantur. Alterum spectat ad recensenda fata catechisationis; alterum vero ad enarrandos libros catecheticos, diversis temporum intervallis perscriptos. Vestigia hic strictim leguntur catechetica, in ecclesiis vetustioribus, patriarchali scilicet, Judaica, Pag. 4.
atque Apostolica, obvia, ubi deinde observatur, post tempora Apostolorum duplicis generis catechetica fuisse exercitia, privata nempe, seu domestica, atque publica. Priora illa a pa- 10.
rentibus & dominis cum liberis atque servis instituebantur; posteriora vero, inter ceteros Christianos, in scholis publicis atque templis peragebantur. Hinc notissima celebratur schola catechetica Alexandrina in Ægypto. Hinc relatum legi- 13.
tur, in templis modo Episcopos, seu Presbyteros, modo Diaconos, catechetica exercuisse ingenia. Hinc duplex confici- 14.
tur Catechetarum ordo, quorum alter primario hoc studium colebat, alter autem, præter alia officia ecclesiastica, etiam hoc exercitium catecheticum sibi sumebat obeundum. Per illa 17.
tempora multi libelli catechetici a magistris ecclesiæ conficiebantur, quorum plurimi perierunt, reliqui vero, ex ecclesia Græca atque Latina, paucissimi quidem, adhuc supersunt. 21.
His annumerantur eodem jure illi, qui materias catecheticas, nullo quidem respectu ad Catechumenos habito, exegetice tractarunt. E contrario Celeb. *Walchius* mon- 24.
strat etiam, multos libros ab aliis inter catecheticos referri, de quibus tale quid nullo modo probari possit. Hæc est *Sectio prior*, cui succedens *secunda* historiam catecheticam 26.
medii ævi tractat. Fata tunc doctrinæ catecheticæ erant tristiora, quam in superioribus Seculis, ubi fervor, parvulos erudiendi, & rudiores docendi, admodum tepescebat. Sunt tamen vestigia reliqua, ex quibus patet, catechisationes 31.
non plane oblivioni fuisse traditas, quod vel ex quibusdam Conciliis ecclesiasticis, vel ex studiis testium veritatis, ut vulgo dicuntur, patet. Nec desunt libelli, ad no-

 stra

ſtra uſque tempora ſervati, ex quibus declarari poteſt, ſtudia
catechetica non plane fuiſſe abolita, quantum quidem de
eccleſia occidentali dici poteſt. De orientali vero plurima in
obſcuro latent loca, ita ut nihil fere certi hac de re ex illis
Pag. 44. inde temporibus recenſeri poſſit. Ad noſtra tempora propi-
us accedit *Sectio tertia*, ubi in *primo Capite* de hiſtoria ca-
49. techetica Lutheranorum diligentiſſime agitur. De duplici
edito Catechiſmo *Lutheri* ſobrie ita ſentit Noſter, quod proba-
bilius multo ſit, majorem Catechiſmum minorem anteceſſiſſe,
licet res omnis plane ad liquidum perduci, atque omnino con-
51. fici, nequeat. Secundum hæc rerum momenta Venerabilis
72. Autor primo de Catechiſmo *Lutheri* maiori brevibus, deinde
vero de eiusdem Catechiſmo minori pluribus, hiſtorice egit,
ubi etiam illi ſcriptores diligenter recenſentur, qui in *Lutheri*
libellum catecheticum fuerunt commentati, ſive hoc dog-
matico, ſive polemico, modo factum fuerit. Poſt illa non de-
fuerunt alii, qui libellos de formanda catechetica doctrina in
Lutherana eccleſia conſcriberent, quorum plurimi hic nomi-
94. natim proferuntur. Nihilo tamen minus Noſter de multis, qui-
100. bus catechiſatio laborat, vitiis conqueritur. *Caput ſecundum* tra-
ctat hiſtoriam catecheticam Papiſtarum, ex qua apparet, Pon-
tificiam Eccleſiam utplurimum, circa tempora Reformationis
Evangelicæ, catecheticis libellis manus admoviſſe, & hinc acci-
diſſe, ut multi inter eos apparuerint Catechiſmi, modo privata,
117. modo publica, autoritate confecti. Sequitur nunc in *Capite
tertio* catechetica hiſtoria Reformati cœtus, ex qua ap-
paret, falſum eſſe, quod *Hottingerus* aſſerat, religionis ſuæ
ſocios, multis temporum intervallis, ante *Lutherum* ſcriptis
catecheticis operam dediſſe. Quod aſſertum omnino cum
veritate pugnat, licet, poſt tempora Catechiſmi *Lutheri*, ſui
Reformatis fuere Catechiſmi proprii, & catechetici libri, hic
131. enarrati. Eminet inter illos Catecheſis Palatina, ſeu Heidel-
bergenſis, juſſu *Friderici III* edita atque confecta. De qua,
ut & de controverſiis, ſupra quæſtione notiſſima, ſcilicet
137. octogeſima, ortis, varia hic utiliter proferuntur. In *quarto
Capite* hiſtoria catechetica Arminianorum, atque Sociniano-
rum,

rum, tractatur, cui denique in *Capite quinto* additur historia catechetica Fanaticorum, Græcorum, atque Judæorum. Omnia ita a Summe Venerabili Autore sunt exposita, ut Lectoribus & oblectamento, & utilitati, Operi vero ipsi *Buddeano* insigni ornamento, nunquam non futura sit hæc introductio catechetica.

Nunc, age, perscrutemur etiam interiora Theologiæ catecheticæ, ab Editore doctissimo curate elaboratæ. Generatim notamus, per Capita, & segmenta, omnia sanctioris doctrinæ momenta diligenter esse separata, ex Scriptura sacra confirmata, & optimis definitionibus, divisionibus, explicationibus, atque illustrationibus, pertractata. Marginales, per omne opus adjecti, indices, uno intuitu faciem singulorum argumentorum ostendunt, atque formam tabellarum, in usum lectoris, facili negotio induere possunt. Secundum doctrinæ capita Catechismi B. *Lutheri*, ordo argumentorum profertur, atque hac ex ratione nominatur Theologia catechetica.
Hæc vero est solida cognitio de Deo, rebusque divinis, ex Pag. 25.
Scriptura sacra deprompta, & secundum catecheticas quasdam
præceptiones tradita, quo Christiana doctrina amplificetur, &
in salutem quamplurimorum promoveatur. Hæc sunt, quæ
in *Sectione prima Introductionis* universæ in Theologiam ca-
techeticam solide traduntur. *Sectio secunda* per *tria Capita* 35.
agit de vera ratione & forma Cathechismi *Lutheri*, ejusque
necessitate atque utilitate, ubi objectionibus adversariorum ex
solidissimis argumentis respondetur; tum de modo, Catechis- 55.
mum *Lutheri* tractandi, seu de solida institutionis catecheticæ
ratione; denique de indice librorum, ad catechisationis, & 133.
Catechismi, normam adhibendorum. Succedit *tertia Sectio introductionis*, amplissima ea & doctissima, præceptiones de Scriptura sacra, vero catecheticæ Theologiæ cognoscendi principio, in se continens. Uberior hic doctrina de tabulis sanctioribus elaborata invenitur, quam quæ a nobis plene recenseri queat. Sufficiat, Lectoribus indicare *sex Capitum* titulos, quæ *Sectione* hac concluduntur. Primo de necessitate divinæ immediatæ 144.
revelationis agitur; tum de divinitate Scripturæ sacræ; porro 178.
de fidei dignitate Scripturæ, seu de eo, quod revelatio nostra 222, 257.

omnem

omnem fidem, omnem assensum, mereatur; deinde de perfecta ratione atque integritate; tandem de contentis atque de usu & salutari lectione Codicis sacri, differitur. Ex nostra sententia, secundum principia veritatis, omnia limato & perpolito judicio sunt tradita. Accedimus nunc ad *primum* Catecheseos Lutheranæ *Caput*, quod morum doctrinam ex argumento decem præceptorum, ut vulgo dicuntur, exponit. Specialis huic tractationi proposita est introductio, per *quinque* diversas *Sectiones* divisa, ita inscriptas: de fundamento atque vera denominandi ratione legis; de solenni legis promulgatione; de diverso usu legis; de vero fundamento interpretationis legis divinæ; denique de curata divisione legis divinæ. In *ultima* hac *Sectione* contra Reformatæ Ecclesiæ socios solidissimis rationibus evincitur, Lutheranorum, ut dicuntur, divisionem decalogi esse accuratam, & Codicis Hebræi textui quammaxime convenientem. Pari ratione, præter alia, Autoris nostri sententia de duplici legis promulgatione, in libris *Mosaicis* contenta, omni est assensu digna. De ipsa doctrinæ moralis secundum legis divinæ præceptiones, in opere nostro *Buddeano*, tractatione, generalem tantum cum Lectoribus communicare juvat tabulam, cum limitibus nimis arctis hic teneamur constricti. Sciant itaque Lectores, singula præcepta *duo Capita* primaria continere, quorum primum de literali agit explicatione, tum textus Biblici, tum etiam expositionis B. *Lutheri*, in Catechismo propositæ. *Alterum* vero *Caput* realem tradit rerum explicationem uberiorem, in singulis præceptis contentam. Sic, verbi gratia, in primo præcepto occurrit doctrina de officiis, Deum recte cognoscendi, Deo obediendi, Deum amandi, Deum venerandi & colendi, in Deo spem omnem atque fiduciam collocandi, & Deo se submittendi, atque de iis postremo agitur, quæ his virtutibus contraria occurrunt. Singularum præceptionum primo occurrit definitio, deinde divisio, & partes denique singulorum officiorum traduntur, ubi characteres, media, momenta, gradus, & argumenta moventia, virtutum enarrantur. His omnibus

addit

additur in singulis præceptis *Caput tertium*, practicas quasdam observationes tradens, & brevibus ostendens, quomodo lex Pag. 561.
cum Evangelii doctrina cohæreat, ubi Servator tum obedientiam passivam, tum activam, legi præstitit. Hæc forma est omnium præceptorum divinorum, hic explicatorum. Ad cal- 1037.
cem *Tomi primi* quadruplex additur commentatio accessoria, quando de peccato, de pœna peccati, de bonis operibus, denique de præmiis bonorum operum, agitur.

Superest *Tomus secundus* brevibus delineandus. Proponuntur hic dogmata fidei secundum Catechismi *Lutheri* formam. Prius temen, quam Symboli Apostolici expositio instituitur, introductio apparet, *tribus Sectionibus* distincta, ubi tum de Symbolo Apostolico in genere; tum de Deo; denique de san- 1.
cta Trinitate, disseritur. Triplex commentatio hæc ita est com- 18.
parata, ut attentionem mereatur, ideo inprimis, quod doctri- 42.
na mysteriosa S. S. Trinitatis, sine ambagibus atque ampullis, solide sit pertractata, quæque in ista mysterii sunt plenissima, diligentissime declarata. *Articulus primus* fidei *duo* palmaria exhibet *Capita*, quorum *alterum* tum circa verba textus 53.
Apostolici, tum circa interpretationem *Lutheri*, est occupa- 59.
tum. Hæc methodus per omnes tres Articulos, non sine salutari fructu, est adhibita, ubi inprimis singula verba Symboli Apostolici expenduntur, & tum historice, tum realiter & dogmatice, edisseruntur. *Caput secundum* reales doctrinas 65.
in *quinque* diversis *Sectionibus* tradit, ita inscriptis: de fide; 81.
de creatione; de angelis; de imagine Dei; de divina provi- 85.
dentia, conservatione, & gubernatione. Multa hic occurrunt 115.
nove explicata, & nervose demonstrata, inprimis hæc: quæ 129.
vera sit ratio & forma fidei; quæ actiones singulares singulis divinitatis personis, in opere creationis, secundum Scripturæ sacræ testimonia, competant; quæ vera sit notio formanda de imagine Dei, secundum quam primi parentes fuerunt conditi, quæque veræ sint partes actionum divinarum, ad gubernationem atque conservationem pertinentium. Nisi toti fallimur, res omnino distincte est explicata. *Se-* 151.
cundus Articulus, post expositionem textus Apostolici, & inter- 199.

Pag. 208. pretationis B. *Lutheri*, in *priori Capite* prolatam, in *posteriori*, per *quatuor Sectiones*, fidei doctrinas sistit, ubi de incar-
220. natione filii Dei; de triplici officio Christi in genere; de re-
239. demtione, per Christum facta, in specie; & denique de statu
255. exinanitionis & exaltationis, in genere spectato, doctissime agitur. Præter accuratam sacerdotii Christi, ex *Melchisedeckiano* ordine obeundi, & mysteriosæ incarnationis, explicationem, non pauca, eaque gravioris momenti, occurrunt doctrinæ theologicæ specimina, Lectoribus haud displicitura, ob Biblicas & solidiores rerum dilucidationes. *Articulus tertius*, post *Caput primum*, in *secundo novem* exhibet doctrinarum genera, per tot *Sectiones* divisa. Expenditur hic scilicet doctrina de Spiritu sancto; de universali Dei gratia; de gratiosis Spiritus sancti operationibus in genere, & in specie;
234-412. de pœnitentia, seu conversione; de Evangelio Dei; de Ecclesia; de resurrectione mortuorum; de vita æterna; denique de æterna damnatione. Inter hæc rerum argumenta expositio gratiæ plenarum operationum Spiritus sancti, vocationis scilicet, illuminationis, regenerationis, justificationis, unionis cum Deo, renovationis, atque sanctificationis, nobilissima nobis est visa, una cum commentatione, de Spiritu sancto
418. perscripta. Accedimus nunc ad *Caput tertium* Catechismi, quod de oratione, ut dicitur, dominica agit. Præliminares hic duæ occurrunt commentationes, quarum altera est dogmatica, de precatione in genere; altera majori ex parte est exegetica, doctrinæ de oratione Domini in specie momenta
438-534. tradens. Reliqua expositio hujus *Capitis novem* particulis absolvitur, quarum singulæ *binas* minores *sectiunculas* in se comprehendunt, ubi textus Biblicus, & textus *Lutheri*, expli-
537. cantur. *Quarta Pars* Catechismi, de Baptismo Christianorum
547. doctrinas Biblicas proferens, duas præmissas habet Dissertatio-
555. nes, de Sacramento scilicet in genere, & de Baptismi genera-
572. li notione. Ipsa doctrinæ momenta quatuor absolvuntur parti-
580. bus, ubi de ipsa forma sanctioris fluvii; de fructu ejus at-
586. que utilitate; de effectu Baptismi; & de officiis sa-
596. cro flumine initiatorum, agitur. In Appendice occurrit doctrina

ctrina de Sacramento circumcisionis in Veteri Testamento. *Pars quinta & ultima*, de Sacramento sacræ Cœnæ, tres præliminares habet commentationes, de confessione peccatorum publica, de potestate clavium, & de sacræ Cœnæ institutione, conscriptas. Reliqua tribus constant partibus, ubi de vera forma sacræ Cœnæ; tum de salutari ejus fructu atque effectu; denique de officiis Christianorum, sacra Cœna cum fructu utentium, differitur. Appendix brevibus explicat doctrinam de agno paschali in Vet. Testamento. Denique Catechismo *Lutheri* adjectæ formulæ precatoriæ matutinæ, vespertinæ, & commensales, cum tabulis doctrinalibus, vulgo *die Haustafel* dictis, dogmatice & practice explicantur. De integro Opere non nisi bona omina ex doctrina singulari B. *Buddei*, & insigni diligentia Reverendi Editoris, suscipimus, minime dubitantes, quin ager theologicus, hic semine fructifero consitus, suos, suo tempore, suisque cultoribus, redditurus sit fructus.

Pag. 605. 621. 633. 643. 668.

Johann George Walchs Einleitung in die polemische Gottesgelahrheit.

hoc est,

JOANNIS GEORGII WALCHII INTRODUCTIO IN Theologiam Polemicam.

Jenæ, sumtibus B. Jo. Rud. Crœckeri viduæ, 1751, 8.
Alph. 3 plag. 7.

W*alchii* nomen, si ceterorum præstantissimorum etiam operum ejus nullam habeamus rationem, in Historia certe sacra, & polemica, quæ dicitur, Theologia, tantum jam & tam clarum est, ut, in laudem hujus Introductionis plura verba facere, non opus esse videatur. Nostra igitur opera tantummodo versabitur circa scopi, methodi, ordinis, rerumque & materiarum, quas hæc in Theologiam polemicam introductio in se continet, enarrationem. Est ea prælectionibus Academicis, in hanc Theologiæ partem instituendis, destinata. Verum & aliorum, in hac doctrina non plane hospitum, studiis poterit inservire. Medium enim quasi tenet inter nimis copiosam, & ob brevitatem valde obscuram, di-

ctionem. Spectat vero maxime opera S. Rev. Autoris ad dogmata, extra cœtum, qui sacris *Lutheri* ministerio instauratis utitur, controversa. Probe hic perpendens Cel. Autor, nexum, quo inter se dogmata adversariorum conjuncta sunt, facillime divelli, si ordinem articulorum fidei sequeretur, suam de controversis capitibus doctrinam secundum ordinem sectarum proposuit. Hic vero, qui Autori Cel. placuit, ordo in eo fundatus est, quod, qui veritati adversantur, quasi per gradus a se invicem distincti sint, aliique gravius, alii levius, errent. Primum locum tenent Athei, qui, Deum, negant, existere, omniumque sacrorum hostes sunt. Hos sequuntur Naturalistæ, qui, naturam cognoscendi vivendique sufficientem esse normam, æternamque felicitatem sine revelatione & gratia se consequi posse, somniant. Hos excipit Judæorum & Socinianorum turba, Naturalistis in eo multum similis, quod, solis naturæ viribus sine Christo atque fide in Christum æternum felices se fieri posse, confidant. His proxime accedunt Fanatici & Indifferentistæ, præcipue Scripturam sacram, fundamentum atque ordinem salutis, nefando odio prosequentes, opinionesque vel maxime absurdas, & inter se pugnantes, suo patrocinio foventes, & quod inprimis Indifferentistarum est, inter diversa sacra nullum discrimen agnoscentes. Horum latus claudunt Papistæ, Reformati, Arminiani, a *Socini* partibus non stantes, & Græci, qui in certis fidei capitibus errant, & fundamentum fidei vel multum, vel leviter saltem, labefactare infeliciter laborant. Hoc ordine, & hac methodo, Autoris Cel. meditatio directa est, hocque nexu solidiores sese excipiunt tractationes. Usus insuper est, præter hanc universalem methodum, particulari etiam, qua ordine, ut dicitur, systematico dogmata proposuit, errores fundamentales ab inde derivatis sedulo distinxit, eorundemque inter se nexum ostendit, quo accuratior dogmatum adversariorum sit cognitio, faciliorque confutatio. Ipsa controversa capita ita tractavit, ut, præmissis quibusdam observationibus historicis de sectæ ortu, atque imagine ejus primis quasi tantummodo lineis adumbrata, itemque de libris symbolicis, atque fontibus, e q ibus plenior errorum cognitio haurienda sit, dogmata controversa sub examen vocaverit, adversariorum opiniones accurate sinceraque fide proposuerit, iisque, si falsæ sint, rejectis, nostræ Ecclesiæ doctrinas, veritatis luce collu-

collustratas, confirmaverit. Acie ita contra adversarios instructa, argumenta, quibus illi utuntur, potiora indicantur & refelluntur, simulque argumentis generalibus, a certa alicujus ecclesiæ conditione desumtis, & cum specialioribus conjunctis, contra illos pugnatur. Huc quoque spectat ratio concludendi, ab eo, quod religionis interest, vulgo *Interesse religionum* dicto, depromta. Tractationi vero ipsi præmissa est duplex Commentatio: altera de vera Theologiæ polemicæ indole, in qua nexus ejus cum aliis disciplinis theologicis declaratur, nominis ratio exponitur, resque ipsa ita explicatur, ut intelligas, Theologiam polemicam esse Pag. 4.
doctrinam, quæ ostendit, quomodo veritates theologicæ non solum ab adversariorum insultibus defendi, verum etiam errores illorum ductu rectæ rationis & Scripturæ sacræ refelli, possint, idque eum in finem, ut vera doctrina pura & intaminata conservetur, eaque ratione gloria Dei, veraque hominum felicitas, promoveatur. Inde hujus doctrinæ necessitas colligitur, & de prudentia, partim in docenda discendaque Theologia polemica, adhibendisque methodo atque mediis, partim in controversiis rite agitandis, differitur. Altera Commentatio, quæ in *primo* legitur 43.
Libro, præcipuum scopum Cel. Autoris in se continet; videlicet demonstrationum necessitatis atque veritatis religionis in genere *Cap. I*, speciatimque religionis Christianæ *Cap. II*, inprimis vero religionis Evangelico-Lutheranæ *Cap. III*. *Libri II Cap. I* differit 87.
de controversiis cum Atheis, quorum imago pariter atque insana audacia nostro adspectui exponitur, Deumque esse, brevibus quidem, sed invictis, rationibus confirmatur. His adversantur erronea Atheorum dogmata, eaque vel universalia, qualia sunt: ex nihilo nihil fieri, materiamque necessariam, adeoque æternam, esse; vel particularia, nempe *Aristotelis*, Stoicorum, *Epicuri*, *Spinozæ*. *Cap. II* de controversiis cum Naturalistis agit. Hi vocantur et- 101.
iam Deistæ, Rationalistæ, libereque sentientes, dum, omnia, quæ ad æternam felicitatem consequendam scitu necessaria sint, ratione humana cognosci posse, affirmant, atque propterea revelationem divinitus factam, & in Scriptura sacra traditam, rejiciunt. Hoc erroribus superstructum ædificium quatuor veritatibus, quæ firmo nituntur fundamento, funditus tolli potest. Prima est: naturalem religionem non posse homines æternum reddere

felices, cum viam redeundi cum Deo in gratiam plane non monstret. Altera est: revelationem divinam fuisse necessariam; tertia, revelationem, in libris Veteris Novique Fœderis consignatam, solam esse divinam veramque revelationem; quarta, religionem
Pag. 109. Christianam esse veram. Ipsi etiam Naturalistarum errores, hic notati & rejecti, certo certius arguunt, quam invia incedant via Naturalismi sectatores. Præcipuus eorum error in eo consistit, quod vires animæ naturales magis, quam par est, extollant. Ad intellectum quod attinet, ejus limites non recte constituunt, dum humanam, uti est, rationem pro unico, quæ ad salutarem scientiam necessaria sint, cognoscendi, & de controversis doctrinis judicandi, habent fundamento. Eundem etiam respectu voluntatis errant errorem. Ejus enim negant perversitatem, naturalemque corruptionem; negant peccatum connatum, seu originale; plenariam contra voluntati tribuunt libertatem, sive bonum, sive malum, eligendi, suis ipsius viribus virtuti convenienter vivendi, de peccatis serio dolendi, Deum sibi conciliandi, suisque operibus æternam salutem promerendi. Inde fit, ut Scripturam sacram contemtui habeant, & maxime mysteriis, miraculis, atque vaticiniis, hostili animo bellum inferant. Quam injuste vero agant, & quantopere rationi ipsi, cujus tenaciores alias sunt patroni, adversentur, brevibus quidem, sed soliditate sua conspicuis, Cel. Autor docet argumentis.

127. *Cap. III* controversias cum Judæis exponit. Et hi quidem eam ob causam statim excipiunt Naturalistas, quoniam recentior, eaque corrupta, religio Judaica fere nil aliud est, quam naturalis religio, & errores, quibus mirum in modum deformata est, non levius, quam illorum errores, damnum inferunt, veraque consequendæ gratiæ media æque ac illi rejiciunt. Hujus assertii ut fidem faciat, Judaicam religionem sua partim generali forma describit, atque de Judæorum erroribus universalia quædam præmonet, partim etiam præcipuos refert, & in examen vocatos confutat. Errant vero maxime Judæi in doctrina de naturali hominis corruptione, qui fundamentalis error est; porro in doctrina de Messia, ejusque inprimis persona, duplici statu, officioque triplici, quo loco vana Judæorum exspectatio Messiæ ostenditur, verumque Messiam dudum venisse, demonstratur. Porro defenditur

Chri-

Christus contra iniquas Judæorum criminationes & scandala, quæ ratione originis, patriæ, stirpis, parentum, paupertatis, doctrinæ, miraculorum, vitæ generis, cruciatuum, & mortis, invenire se putant Judæi, reliquique eorum errores in doctrina de fide, conversione & pœnitentia, justificatione, sanctificatione, sacramentis, & mysterio trinitatis, fide historica enarrantur & refelluntur, saniorque contra doctrina vindicatur.

Cap. IV S. Ven. Autor in arenam descendit contra *Socinianos*, Pag. 174.
quos inter & Naturalistas discrimen intercedit non ita magnum. Docet id partim generalis doctrinæ Socinianorum, nexusque, quem inter se habent illorum errores, delineata facies, atque universalibus argumentis instituta demonstratio, quam erronea sint, quæ doceant; partim etiam accuratior enarratio & refutatio errorum de Trinitate, filii Dei Jesu Christi & Spiritus sancti divinitate, de statu innocentiæ, lapsu primorum hominum, indeque contracto malo peccati, de libero arbitrio, de Christo, ejusque persona, officiis, & statibus, porro de fide justificante & salvifica, justificatione ipsa, itemque de regeneratione, conversione, sacramentis, morte temporali, resurrectione mortuorum, vita tandem & damnatione æterna.

Cap. V controversias cum Fanaticis exponit. Eadem etiam hic, ut an- 309.
tea, doctissimus Autor incedit via, ostendendo, quid Fanaticismus, universe consideratus, sit, & quam variæ Fanaticorum sint sectæ, quibus doctrinis discrepent, quibus conspirent, quam lubrico denique omnes nitantur fundamento. Singulos nunc sub examen vocat eorum errores, quos fovent in doctrina de Scriptura sacra, revelationibus immediatis, lumine interno, Deo & Trinitate, creatione, partibus hominis essentialibus, statu integritatis, primisque hominibus, peccato originis, Christo, & humana ejus natura atque opere redemtionis, porro in doctrina de fide, regeneratione & conversione, justificatione, sanctificatione, itemque mediis gratiæ, verbo Dei, & Sacramentis, porro de Ecclesia, ejusque ministerio, magistratu politico, & inprimis de pœnis capitalibus, bello & defensionibus, de jurejurando, jure Principum circa sacra, externis honoris testificationibus, nec non de matrimonio, morte naturali, animarum separatarum statu intermedio, regno millenario, mortuorum resurrectione, vita æterna, pœnarum infernalium non finienda duratione, & tandem cultu Dei externo.

Cum Fanaticis statim jungit *Capite VI* Indifferentistas, in multis 503.
erro-

erroribus inter ſe ſimiles. Hic primo loco, quid Indifferentiſmus, & quotuplex, ſit, docetur. Dividitur in univerſalem & particularem, & uterque, tanquam res ſanæ rationi & Scripturæ ſacræ contraria, ſolidis rationibus rejicitur. Præcipuæ Indifferentiſtarum opiniones ſunt: in religione non de opinionibus, ſed de animo, eſſe judicandum; veritatem eſſe occultam; varias, inter Chriſtianos homines, religiones in fundamento fidei inter ſe non diſtare. Sunt vero etiam conjunctæ cum hoc Indifferentiſmo erroneæ quædam doctrinæ, de Scriptura ſacra, de articulis fidei fundamentalibus, de libris Symbolicis, de Syſtematibus theologicis, de orthodoxia, de Theologia polemica, de fide, mediis gratiæ, de eccleſia, & conjunctione eccleſiaſtica. Non ſolum vero Autor Cel. Indifferentiſtarum errores refert, verum etiam, quam lubrico nitantur fundamento, ſolide demonſtrat.

Pag. 655. Hos excipiunt controverſiæ cum Romano-Catholicis. *Sectio prima* controverſias cum illis generatim exponit. Generalis hic præmittitur deſcriptio Papatus, ubi fontes, unde præcipuarum Romanæ Eccleſiæ doctrinarum cognitio haurienda ſit, reteguntur. Intereſſe hujus religionis, ejusque, reſpectu fundamenti, falſitas, ratione ætatis novitas, maximumque a religione evangelica diſcrimen, oſtenditur, indeque colligitur, illam cum hac neutiquam conjungi, neminemque ſalva conſcientia a religione Evangelico Lutherana ad Romano-Catholicam tranſire poſſe. Porro docetur, quomodo falſitas Papatus, religionisque cum hac conjunctæ errores, evinci, eamque ob cauſam varia poſſent argumenta adhiberi. Duplicis generis hæc ſunt argumenta. Prioris generis alia ſunt argumenta generalia, qualia ſunt: Eccleſia Romano-Catholica vera non eſt, quoniam 1) non ſolo atque unico Scripturæ ſacræ, tanquam veriſſimo & certiſſimo, nititur fundamento; 2) in ea certum cognitionis ſalutaris fundamentum non eſt, & potius, Scepticiſmus ratione æternæ felicitatis inde oriatur, neceſſe eſt; 3) in multis doctrinis & actionibus ſacris non pauca habet, quæ veritatibus rectæ rationis adverſantur; 4) nova eſt; 5) neque de fundamento, nec de ordine, ſalutis recta docet; 6) in illa Deo minus, hominibus vero plus, juſto tribuitur; 7) nemo in ea æternæ felicitatis ſuæ poteſt eſſe certus; 8) a Deo conſtituta media gratiæ non uſurpantur ſecundum Dei inſtitutionem; 9) religio fundamentalis non eſt, hoc eſt, homines non ducit ad veram fidem in Jeſum Chriſtum, quæ in amore efficax eſt, ſed tantummodo ad externa

quæ

quædam, quæ ſenſus movent, ablegat; 10) hæc religio Romano-Catholica non vere ſanctam efflagitat vitam; 11) idololatrica, omniſque ſuperſtitionis plena, eſt; 12) tantummodo eo ſpectat, ut appareat, hominum hujus religionis architectorum intereſſe, Pontificis Romani potentiam, dignitatem, divitiaſque, augeri atque promoveri; 13) magiſtratui politico contraria eſt; 14) in ea omnia Antichriſti attributa apparent. Argumenta nunc ſequuntur ſpecialia, ita dicta, quia præcipue contra doctrinas Romanæ Eccleſiæ
propriás directa ſunt. *Sectio ſecunda* exponit illa, & agit *Cap. I* de er- Pag. 603.
roribus Romanæ Eccleſiæ circa Scripturam ſacram; *Cap. II* de traditio- 645. 653.
nibus; *Cap. III* de Eccleſia; *Cap. IV* de Pontifice Romano; *Cap. V* 667. 674.
de juſtificatione; *Cap. VI* de libero hominis naturalis arbitrio circa 684.
ſacra; *Cap. VII* de peccato; *Cap. VIII* de impletione legis conſi- 691. 704.
liiſque evangelicis; *Cap. IX* de bonis operibus; *Cap. X* de fide; *Cap.* 718. 731.
XI de pœnitentia & confeſſione auriculari; *Cap. XII* de ſatisfactio- 744. 766.
ne pro peccatis aliorum, & de indulgentiis; *Cap. XIII* de purgato- 777.
rio; *Cap. XIV* de Sacramentis in genere; *Cap. XV* de Baptiſmo; 792. 819
Cap. XVI de ſacra Cœna; *Cap. XVII* de incertitudine gratiæ, & 827. 858.
æternæ felicitatis; *Cap. XVIII* de externo Romanæ eccleſiæ cultu divino. 872.

Libro IV Autor Cel. de controverſiis cum Reformatis & Arminia- 909.
nis *duabus* differit *Sectionibus*. *Sectio I* controverſias cum Reformatis exponit. Initio reformatæ eccleſiæ natura, doctrinæ, indeque ortæ controverſiæ, conſiderantur, argumentiſque generalibus contra illam pugnatur, tum præcipuæ ſub examen vocantur Reformatorum doctrinæ: quales ſunt de ſacra Cœna; de Sacramentis in genere; de communicatione divinorum idiomatum; de prædeſtinatione; de gratia Dei; de merito Chriſti; de mediis gratiæ; de operationibus gratiæ, in ſpecie vocatione, & irreſiſtibilitate gratiæ, ut loquuntur; de conſtanti in fide perſeveratione. Nunc ſequuntur quædam controverſiæ, quæ tanti non ſunt momenti. Hæ ſunt de diviſione Decalogi; de uſu imaginum in eccleſiis; de Muſica inſtrumentali; de textibus Evangelicis & Apoſtolicis; de confeſſione privata; de privato Sacramentorum uſu; denique de exorciſmo.

In exponendis Arminianorum controverſiis eundem initio ſervat 1047.
ordinem; deinde præcipui eorum refutantur errores, & quidem de articulis fidei, eorumque numero; de eſſentia & perfectionibus Dei, inprimis æternitate; de immenſibilitate, decretis divinis, trinitate,

creatione, imagine divina, peccato originali, Christo, maximeque ejus satisfactione; de conversione & justificatione; de fide & sanctificatione; de Sacramentis, Baptismo, & sacra Cœna; de statu animarum post mortem; de resurrectione mortuorum; de vita æterna, & tandem de usu terminorum in Ecclesia & Theologia.

Pag. 1142. *Libro V* leguntur controversiæ cum Ecclesia Græca. Hic, quid per Græcam intelligatur Ecclesiam, initio ostenditur, & tum, qualis Græcorum religionis sit natura atque erga alias relatio, unde cognosci possit, & quo ordine illius doctrinæ proponendæ sint, docetur. Postea de præcipuis eorum doctrinis, & quidem primo de iis, disputatur, in quibus Ecclesia Græca non consentit cum Latina, v. c. in doctrina de processu Spiritus Sancti, de sacra Cœna, ejusque dispensatione; de esu sanguinis & suffocati; de statu animarum post mortem; de conjugio Clericorum; de Baptismo. Nunc sequuntur etiam doctrinæ, in quibus Græci cum Pontificiis, si non in omnibus, tamen in quibusdam, conspirant, quales sunt: de Scriptura sacra; de descensu Christi ad inferos; de bonis operibus; de transsubstantiatione; de Missa; de precibus pro defunctis; de numero Sacramentorum Novi Test.; & tandem de pœnitentia.

NOVA LITERARIA.

Quæ de *Thesauro Juris Meermanniano*, ejusque tam prioribus *quinque*, quam novis *duobus*, *Voluminibus*, *sexto* nempe & *septimo*, editis partim, partim edendis, publica in tabula nos docuit *Petrus de Hondt*, bibliopola Hagensis, ea, operæ pretium facturi videmur, si ex ipsius *Hondtii* verbis cognoscenda nostris Lectoribus dederimus. Ita autem ille:

Quem Vir Nobiliss. Gerardus Meermannus *summo labore & studio collegit atque digessit utriusque Juris, Civilis & Canonici, Thesaurum, cujusque* Volumina *successu temporis edita, magnorum virorum exspectationi ac desiderio aliqua ex parte satisfecisse, est, quod gratulemur; hunc tandem propediem omnibus numeris exasciatum, typisque nostris absolutum, literato orbi promittere licet. Quoniam vero, dum vastum hoc Opus prela nostra occupat, Ampliss. Editori varia nova adminicula in manus inciderunt, quæ ad hujus Thesauri ornamentum non leviter conducere videbantur, adeoque cum publico communicari dignissima erant; pleraque etiam jam promissa Opuscula, cumprimis manu exarata, non*

satis

satis justa calculo a typothetis, quoad plagularum magnitudinem, computari potuerunt; factum est, ut, quam quinque *majoris formæ* Tomis *Eruditis promiseramus Collectionem, ea ad* septem *aucta fuerit, adeoque & mole & pretio excreverit. Verum, quam exinde rei pecuniariæ jacturam sibi illatam forte conqueri possent nonnulli, docti quidem, sed parum fortunæ opibus instructi, homines, hanc abunde compensatam videbunt utilitate, quam ex accessione novorum Tractatuum, inprimis ineditæ partis Basilicûn, hausturi sunt. Ut tamen aliquo saltem modo commodis inserviremus eorum, qui justo ac modico pretio splendidissimam hanc Collectionem sibi comparare vellent, impulsi sumus a bene multis amatoribus, qui, conditionibus inscriptionum, quæ ante integri Operis absolutionem divulgari solent, parum propitii, nomen suum dare detrectarunt; jam autem de præstantia hujus Thesauri convicti, tempore vero subscriptionis elapso, pretium cujusvis* Voluminis *quarta parte auctum, summopere dolent. In horum itaque gratiam duximus, durante brevi temporis spatio, laudati Operis, quod ultra mille & quadringentis foliis constabit, eadem ratione, qua prior subscriptionis conditio inita fuit, exemplaria venum exponere: videlicet chartæ ordinariæ* septuaginta & uno, *majoris autem* centum & sex, florenis cum dimidio *monetæ Hollandicæ. Quam tamen occasionem ut in tempore arripiant, & quidem ante Calendas Majas anni proximi 1754, omnes adhortamur, quibus humanior Jurisprudentia curæ cordique est. Fidem enim & hic publice obstringimus, & religiose in posterum servaturi sumus, post indicatum tempus nullum exemplar minoris constiturum, quam* 88 florenis & 15 styf. *ordinariæ, &* 135 florenis *majoris, formæ; qua de re monitus sit quisque. Ut autem unius oculi intuitu omnibus perspectum sit, quibus Tractatibus Opus hocce constet, brevem eorum Elenchum hic annectere visum est. Quoad recensionem vero eorum ablegamus curiosos ad Diaria, in Belgio, Germania, alibique locorum, edita, inprimis Acta Eruditorum Lipsiensium, & Relationes Gottingenses de libris novis, Annorum 1752 & 1753.*

Contenta Tomi primi: *Henrici Stephani* Juris Civilis fontes & rivi. *Michaelis Pselli* Synopsis Legum, versibus jambis & politicis, Græce edita, adjecta Latina interpretatione & Notis *Francisci Bosqueti*, itemque observationibus *Corn. Sibenii. M. Valerii Probi* Libellus de interpretandis Romanorum literis, ex MSS. Codicibus auctus, & notis illustratus, ab *Henr. Ernestio.* Accedunt Observa-

tiones *Frederici Tiliobrogæ. Flav. Francisci de Hauteserre a Salvaison* Notæ & Animadversiones ad Indiculos Ecclesiasticorum Canonum *Fulgentii Ferrandi* & *Cresconii Afri*; adjectæ sunt Notæ *Petri Francisci Chiffletii* in eadem opuscula. *Alexandri Politi a Sancto Sigismundo* de patria in testamentis condendis potestate Libri quatuor. *Joannis Filleau* Tractatus singularis de Comitibus Consistorianis, ad Tit. 10 Lib. XII Cod. Excerpta ex adversariis *Petri Pithœi*, quæ ad Jus Romanum pertinent. La Vie de Publius Rutilius Rufus, Jurisconsulte Stoicien, par *Antoine Loisel. Nicol. Rigaltii* de lege, venditioni dicta, Observatio duplex, ad Leg. *Curabit Præses 5 Cod. de Action. emti. Ejusdem* de modo proposito fœnori Observatio ad Constitutionem regiam anni 1643. *Athanasii Oteyza & Olano* Paralipomenon & Electorum Juris Civilis, selectarumque antiquitatum, Tomus I (plures vero nunquam prodiere). *Jani a Costa* Commentarii, seu prælectiones, ad Tit. Dig. de Servitutibus; item ad quatuor Tit. Codicis, ex delictis defunctorum in quantum hæredes conveniantur, de constituta pecunia, de probationibus, & de testibus, nunc primum editæ. *Contenta* Tomi secundi: *Joannis Suarez de Mendoza* Commentarii ad Legem Aquiliam. *Ant. Quintanaduegna* de Jurisdictione & Imperio Libri duo. *Franc. Calletii* Commentarius ad Titulum de Evictionibus 45 Lib. VIII Cod. *Nic. Fernandez de Castro* Aquæductus novæ & antiquæ Romæ, sive Prælectio extemporanea ad *Theodosium & Valentinianum*, in Leg. ad reparationem 7 Cod. de Aquæductu Lib. XI; *ejusd.* Exterminium Gladiatorum, sive Prælectio solennis ad *Flav. Constantinum* in l. unic. C. de Gladiator. penit. toll. Lib. XI. *Joannis Altamirani & Velazquez* in priores XIII Libros ex XX Quæst. *Q. Cervidii Scævola* Commentarius. *Thomæ Papillonii* Commentarii in quatuor priores Titulos Libri Digestorum. *Jo. Philippi Datti* de Venditione liberorum Diatriba, occasione legis 2 Cod. de Patrib. qui fil. distrax. *Petri Vanderani* de Privilegiis creditorum Commentarius. *Petri de Abaunza* ad Titulum 15 de Sagittariis Libro V Decretalium Prælectio. *Contenta* Tomi tertii: *Thalelæi, Theodori, Stephani, Cyrilli*, aliorumque JCtorum Græcorum, Commentarii in Tit. D. & Cod. de Postulando, sive de Advocatis, Græce & Latine, ex editione, & cum Notis, *David. Ruhnkenii. Nicol. Antonii* de Exilio, sive de exilii pœnâ antiqua & nova, exulumque conditione

ne & juribus, Libri tres, cum additionibus posthumis Autoris quamplurimis, nunc primum editis. *Gul. Ranckini* Tractatus de Successione ab intestato. *Ejusd.* Edictum perpetuum *Salvii Juliani* restitutum. *Joannis Matthæi Magni* Rationum & differentiarum Juris Civilis Libri duo: prior de actionibus arbitrariis, alter de eo, quod interest. *Gulielmi Dyemeni* Tractatus de Formulis quibusdam copulatis & disjunctis, ad *Salvii Juliani* nobilissimum locum ex libro ejus singulari de ambiguitatibus (in leg. 13 §. 2 & seq. Dig. de rebus dubiis). *Joan. le Gendre* Episcopale judicium adversus calumnias *Jac. Gothofredi* acerrime defensum, nec non ab omni falsi suspicione plenissime vindicatum. *Polycarpi Sengeberi* Disceptatio de mutuo, adversus *Claudii Salmasii* novum dogma. *Josephi ab Exea & Descartin* Recitatio solennis ad Leg. unicam Cod. de Palatiis & domibus dominicis Lib. XI. *Eduardi Henrysonis* Commentatio ad Tit. 10 Lib. II Instit. de Testament. ordinandis. *Ejusd.* pro *Eguin. Barone* adversus *Ant. Goveanum* de Jurisdictione Libri duo. *Guill. Prousteau* Recitationes ad Leg. 83 Contractus Pand. de Regul. Jur. *Eduardi Calderæ* de Erroribus Pragmaticorum Libri quatuor, totidemque Variarum Lectionum. *Paganini Gaudentii* de Justinianæi seculi moribus nonnullis Partes duæ; accedit de lege, quæ fœminas a successione repellit, Exercitatio. *Contenta* Tomi quarti: *Joannis d'Avezan* Opera juridica omnia: scilicet Contractuum liber; Contractuum liber alter, plures Tractatus continens; Servitutum liber; liber de censuris ecclesiasticis, cum Dissertatione de Pontificia & regia potestate. Continentur etiam in hoc opere: 1) Tract. de Excommunicatione; Tract. de Depositione, degradatione, & suspensione; Tract. de interdicto; *ejusdem* liber de renuntiationibus, sive resignationibus, & pensionibus beneficiorum ecclesiasticorum, deque portione congrua & competenti, ex eorum reditibus vicariis perpetuis assignanda; *ejusdem* Dissertatio de Sponsalibus & matrimoniis; *ejusdem* Dissertatio de Patronatu Juris Pontificii. *Jacobi de la Lande* Opera ad Jus Civile Romanum & Canonicum, quæ exstant: Exercitationes utriusque Juris ad Titulum de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum, apud Gregorium IX, cum brevi Tractatu de nuptiis Clericorum vetitis, aut permissis, & ad Titulum de liberis præteritis, vel exhæredatis, Cod. *Ejusdem* Prælectiones in Titulum

tulum de Decimis, primitiis, & oblationibus, Lib. III Decretalium Gregorii XI; *ejusdem* Juris Dissertatio de ingressu in secretaria judicum, & cum his considendi societate, viris honoratis competente, & de honorariis dignitatibus; *Traité du Ban & Arriere-Ban, par le même; ejusdem* Juris Dissertatio ad Novellam Imperatoris Justiniani CXXX: cujus argumentum est de transitu militum, eorumque annona, & de metatis, Gallice *du passage des etapes, & logemens des gens de guerre. Vincentii Cabotii*, Tolosani, Antecessoris Aurelianensis, variarum Juris publici & privati Disputationum Libri duo. *Car. Annibalis Fabroti*, JCti, Prælectio in Titulum Decretalium Gregorii IX de vita & honestate Clericorum. Juris Canonici Selecta, & eorum, quæ ad usum fori Gallicani pertinent, brevis comprehensio, seu summa, Autore *J. P. de Maurize*, Juris utriusque Doctore, & in Suprema Parisiensium Curia Causarum Patrono Lutetiæ; accedunt *Caroli Annibalis Fabroti* Recitationes in quosdam Titulos Decretalium Gregorii IX a *G. F.*, studioso ejusdem, nunc primum editæ. *Contenta* Tomi quinti: Basilicorum Libri quatuor, IL, L, LI, LII, ex Codice manuscripto Regiæ Bibliothecæ Parisiensis, nunc primum editi; Latine vertit, Variantes Lectiones collegit, Notasque criticas, ac juridicas, tam aliorum, quam suas, addidit, *Guil. Otto Reitz*, JCtus. *Thalelæi, Theodori, Stephani, Cyrilli*, aliorumque JCtorum Græcorum, Commentarii in Titulum D. & Cod. *de Procuratoribus & defensoribus*, Græce & Latine, ex editione & cum Notis *David. Ruhnkenii. Francisci Ramos del Manzano* ad Leges Juliam & Papiam, & quæ ex Libris Jurisconsultorum Fragmenta ad illas inscribuntur, Commentarii & Reliquationes; accedunt Dissertationes duæ extemporales, prior ad Titum Gajum de usufructu municipibus legato, in *leg. 9 Dig. de Usufr. leg.* altera de Domesticis & Protectoribus, ad *leg. 2 Cod. de Excusat. mun.* His omnibus præmissa est Autoris vita, scriptore *Gregorio Majansio*, nunc primum edita. Ejusdem *Fr. Ramos del Manzano* Schediasma *de Concubinis*, earumque tum similitudine, tum differentia a legitimis uxoribus. *Emanuelis Soarez a Ribeira* Observationum Juris liber. *Contenta* Tomi sexti: *Josephi Fernandez de Retes* Epitaphia illustrata, sive solennis publica

blica Relectio ad *l. 6 Cod. de Religios. & sumt. fun. Ejusdem* Opusculorum Libri quatuor, quorum primus est totus varius miscellaneusque, & ex nova plerumque observatione; secundus de contractibus incertis, & actionibus, quæ ex illis competunt, & de pactis, in continenti adjectis; tertius, Commentarius ad Librum sing. Quæstionum Scævolæ; quartus & ultimus notas uberiores continet ad notas Claudii, præfixas libris Responsorum & Digestorum ejusdem Scævolæ. *Ejusdem* Opusculorum alii Libri quatuor. *Ejusdem* ad Titulos *de Honor. poss. contra tabulas, de legatis præstandis, & inofficioso testamento*, scholastica adversaria. *Ejusdem* ad Leges, Edicta, & Constitutiones, quibus prohibita usucapio, Selectio succisiva; acced. ad Leges Atiniam, Plautiam, Juliamque de vi, & repetundarum, Academica feriata Selectio. *Ejusdem* de donationibus Academica Relectio. *Ejusdem* de Donationibus inter virum & uxorem liber singularis. *Ejusdem* Prælectio *ad l. 13 Dig. de his, quib. ut indign. hæred. aufertur. Petr. Martresius* ad *l. Veteribus D. de Pactis. Ejusdem* in aliquot JCtorum locos notæ. *Gabr. de Gast* Disp. de Actione arbitraria ad *l. centum Capuæ D. de eo, quod cert. loc. Ejusdem* Commentarii in duos Titt. Cod. *de Impub. & al. substit. item de Sententiis, quæ pro eo, quod inter. profer. Foppii ab Æzema* Dissertationum ex Jure Civivili Libri duo. *Henrici Ernstii* breviores Annotationes in Librum primum Digestorum. *Nic. Catherini* Observationum & conjecturarum Libri quatuor. *Contenta* Tomi septimi: *Franc. Ramos del Manzano* Prælectiones variæ Academicæ, nunc primum editæ, videlicet: de privilegiis rei rusticæ Collectanea, sive in Pragmaticam Eborensem, in favorem agricolarum emissam A. 1619; Recitationes solennes: ad Tit. *C. de Apochis publicis* Commentatio methodica; ad Tit. *C. de Navicularibus* breves & dilucidæ enarrationes; ad Tit. *D. de institoria actione* Commentarius adversarius; ad *leg. 1 §. ult. D. Depositi* Academica Commentatio; ad Tit. *Dig. de Servitutibus* Commentarius; ad *Leg. frater a fratre 38 Dig. de Condictione indebiti* breves & dilucidæ Recitationes; ad

Tit.

Tit. *Dig. de acquirenda, vel amittenda, possessione* Recitationes nov - antiquæ, cum appendice; ad *tit. Dig. de re judicata* curæ secundæ; ad Tit. *Dig. de Verb. obligat.* Recitationes Academicæ; de venditione liberi hominis *ad l. 23 D. de liberal. cauſ.*; Prælectio ad *l. 25 Dig. de Act. rer. amotar.*; Commentarius ad Scævolam in *l. Gallus 29 Dig. de Lib. & poſthumis*; Commentarius ad Ulpianum *l. 58 Dig. de acquir. vel omitt. hæredit.*; Prælectiones ad Titulos *de Legatis & fideicommiſſis*; ad Tit. *Dig. de vulg. & pupill. ſubſt. Prælectiones. Joſephi Fernandez de Retes* Tractatus varii Academici, nunc primum editi: videlicet Repetita Prælectio ad Tit. Dig. *de Verbor. obligat.*; ad *Tit. de acquir. vel amitt. poſſ.* Prælectio academica; de Interdictis & remediis poſſeſſoriis ſcholaſtica Relectio; ad Tit. *Dig. de re iudicata* novi Tractatus Academici; ſucciſiva Selectio ad *l. 50 Dig. de Legatis ſecundo*; ad *l. 83 D. de Verb. oblig.* nov-antiqua Prælectio; de dividuis & individuis obligationibus Commentatius repetitæ prælectionis Academicæ; de Fideicommiſſis perpetuo familiæ relictis Academica Commentatio. Doctoris *Nieto* Tractatus Academicus de Prælegatis, nunc primum editus. *Gerardi Meerman* Specimen Animadverſionum criticarum in Caji JCti Inſtitutiones. *Jul. Pauli* Sententiæ, cum notis *Petri Fabri*, ejusdemque animadverſionibus in notas *Jac. Cujacii*, nunc primum editis. Ulpiani Regularum fragmenta, cum notis *Petri Fabri*, quibus ſuas adjecit *Ger. Meerman. Guil. Barclaji* & *Jo. Matth. Magni* Comm. ad Tit. *Dig. de Jurisd. Oſii Aurelii* Pactum renuntiationis, ſive Diſſ. de pacto, dotalibus inſtrumentis adjecto, ne puella, quam cognatus elocat, patri, vel cognato, ſuccedat. *Viti Amerpachii* Epiſtola ad *Andr. Alciatum* de furto per lancem & licium concepto, cum reſponſione *Tatii Alpini. Franc. de Hauteſerre a Salvaiſon* Exercitationes ad Tit. Decretal. *de Ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.*

Cum hoc ipſo *Menſe* prelo noſtro exit *Tomi VII Supplementorum ad Nova Acta Eruditorum Sectio XI.*

* * *

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno MDCCLIII

INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM GRÆcarum & Latinarum liber. Accedit Numismatum Ptolemæorum, Imperatorum, Augustarum, & Cæsarum, in Ægypto cusorum, e scriniis Britannicis Catalogus. A RICHARDO POCOCKE, LL. D. Societatis Regalis, & Antiquariorum, Londini, Socio.

Londini, typis Mandati, 1752, fol.
Alph. 1 plag. 11.

Lubet, antequam sententiam de hoc Opere nostram dicamus, argumenta Præfationis, quam Clariss. *Pocockius* splendidæ huic suæ Collectioni veterum marmorum præmisit, strictim repetere. Non dubitat, eruditis operam suam, in his veteris ævi reliquiis invulgandis collocatam, utilem jucundamque fore. Eo enim & hanc, & superiores suos conatus, tendere, ut latifundia regni, quod Critici obtinent, amplientur, adipiscanturque ingenia, acuta quidem, in quo emendando sese exerceant, solertia vero & gnava, unde ritus antiquos & momenta historica illustrent. Ideo se de favore literatorum erga se suumque hoc institutum non desperare, quod egregii viri, unus & alter, dignas curis suis censuissent illas inscriptiones Memnonias, quas in enarratione sui per Ægyptum itineris in publicam lucem protraxisset. Quas eorum curas ideo sibi reddendas ipsum hoc volumine existimasse, quod prævideret, libros, unde illæ excerptæ fuere, paucorum in manus esse venturos. Patiuntur nempe, ut paret,

Angli circa libros noſtrates & Batavicos idem, quod nos circa Anglicanos patimur, penuriam puta. Nullum porro quoque ſe dubitare, quin, quas ſingulari *Capite* complexus eſſet, Chriſtianas inſcriptiones, ſecunda favoris aura proſecutura ſit. Adjiciendas duxiſſe Inſcriptiones, aliena opera exſcriptas, quas, in exteris dum ageret, ab amicis acceperit. Quos inter nominat Nobiliſſ. D. Baronem *de Hochepied*, Batavorum negotiatorum in urbe Smyrnenſi procuratorem (Conſulem vulgo dicunt), & Rev. *Carolum Burdett*, olim per annos ſex & viginti Anglorum, eadem in urbe commerciis exercendis vacantium, Presbyterum. *Theſaurum Gruterianum* diligenter ſe excuſſiſſe, ne redderet, quas ille jam dediſſet, Inſcriptiones, niſi forte aut ſeries aliud flagitaſſet, aut emendatiora exempla penes ſe fuiſſent. Copiam *Theſauri Muratoriani* ſibi non fuiſſe.

Dedimus, quod ſpondebamus. Ordo libri ratioque nunc edenda veniunt. Præfationem excipit index & *Capitum*, & *Sectionum*, quæ illorum minores ſunt particulæ. Succedunt ipſæ Inſcriptiones, per *octo Capita* & *centum paginas* explicitæ. Abſolutam hanc Collectionem, quæ *Pocockii* propria eſt, ſequens alia, ipſi cum *Jeremia Milles*, S. T. P. (Sanctæ Theologiæ Profeſſore interpretamur) communis ita eſt, ut, ni obſcura ejus rei nos fallant indicia, *primum Caput* Pocockio, *quatuor* reliqua Collegæ, in acceptis ferenda ſint.

Accipite jam *Capitum Libri primi* indicem. Initium faciunt Inſcriptiones, in Syria repertæ. Simplex *primum* hoc *Caput* eſt. *Secundum*, Aſiæ minoris lapides complexum, in *Sectiones tredecim* conciſum fuit; quarum *prima* dat tabulas, Ancyræ repertas; *ſecunda* Abroſtolæ, (quæ hodie Sevrihiſſar dicitur,) in via, Ancyra Smyrnam ducente; *tertia* repertas inter rudera in pago Alekiam prope Sevrihiſſar; *quarta* Prymneſiæ, quæ hodie Aphicum Carahiſſar eſt; *quinta* Apameæ Cyboti ad Marſyam prope Mæandrum, hodie Iſhecleh; *ſexta* in Deniszley prope Laodiceam ad Lycum, & Nyſæ, ſeu Naslee; *ſeptima* Stratoniceæ, ſeu Eskihiſſar; *octava* Mylaſæ, ſeu Melaſſo; *nona* Magneſiæ ad Mæandrum, ſeu Guzechiſſar; *decima* Epheſi; *undecima* Teji, ſeu Bodrun, & Chereidis,

reidis, seu Segigreck; *duodecima* Smyrnæ; *tertia decima* in Artacui prope Cyzicum, in Mehullitch prope Prusam, Prusæ, Nicææ, in Gemblick, Apameæ Myrleæ, hodie Montagna, & tandem Nicomediæ, seu Ismit. Reddidimus, qualem invenimus, indicem, spe ineundæ gratiæ a studiosis veteris Geographiæ. *Caput tertium* Inscriptiones reddit, ab Editoris amicis ex Asia minore, Thracia, Macedonia, & insulis, collectas, eique impertitas; & abit in *Sectiones septem*, quas, non est opus, sigillatim recensere, neque tædium creare, iterandis urbium iisdem nominibus. *Caput IV* habet distributas per *sex Sectiones* inscriptiones, *Pocockio* in insulis oblatas, Cypro puta, Creta, Samo, Chio, Psyra, hodie Ipsera, Lesbo denique. *Caput quintum* reddit inscriptiones, a Thracia, Macedonia, agro Thebano, Attico, Larissa, hodie Zeitoun, & Lebadea, hodie Livadia, item Eleusinio, Megarea, Patris, præstitas. In *sextum Caput* conductæ fuere inscriptiones Christianæ, per Syriam, Asiam minorem, & Cretam, sparsæ. *Capite septimo* prodeunt illæ, quas Sicilia, & per Italiam Nola, Surrentum, Beneventum, Neapolis, Herculanum, Puteoli, via Appia, & Æmilia, Germania denique, dedere. *Caput octavum tribus Sectionibus* e totidem libris excerpta reddit, uno *Leichii*, cui titulus: *Carmina sepulcralia*, altero *Hagenbuchii*, quem is *Epistolas epigraphicas* inscripsit, tertio illo, quo *Dorvillius Charitonem* enarravit. Quorum clarissimorum doctorumque Virorum ad Memnonias inscriptiones conjecturæ ipsis eorum verbis redduntur, *Pocockio* aut non habente, quod iis adderet, aut supino, nolenteve, quod haberet, dare. *Caput nonum* Inscriptionum fragmenta ponit, laudatis modo Viris literatis præterita. Appendix *duobus Capitibus* indiculum dat numorum, in Ægypto cusorum, in Museo *Pocockiano*, & aliis Britannicis, sed iis obscurioris famæ, latentium, haud adhuc editorum, qui aut ad *Ptolemæos*, aut ad Romanos Imperatores, pertinent. *Liber* Inscriptionum *alter* a *pag. 101* usque ad *pag. 127*, extremam voluminis, extenditur *Capitibus quinque*, reddens ea, quæ ipsi quidem *Pocockio* Dresda, Austria, cum vicinis provinciis, item Noviomagum, Juliacum, & ager Bruxellensis, suggessere, *Millesio* autem Germania, Istria,

 Hun-

Hungariæ præcipuæ hæ tres urbes, Commorra, Buda, & Alba regalis; porro Forum Julii, Aquileja, Gradus, insula in stagnis Venetis, & Altinum.

Sentis, Lector, hos Duumviros ab ea Inscriptionum digerendarum docta ratione discessisse, quam, a *Scaligero* sapienter institutam, exempli autore imitandi, *Gruterus*, *Reinesius*, *Gorius*, *Doniani* penus editor, *Muratorius* denique, servarunt, eoque & eam sibi approbatam fuisse testati sunt, & judicii sui declararunt elegantiam. Minimus esset hic nævus, & per quem non staret, quin pulchrum esset hoc corpus, si quidem in eo exstaret unicus. Neque deest ipsi chartæ typorumque splendor, quo fratrum bene multos vincat. Neque id agimus, ut præclarum Editorem laude fraudemus, tot sudoribus, tantisque impendiis, emta. Laudes manu larga, si qui alii, nos certe primi omnium & promtissimi spargeremus, velut flores in dignum corolla caput, si majorem in edendis his antiquis monumentis curam adhibuisset, testatumque fecisset, sibi haud defuisse dotes illas, quibus instructus sit oportet, quisquis geminam, quam ille suscepit, provinciam cum laude administrare, hoc est, eo animo lustrare terrrarum orbem, adire pericula, sibi nummisque non parcere, velit, ut literatas orbis vetusti reliquias colligat, & in publicam literarum rem multiplicatis exemplis diffundat. Non sumus nescii, in cursu vastorum itinerum non posse grandia *Gruteri*, *Muratorii*, similia, volumina circumvectari, inspicive, in locis, ubi neque diu morari, neque sarcinas explicare, licet, aut spem redeundi capessere. Trepidantibus itaque, culpaque non sua in peccatum incurrentibus, a quo sibi cavere perarduum & rarum sit, venia facilis est, si lapides, præsertim male literatos, exesos item, & multos simul objectos, lustrant obiter, exscribunt prave, & tumultarie in adversaria conjiciunt. At penatibus sibique redditos oportet hæc non ita cruda & sordida in forum propellere; sed inquirere diligenter, num quid eorum in aliorum forulis jam exstet, melius forte atque integrius. Occupatissimum hominum esse *Pocockium*, tibi facile persuadeas, reputans

tans tecum, potuiſſe Virum toto decennio, quod ab edito ejus Itinerario ad hoc editum Syntagma effluxit, limatius nihil extundere, quam hic quidem eſt Inſcriptionum liber. Male audit a Græcarum literarum ſeu inſcitia, ſeu ſenili oblivione, *Muratorius*. At Græce doctiſſimus ille videatur, cum Anglo hoc comparatus, qui nihil aliud videtur egiſſe, quam ut ſaxa ſpargeret, literati cœtus capita ruptura. Satis profecto ille fecit propoſito ſuo, ſi ſolum id ſpectavit, ut haberent antiquarum rerum ſtudioſi, in quo ingenium patientiamque fatigarent & exhaurirent. At male hac via conſuluit famæ ſuæ, malamque gratiam inibit a viris doctis, quos ipſe, rebus ita comparatis, coget in partes, quæ ipſius fuerant, editorem agentis, ſuccedere, hoc eſt, magno labore, temporisque diſpendio, in vaſtis voluminibus abſtruſas veſtigare inſcriptiones, ante ipſum dudum editas, de reliquis autem, quas primus ipſe ſolusque luci donavit, emendandis & integrandis omnem ſpem abjicere. Nobis quidem, Græcas inſcriptiones, hoc perquam modico volumine comprehenſas, in *Muratorii* Theſauro, tumultuaria quamvis opera, quærentibus, ad quinquaginta inſcriptiones repertæ ſunt, huic cum Noſtro communes, eæque tantum non omnes melius integriusque ab Italo, quam ab Anglo, editæ. Quo didicimus, fieri non poſſe, quin multo plures ejusmodi inſcriptiones, ab Anglo mutilatæ, & tam mendoſe recoctæ, ut uſui nulli ſint, integriores emendatioresque occurrant illis, qui otio, ingenio, libris denique, magis, quam nos ſumus, inſtructi ſunt, & hanc in rem ardentiores, in hac farragine cum *Sponio, Smitho, Whelero, Muratorio*, Muſeo Veronenſi, & ſimilibus, comparanda tædium devorare ſuſtineant. Ita ſe profecto geſſit per totum hoc opus *Pocockius*, ut nemo futurus ſit, harum quidem rerum intelligens, idemque mitioris animi, quem inſpectio & uſus, ipſaque res, vel invitum in hanc ſententiam non pertrahat, fuiſſe eum aut præpoperum, hoc quidem in genere, bene de literis mereri, nondum æſtimatis viribus

ſuis,

ſuis, & ſuſcepti operis gravitate, aut in eo gerendo exiſtimationis partiumque ſuarum nimis incurium. Si quis autem ſevere, quam clementer, de ipſo pronuntiare malit, aſſeverabit ille non ſine veri ſpecie, *Pocockium* earum inſcriptionum, quas ipſis e marmoribus a ſe jactet exceptas, oculis luſtraſſe aut nullas, aut perpaucas; ſed futilium chartarum excerpta pro inventis ſuis venditare; aut certe famulis ſuis exſcribendarum de marmoribus inſcriptionum curam demandaſſe; aut tandem, ſi ipſe defunctus ea opera fuerit, fatendum eſſe, hominem omni Græcæ linguæ, & Græcorum marmorum legendorum, uſu atque peritia caruiſſe, & frontem perfrixiſſe, qui tam informe undique & maculoſum opus, velut cruentum a matre fœtum, publice exponere, ab ejusmodi collectione induſtriam, ingenium, bonam omnem de ſuo frugem, arcere, nomen denique ſuum edere, auſus fuerit. Neget talis, ſi poteſt, abuti eum patientia doctorum, qui efficiat, ut, quisquis libro ſuo uti frui velit, neceſſe habeat, aut operoſos ipſe ſibi condere indices, aut libro abſtinere. Erunt, qui & indices, & commentarios, omiſſos, ordini item *Scaligerano* præhabitam illam prorſus mechanicam veſtigiorum itineris confecti affectationem, aut potius deſultoriam per provincias vagationem, & iteratos aliquoties ad eadem loca recurſus, pro argumento interpretentur, quo colligant, Editorem a ſe editas inſcriptiones ipſum non intellexiſſe. Minora ſunt ea, quæ dicemus, ſed ſunt tamen incommoda; continuatas voces per integros verſus, absque punctis, quorum interpolatione, conſultum alii viri docti ſimilibus in ſtudiis duxerunt, lectorum alacritatem & attentionem ſublevari. Culpa vacaret hoc inſtitutum, ſi marmorum autoritate niteretur. Sed affectatio ea eſt novum exemplum præeuntis. Id quoque incommodum eſt, numeros inſcriptionum non continuari, ſed ſingulis pæne paginis novos inchoari, ea haud raro præcipitatione & inconſtantia, ut duæ proxime ſibi appoſitæ ambæ pariter unitatis numero notatæ ſint. Quoties nempe locum mutat Itinerator, mutat quoque numerum.

Intelligent hujus judicii noſtri æquitatem omnes, quibus pla-

placuerit, hæc *Pocockiani* moris in edendis his Inſcriptionibus ſpecimina inſpicere. Primum igitur omnium hæc eſt, e porta Beryti excepta:

ΤΗΣΤΟΥΠΡΟΣΙΟΝΤΟΣΑΕΝΝΟΙΑΣΑΟΙ
ΕΛΚΗΣΕΛΕΙΧΟΣΗΠΡΟΣΟΥΓΕΙΝΕΤΑΙ
ΔΙΔΟΥΠΡΟΣΟΥΜΩΣΟΝΠΑΡΕΧΕΙΣΗΜΗΔΙΔΟΥ
ΠΑΡΑΓΑΡΤΟΜΕΙΚΡΟΝΓΕΙΝΕΤΑΙΠΛΗΡΗΣΧΑΡΙΣ.

Verſus hi ſunt jambici, qui ſic videntur eſſe reſtituendi:

Τὴν τῦ προσένλος ἀιὲν ἔννοιαν ἄθρει
Ἐάν τε γλισχρὸς ἢ πρόθυμος γίνεται.
Δίδυ προθύμως ὃ παρέχεις, ἢ μὴ δίδυ.
Παρὰ γὰρ τὸ μικρὸν γίνεται πλήρης χάρις.

Sententia hæc eſt. Ejus, quicum res tibi ſit identidem, ſpectandam ſemper eſſe voluntatem, ſitne parcus & tenax, an proclivis & promtus benefacere. Liberaliter, quod detur, dandum eſſe, aut prorſus nihil dandum. Parum enim quid (voluntatem liberalem deſignat) efficere, ut eo vel addito plena, vel demto imperfecta & inutilis, ſit gratia. Inſunt huic Collectioni alia quoque Græca carmina, non ejusdem omnia ſpiritus, ut fieri amat, omnia tamen æque mendoſe, atque hoc, edita. Quorum deinde ſpecimen unum alterumve proferemus. Interim, quæ carmina Græca in hac *Pocockiana* Collectione nobis obſervata fuerint, edemus. Leguntur igitur ea *pag. 2 n. 4, pag. 17, 1, pag. 24, 19*, quod *Muratorius pag. 608* habet integrius, & emendatius, cum epigraphe, quæ *Pocockiano* exemplo non prorſus quidem deeſt, at loco non ſuo adeſt. Legitur enim avulſum a ſuo corpore *pag. 22 c. fin. n. 5*. Quibus ambobus exemplis conferendis, niſi aliorum bene multa ſuppeterent, efficeremus, ut Lectori de fide, cura, dexteritate, peritiaque, conſtaret, quam *Pocockius* in his monumentis legendis, exſcribendis, & reddendis, demonſtravit. Sed pergimus. Carmina igitur Græca porro leguntur *pag. 24 n. 25, 26, 38, & 40; pag. 29 n. 11; pag. 30 n. 18*, quod iterum melius

melius apud *Muratorium pag. 75, 1*, legas. *Pag. 31* ait *Pocockius*, se insigne tetrastichum, Nicomediæ sandapilæ incisum, perdidisse, cujus se primum solummodo versum memoria tenere hunc: Ἐκλορέον τύμβον ὂν ἐθαύμασε θεῖος Ὅμηρος. Est eadem *pag. n. 1* carmen distichum in *Asiaticum*, Medicum methodicum. *Pag. 43, 3*, aliud e Gortynia Cretæ; *pag. 44, 2* e Samo; *pag. 45, 1, pag. 46, 3, pag. 47, 9, pag. 50, 14, & 16, pag. 51, 14, pag. 55, 60, pag. 63, 8, & pag. 64, 1*, e Patris. Pleraque horum carminum mendosissime sunt edita, ut vix carminis notas in quibusdam agnoscas, laceraque, partim minuti argumenti, & sequioris ævi; in quibus autem felicius ævum, & Musas benigniores, deprehendas, optima sui parte mutilata, nil præter sui desiderium reliquere. Quale est illud *Mitylenæum pag. 46, 8*, quod sic reddemus, ut dedit Anglus, quo in reliquis edendis morem ejus discant Lectores:

O . ΣA . . . . BO
ΚΑΙΘΑΝΟΝΑΤΡΕΣΤΩΜΑΡΝΑ . . . .
ΣΥΜΜΑ . . . . ΕΜΟΣΙΝΘΕΜΕΝΟΡ.
ΠΑΤΡΙΔΙΤΟΝΚΛΕΙΝΑΝΩΠΑΣΑΙ
ΗΡΣΤΥΙΙΩΣΕΣΑΜΑΛΕΟΝΤΕ
ΟΙΜΕΝΓΑΡΘΗΡΩΝΦΕΤΑΤΟΙΟΙΔΕΒΡΟ

Ex ultimo versu reliquos, velut e lacinia purpuram, suspicias, intelligasque, totum carmen elegiacum hexastichum, & insculptum stellæ una cum signo leonis, virorum fortitudinem significaturo, fuisse; & primum pentametrum sic incipere: κάτθανον ἀτρέςω μαρνάμενοι, ultimum distichum forte sic legendum esse:

Ἤρετο πῶς τόδε σᾶμα λέοντες ἔχουσι? Δικαίως.
Οἱ μὲν γὰρ θηρῶν φέρτατοι, οἱ δὲ βροτῶν.

Hac sententia: Interroganti, quam ob rem cippum leones obtineant, responderi, merito id factum: nam, ut fortissimi belluarum leones sint, ita sepultos istos hominum fuisse fortissimos. Ponemus aliud specimen, quo intelligatur, ei triplici

ære

ære muniendum esse pectus, qui forte librum hunc expurgandum susceperit. *Pag. 50 n. 16* hoc carmen legitur:

ΟΠΟΣΩΚΑΡΤΗΣΓΟΡΤΙΠΙΟΣΙΟΙΙΟΤ . . . .
ΠΛΙ . . ΙΤΟΤΗΣΑΡΕΤΗΣΕΣΟΚΟΛΗΝΙΟΡΟΕ
ΟΜΝΗΣΗΙΣΕΝΕΤΙΚΚΕΝΗ
ΗΥΚΟΜΟΣΘΕΝΙΗΦΕΡΙΑΙΩ
ΕΥΝΟΗΣΙΠΩΗΓΡΑΤΙΚΑΣΤΕΙΜΗΙΟΙΣΤΕ . . . ΙΙΟΙΣ
ΚΑΙΙΤΑΕΜΠΑΝΥΠΛΑΓΕΙΝ
ΑΛΛΑΕΝΟ . . . ΕΜ'„ΙΑΚΕΚ . . . ΟΙΡΑΔΟΒΕΙΑ
ΗΡΩΑΗΒΑΙΔΕΝΠΑΙΔΕΣΔΕΣΞΟΜΕΝΟΥ.
ΤΟΥΤΟΥΤΟΥΡΙΔΙΗΛΛΟΙΟ . . . ΔΗΛΕΙΔΥΙ
ΕΣΤΗΣΕΥΠΡΑΕΙΣ . ΚΥΔΟΣΕΗΠΑΤΡΙΔΙ.
ΘΥΓΑΤΡΙΣΚΑΤΑΓΑΙΑΝΟΣΑΙΣΔΙΟΕΙΕΩΓΕΝΟΣ
ΜΕΙΖΟΝΑΤΗΔΕΠΟΛΕΙΚΟΣΜΟΝΕΘΗΚΕΙ

Nisi extrema, & interspersæ primis voces quædam Græcæ sermonem proderent, possent hæc barbara videri. Non est animus, ea hic referre, quæ emendatu facilia & prona sunt non pauca, ut e. c. *vers. 8:* Ἡρῳ Θηβᾶθεν παῖδες ἀεξόμενοι, & *vers. 9:* τούτου κυρίδιη ἄλοχος, & reliqua ejus generis; id unum sufficiat observasse, eam fuisse Editoris diligentiam, aut quicquid volueris, ut vocem γένος, finem carminis, ad versus penultimi finem rejiceret. Est enim versus hic ultimus: μείζονα τῇδε πόλει κόσμον ἔθηκε γένος. Eadem felicitate & industria usus ille fuit in edenda Inscriptione insigni, *pag. 9 n. 5* exhibente mandatum *Constantini M.* ad Ordinem, hoc est, Senatum, Orcistanorum, quod oppidum ibi locorum fuerit olim, necesse est, ubi repertum hoc marmor fuit. Fuit autem in agro oppidi Sevrihissar, quod olim Abrostola dicebatur. Eccam illam divinam formam, aut sacram. Sic enim præcepta ejusmodi appellabant:

 ....TPRICR

: . : : TPRICR
ACIVITAS
CONSTANTINIPOLI
IMPCAESCONSTANTINVS
MAXIMVSGVTHVICTORACTRIVMP
RATORAVG-ETFLAVIACONSTANTINA
AIAMANVETFLAVIUSCONSTANTIUSNNBB
CAESSALVTEMDICUNT
ORDINICIVIT — ORCISTANORUM & reliqua.

Sæpe occurrit in hac *Pocockiana* Collectione lineola transversa — quam qui putat e marmoribus expressam, is multum fallitur. Prodit enim ea manum Anglicanam, & quanta in edendo Nostri fuerit cura, qui aut lituras suas typothetis excudendas dedit, quos ipse moderari & corrigere errantes, lustratis madidis a prelo foliis, fastidivit, aut marmorum, oculis suis nunquam visorum, inscriptiones e schedis alienis, qualesquales invenerat, reddidit. Quorum utrum verum sit, ipse omnium optime norit; nos quidem, alterutrum verum esse, & certo novimus, & demonstratum dabimus. Quid enim sibi vult illud AIAMANV versu septimo? Aliud nihil est, quam *alia manu*. Scilicet aut contulerat *Pocockius* exemplum hujus inscriptionis suum, e marmore exceptum, cum schedis alienis, aut e solis his edidit eam. Utro modo rem gestam opineris, perinde est. Illa verba variantem lectionem indicant, aut a *Pocockio* suo exemplari adscriptam, aut ex alienis schedis transscriptam; immixtam certe, pudendo & ridiculo exemplo, verbis ipsis inscriptionis. Quisquis nempe Autor illus variantis lectionis fuerit, significat admonitio, *alia manu*, pro verbis mendose, sive in ipso marmore, sive in schedis, exaratis, *Flavia Constantina*, legendum esse *Flavius Constantius*. Geminus est hic error illi, quem, observante Clariss. *Leichio* in Curis secundis ad *Muratorii* Græcas Inscriptiones *pag. 40*, Editores Batavi *Syntagmatis Gruteriani* in inscriptionem, quæ *pag. 247, 6*, legitur, immiserunt, in titulum *Cæs.*

Tra-

Trajani inferciendo ET CYRIACO, tanquam si *Trajanus* unquam *Cyriacus* fuisset dictus. Illi vero notam marginalem, quæ significabat, *ex Cyriaco*, nempe *Anconitano*, depromtam hanc fuisse inscriptionem, aut ipsi ingerebant in titulum, tanquam ejus particulam, aut turbantes typothetas non sentiebant, non cogebant in ordinem. Prorsus idem hic in illo propudioso *ajamanu*, hoc est, *alia manu*, contigit. Digna autem est illa sacra *Constantini M.* quæ hic legatur integra. Reddemus eam, quo chartæ parcatur, literis minoribus, & sic, ut putamus emendandam esse: *Imp. Cæs. Constantinus Maximus Gothicus Victor ac Triumphator Aug. & Fl. Constantinus & Fl. Constantius, nobilissimi Cæsares, salutem dicunt ordini civitatis Orcistanorum. Actum est indulgentiæ nostræ munere, ut vobis civitatique tributum culeorum* * *remitteretur, libertatis etiam privilegium custodiretur. Itaque frumentariorum injuriam, ultra indulgentiæ nostræ beneficia perdurantem, præsenti præscriptione removemus, idque oratis vestris petitionique deferimus, ut pecuniam, quam pro culeis solebatis fisco inferre, minime deinceps dependatis. Hoc igitur ad virum perfectissimum, rationalem Asianæ diæceseos, lenitas vestra perscribat, qui, secutus formam indulgentiæ concessæ vobis, pecuniam deinceps pro supra dicta specie expeti a vobis postularique probibeat. Bene valere vos cupimus. Basso & Ablabio Coss.* Hi fuere Coss. A. C. 331.

Ne nimii simus in tangendis & pertundendis ulceribus, quibus totum hoc corpus scatet, solum illud *Caput* paulo diligentius lustrandum sumemus, in quod Christianas conjectas esse inscriptiones titulus vult, res autem docet, certum in eo instituto non fuisse observatum ordinem, quin immiscerentur, ut illi pagana quædam, sic reliquis paganis capitibus Christiana non-

---

* In speciebus annonariis militi præstandis erant quoque culei, seu pelles, unde fierent culei transmittendis fluviis, item tentoriis tegendis, & alia, in quibus militi, in castris agenti, corium usu venit.

nonnulla. Priusquam tamen illud suscipiamus exequi, placet, indiculum dare geminum, unum quidem illarum inscriptionum, quas usus hujus libri, non ille tamen assiduus, neque multi temporis, nos docuit in eo iterum, interdum quoque tertio, repositas fuisse; alterum vero illarum, quas Nostro communes cum *Muratorio*, inquisitione non valde sedula, deprehendimus. Fuerunt igitur iteratæ hæ. *Pag. 2, 6*, recurrit *pag. 3, 9; pag. 11, 4*, est eadem, quæ *pag. 22, 2; pag. 18, 6*, eadem, quæ ejusdem *paginæ n. 8*. Tanti erat, inscriptionem nullius momenti, & quæ apud *Muratorium pag. 242, 3, & Sponium Tom. I Itinerarii pag. 108*, emendatius legitur, tantillo spatio, quod pollex impleat, iterasse. Quæ *pag. 19, 10*, legitur, ea redit ad conspectum *pag. 36, 25*; quæ *pag. 22, 4*, recocta est *pag. 23, 18*; quæ *pag. 23, 16*, habetur, ita redditur & mutilata, & mutata, ut ægre agnoscas. Mittimus alias hoc genus, ad quas non attendimus. *Muratorius* has easdem cum *Pocockio*, & ante eum, plerasque integrius & correctius, dedit; eam nempe, quæ legitur Nostri *pag. 2, 6*, habet *M.* (id nobis signum *Muratoriani* nominis esto) *pag. 1978, 7*. N. (nostrum *Pocockium* designamus) *pag. 31* est *M. pag. 1927, 8*; N. *11, 4, M. pag. 950*; N. *18, 1, M. 1027, 4*; N. *19, 10, M. 234, 1*; N. *22, sect. 7, n. 2, M. 1674, 5*. Edidit quidem Anglus hoc marmor Italo auctius; at legi nequit hoc augmentum. N. *pag. 24, 19*, carmen octastichum & plenius & melius habet *M. pag. 608, 3*; N. *29, 9, M. pag. 1375, 11, & pag. 2074, 8*; N. *29, 10, M. pag. 1361, 5, & pag. 2073, 3*; N. *30, 18; M. 75, 1*; N. *32, 5*, Ἀττίκω &c. *M. 1639, 14*; N. *33, 1*, initium dat inscriptionis, quæ fine caret. Finem habet *M. pag. 1300, 5*, destitutum initio. Amborum itaque comparatio & compositio posset unum integrum corpus efficere, si Noster, quæ edidit, sic ea edidisset, ut legi possent. Initium jambus facit:

> τάφον τὸν ἔνθα πλησίον βωμὸν θ' ἅμα
> Ἔτευξε.

Reli-

Reliqua, qui valet, expediat. Porro N. *pag. 33, 2, M.* eſt *pag. 1441, 5*; ibidem N. *n. 4, M. pag. 701, 5.* Eadem N. *pag. 33, 11, M. pag. 555, 3*; N. *34, 14, M. 569*; N. *34, 2, M. pag. 567, 2,* & *2018, 2.* Ibidem N. *n. 1* Epheſi, *M. 579, 1,* e quo apparet, alteram hujus marmoris particulam eſſe illam, quam N. *pag. 35, 5,* dedit. N. *35, 12, M. 162, 1*; N *36* quinque dat inſcriptiones, a *M.* datas *pag. 770, 4,* & *pag. 234, 1,* & *pag. 118, 2,* & *pag. 331, 4,* & tandem *pag. 553, 5.* Reſpondent his illæ, quæ dicta Noſtri pagina notatæ ſunt his numeris, *23, 25, 26, 28,* & *29.* N. *pag. 37, 34, M. 164, 4*; N. *39. 8, M. 557, 4*; N. *40* eſt apud *Spon. Tom. I Itin. pag. 104* edit. Germanicæ; N. *42 Cap. IV Sect. 1 n. 1 M. 2017, 3,* & *Chishull Ant. Aſiat. pag. 88*; N. *48, 2, M. 1069*; N. *48 Sect. 2 n. 1 M. 595, 2*; N. *52, 29, M. 55. 2*; N. *52, 34* & *35,* eſt nemini non memorata trivialis inſcriptio, *M.* quoque relata *pag. 1036, 1*: N. *52, 37, M. 560, 1*; N. *53, 49, M. 647*; N. *55, 58,* leges apud *Sponium Itin. Tom. II pag. 86.* N. *58, 66,* ejusdem *Sponii* habes *pag. 113 ſeq.* N. *61, 70,* ibidem exſtat *pag. 91.* Sed abſtinemus, metu tædii, & nobis, & aliis, creandi.

Atqui devorare hoc tædium debuerat Editor, qui quidem & noſſet partes ſuas, quæ eſſent, & has curæ cordique haberet. At ille negotium & recenſentibus librum ſuum, & tractaturis, faceſſivit. Qui autem factum ſit, ut, quæ *Sponius* & alii emendate & legerent & exſcriberent & ederent marmora, eadem ipſa *Pocockius* illiterate prorſus haberet, qui ſcire cupit, ipſum illum adeat, conveniat. Cauſam ejus agere, noſtrum non eſt, neque decrevimus. Quid actum fuerit, quæ ejus rei cauſa ſit, ſuſpicioni permittimus, ſatisfactum datæ ſuperius fidei euntes. Chriſtianas nempe inſcriptiones luſtrabimus, quæ *paginas 65, 66,* & *67,* implent. Earum quæ gregem ducit, non liquet, quare hunc ad gregem adducta fuerit. Eſt autem hæc:

ΕΙΣΟΣΟΣΜΟΝΟΣΟΣΟΗΟ̅
ΥΠΕΡΣΩΤΗΡΙΑΣΚΑΜΙΝΗΩ
ΤΩΝΖΟΝΤΩΝΑΝΕΝΩ

ΣΕΝΚΑΣΣΙΜΑΣΚΑΙΜΑΟΒΑ
ΒΕΑΕΤΟΥΣΓΑΥ

Si quidem e formula ὑπὲρ σωτηρίας τῶν ζώντων conjecturam ducere liceat, erit hæc perobſcura Syriaca inſcriptio pagana, non Chriſtiana. Forte movit *Pocockium*, ut eam huc referret, clauſula, ἔτους υλγ anno 433. Fatendum omnino eſt, in numis, ubi æra quædam memoratur Syriaca, non ἔτους, ſed Λ. hoc eſt, λυκάβαντος, poni. Nihil tamen hoc impedit, quo minus voce ἔτους in cippis ſepulcralibus uterentur. Æræ Dionyſiacæ uſum quamvis alii aliis tribuant temporibus, eſt tamen, qui Seculo VI medio antiquiorem faciat; ſunt etiam, qui faciant multo recentiorem. Quo conſtat, non annum A. N. C. 433, ſed alius æræ, hic deſignari. Seleucidarum ſit. Reſpondet annus 433 æræ hujus anno Chriſti 121, quo jam obtinebat fides Chriſtiana; non tamen id valet eo, ut Chriſtiani hominis hoc monumentum, forte ſepulcrale, ſit. De æra Gazenſi cogitare non ſinit ager Marrenſis, ubi inſcriptio reperta fuit, Antiocheno propinquus, ut rectius de Antiochena cogitetur æra. Immanis porro eſt annorum diſcrepantia in proximo deinceps marmore, quod eandem procul dubio Αμαοβαβέα celebrat, cui ait ſtructum monumentum anno 635. ἔτους ελχ (ita enim leg.). Formula θάρσει ψυχή, οὐδεὶς ἀθάνατος, quæ eandem inſcriptionem claudit, aperte prodit paganos mores, nec unquam ſuper Chriſtiano tumulo habuit locum. Alienum quoque a Chriſtianis legibus eſt, & manifeſtum arguit Numinum cultum, τὸ τοῖς πατρώοις θεοῖς τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι *gentilitiis Diis vota ſolvere.* Abhorret quoque dictio, εὐθύμως μεταμείβειν τὸν βίον, a Chriſtianis formulis, ἐκοιμήθη, vel ἐτελειώθη, κεῖται ἐν εἰρήνῃ, &c. En illam inſcriptionem ſecundam cum omnibus vitiis:

ΕΤΟΥΣΣΑΧΜΗΝΟΣΑΡΤΕΜΩΙ
ΟΥΑΚΕΪΣΑΕΣΣΕΝΤΟΜΝΗΜΙ
ΟΝΑΒΕΔΡΑΨΑΣΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΚΑΙΑΜΑΟΒΑΒΕΑΤΗΣΕΥΠΟΝΕ

ΜΟΥ-

ΜΟΥΓΑΜΕΤΗΑΥΤΟΥ · ΕΤΘΥ
ΜΩΣΤΟΝΒΙΟΝΜΕΤΑΜ
ΒΟΝΤΕΣΚΑΙΤΑΣΕΥΧΑΣ
ΑΠΕΔΩΚΟΝΤΑΙΣΠΑΤΡΩΟΙΣ
ΘΑΡΣΙΨΥΧΗΟΥ · ΙΣΑΘΑΝΑΤΟΣ

Habemus hic menſem Artemiſium, & habebimus deinceps alios Syromacedonicos. Nomen viri *Eupanemi* maximam ſui partem menſi Panemo debet. *Verſu primo* & *ſecundo* legendum eſt μηνὸς Αρτεμισίυ κατεσκεύασεν. Reliquorum vitiorum emendationem paulo ante jam ſuggeſſimus. In agro Haleppenſi repertarum prima hæc eſt:

+ ΕΤΟΥΣ ΟΥΔΡΜΗΝΟΣ
ΛΩΟΥ Γ̄ Γ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ . . . . . ΧΤΟΠΟΣ
ΚΑΙΚΑΛΙΚΕΜΑΡΙΟΥΕΠΑΘ
ΡΧΩΝΥΙΟΥΛΥΔΕΣΣΙΠΥΔΙΑ
ΓΟΡΤΟΝΙΟΥΠΕΔ

Habes hic Loum menſem, & extremo verſu Gorpyæum quoque. Chronologiam anni expediant alii. Alia ejusdem agri hæc eſt:

ΟΙΣΤΗΣΒΑΣΙΛΕΙΑΣ . ΟΡΗΜΑ — ΣΙΝ
ΑΦΡΟΝΟΥΣΑΒΑΡ . ΚΑΤΑΔΡ — ΟΜΗΣ
ΙΣΠΥΛΑΙΣΙΣΤΗΣΙΝ — ΕΥΕΡΓΕΤ — ΑΣ
ΙΡΑΧΡΙΣΤΟΝ . . ΝΙΚΟΥΣΔΕΣΠΟΤΑΣ
ΝΟΝΠΑΝΕΥΦΗΜΟΝ — ΥΠΑΡΧΟΥΣΠΡΑΙΤΟΡΙΩΝ
ΗΤΟΝΑΓΙΟΤΑΤΟΝΑΥΤΗΣΕΠΙΣΚΟΠΟΝ
ΕΝΔΟΞΗΝΧΑΡΙΝ . . . ΜΗΝΙΤΟΡΠΙΝ
ΤΟΥΣΩΕΤΟΥΣ — ΙΗΜΓ

Mireris menſem Gorpiæum in jambis, *Pſellis* & æqualibus ſeculis dignis, & procul omni dubio ultimæ græcitatis. Quis ille

ille annus ιημγ? Legi hoc nequit. Num $\overline{ημυ}$, id est, 448, hoc est ex æra Seleucid. id est, A. C. 136. Eane ætas istas sordes tulerit? & Præfectos prætoriorum? & Episcopum? Liquet igitur, Antiochenam æram hic in censum venire, non Seleucidarum. Cujus Antiochenæ æræ annus 448 respondet A. C. 400. Quis autem tum erat Episcopus Ἐνδόξης, id est, Ἐυδόξιος, & cujus urbis? Non enim in marmore nominatur. Quid præfecto prætoriorum in Syria rei? Nonne insolens, τὸν πανεύφημον eum appellari, qui ὁ λαμπρότατος alias esset. Estne *Paneuphemus* nomen proprium? Vigebatne ille mos jam Seculo V, terminationes vocum in ιος in ης contrahendi? Ἐυδόξης pro Ἐυδόξιος, & Ἐυδόξην pro Ἐυδόξιον, dicendi, quo more nihil erat frequentius Seculo X & vicinis? Est certe hoc nomen in argumentis luculentissimis, *Pocockium* plurimas Inscriptionum, a se editarum, non e marmoribus, sed e schedis, aliena manu exaratis, depromsisse. Quorsum enim illæ virgulæ, Anglis usitatæ, tam frequentes? Profecto facilius in literis manu exaratis, typisque metallicis, ν & υ permutes, quam in marmore. Atqui id in Ἐνδόξην contigit, arrepto pro Ἐυδόξην. Sunt alia notabilia in hac inscriptione, ut dictio τὰ τῆς βασιλείας ὁρίσματα, quæ satis *Theodosianeum* seculum sapit; dubium tamen, fueritne jam tum temporis usitatum, βασιλεία in abstracto, quod ajunt, pro Imperatore ipso dicere, quemadmodum posterioribus Seculis usurpatur. Et quinam erant illi barbari, quorum ἀφρονοῦσα καταδρομὴ hic memoratur? Persæ erant procul dubio. Sed non est hic locus, hæc curatius exponendi; in historicorum messem manus immitti non decet. Proxima deinceps hæc est parva inscriptio:

ΕΥΣΤΑΘΙΟΥΔΟ
ΜΕΣΤΙΚΟΥΠΟΛΑΤΑ
ΕΤΗΛ+ΩΘΕΟΥΧΛ

Cujus vocabuli formulæve compendium postremæ literæ sint, conjiciant alii. Sed, missis his talibusque, quarum acervum hoc *Capite* Anglus congessit, quisquiliis, (apto *Muratorii* vocabulo

cabulo utimur,) festinat oratio ad insignes duas inscriptiones, quibus expositis, dimittemus Lectorem, antea monitum, *pag. 65* relatum esse inter Christianas inscriptiones notum illud dictum *Jes. I, 16:* λέσασθε, καθαροὶ γενέσθε, usque ad verba ὡς ἔριον λευκανῶ, quod quo pertineret, satis eo prodidit *Pocockius*, se nescire, quod, cum in literis ΑΣΘΕ inciperet marmor, ipse de suo minoris typi literam ε, tanquam supplendam, præposuerit. Non ε, sed λουσ, erat supplendum. Verba deficerent eum, qui pro merito illa *Pocockii* in his rebus peccata castigare instituat. Insignes illæ, quas laudavimus, inscriptiones ambæ sunt Christianæ; una tamen earum aberravit a grege suo, sed *Capitis secundi Sectionem septimam pag. 26 n. 40.* Loco quidem ea prior, at tempore posterior, est illa, quæ *pag. 66* in Christianis loco posteriore legitur, absque numero. Passim enim errare oviculas suas Noster sinit, nota carentes. In quo etiam ejus curam & constantiam agnoscas. Niterent hæ duæ Græcæ inscriptiones, una seculi *Theodosiani*, sermone libero, altera Seculo XIII carmine exarata, in opere *Pocockiano*, si quidem aliis usum modis nactæ fuissent editorem. Carmini quidem est medicina parabilis, & in promtu. At quis edictum illustrissimi sacrorum prætoriorum Præfecti integret? quod cribro pertusius dedit *Pocockius*, cujus integritatem quantivis redemtam vellent juris, historiarum, & institutorum veterum, studiosi. Tentabimus tamen in utroque vires nostras; &, ne tædio Lectores monstrisque lectionum obruamus, quarum copia ingerenda ne jamdum fuerimus nimii, verendum est, ipsas inscriptiones ponemus eo modo, quo eas potuimus restituere; jubentes eos ipsum *Pocockii* librum adire, qui, quanto sudore, quanta animi contentione, ea res nobis constiterit, scire forsitan avebunt. Est autem edictum, quod diximus, hoc: Ἰυλιανὺς Πρίσκος . . . . μεγαλοπρεπέςατος ὕπαρχος τῶν ἱερῶν πραιτωρίων Φλ. Βοηθὸς Θεόδυλος τὸν λόγον ποιύ-

 μενος

μενος ὑπὲρ * Ἀλεξάνδρου τοῦ μεγαλοπρεπεστάτου Κόμητος τῶν θείων πριβάτων, γενικοῦ κουράτωρος τῶν προσιόντων πραγμάτων Πλακιδίᾳ τῇ ἐπιφανεστάτῃ, καὶ Ἰωάννου τοῦ λαμπροτάτου φροντίζοντος καὶ αὐτοῦ πραγμάτων τῆς αὐτῆς ἐπιφανεστάτης οἰκίας, εἴσοδον ποιησάμενος εἰς τὸ ἡμέτερον δικαστήριον ἀτοπωτάτην ἡμῖν προσήγγειλεν πράξεων τελούντων εἰς τὸ βουλευτήριον διὰ τῶν . . . . Κομιζομένους γὰρ αὐτοὺς ἔφησεν παρὰ τῶν συντελῶν τὰ δημόσια χρήματα, μετὰ πανουργίας καὶ τέχνης τὰς πληρωτικὰς ἀποδείξεις τούτοις προΐεσθαι περὶ τῶν ζυγοκεφάλων, ὑπὲρ ὧν τὰς ἀπαιτήσεις ποιοῦνται, μὴ δὲ τῶν καταβαλλομένων χρημάτων ἢ εἰδῶν ταύταις ἐντίθεσθαι τὰς ποσότητας. τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ συγκρύπτειν ἐπιχειρεῖν αὐτοὺς τὴν ἐν τοῖς ὑπεραξίοις αὐτῶν πλεονεξίαν. Ταῦτα διδάξας ἕξει τύπον ἐπὶ τούτῳ δοθέντα κατὰ τῆς ἡμετέρας τάξεως. Ὁ διδάξας Πρίσκον τὸν τῆς μεγαλοπρεποῦς μνήμης ἡνίκα τὸν ὑμέτερον διεκόσμει . . . . . δεδωκέναι τὸν βουλόμενον τοὺς ἑκασταχοῦ πολιτευομένους ταῖς παρ' αὐτῶν ἐκδιδομέναις πληναρίαις ἀποδείξεσιν ἐντιθέναι τῶν τε ζυγοκεφάλων καὶ τῶν ὑπὲρ αὐτῶν καταβαλλομένων εἰδῶν ἢ χρημάτων ποσότητα, &c. *Julianus Priscus, illustrissimus Præfectus sacris prætoriis. Fl. Boethus Theodulus, causam dicens contra Alexandrum, illustrissimum Comitem Sacrarum Privatarum, & generalem procuratorem redituum Placidiæ excellentissimæ* (filia *Theodosii M.* est), *& contra Joannem, pariter illustrissimum Curatorem rerum ejusdem excellentissimæ domus, detulit ad nostrum tribunal modo perverso & improbabili causam, ad Senatum spectantem. Dixit nempe, illos viros nactos opes publicas* (tributa fisco debita) *a contribuentibus, seu pensitantibus, astutia malisque dolis usos, exhibere quidem illis plenarias securitates, de jugis & capitibus* (hominum pecorumve), *pro quibus debita exigunt, non autem nominatim illis inserere quantitates præstitorum numorum, aut specierum. Eo enim modo illos occulto studere exercere suam cupiditatem lucri appetentem in exigendis iis, quæ sibi velut ultra debitum solv* *postu-*

* Indoles Græcæ linguæ κατὰ flagitat.

postulant. Hæc qui denuntiavit, hanc sacram accipiat formam, his verbis conceptam, &c. Mittimus enim illa, e quibus integer confici sensus nequit, jubentes interim, *Novell. Justin. 128 Cap. 3* conferri. Inscriptio, epico carmine exarata, hæc est:

Τήνδε πόλιν πάροιθεν ἀγακλύτην περ ἐοῦσαν
Τείχεσιν μαρμαίρουσιν ἐϋστεφάνοις ἐνὶ πύργοις
Καὶ Χάρισιν βρύουσαν ὅσαι πτολίεθρον ἀέξον
Ἔυστοον, εὐρυαγυῖαν, ἐρίδομον, εὐλοέτειραν,
Ἀλὶ περιμάχητον, ἰδὲ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Χεὶρ ὀλοοῖο χρόνοιο διέσπασεν, ἠΰτε νέβρον
Πόρδαλις ἀγρία. βάλε δέ μιν κατὰ γαίης
Γρηΐ δέ μιν θήκατο πανείκελον, ἰσχνοπαρείῳ
Κάλλος ἀπαλλύνασα καὶ ἀγλαΐην ἐρατεινήν.
Ἀλλὰ Ῥώμης Κοίρανος ὁπλοτέρης Ἰωάννης
Παῖς Δουκοφύτων ἐρικύδων βασιλέων
Οἰκτείρας μογέουσαν ἀποφθιμένην ἰπαείρων
Γῆρας ἀπέξεσεν ἠδ᾽ ἄχμητα τεύξατο γεῖα
Πυκνά τε καρηνὰ καὶ ἄψεα λυγρὰ τονώσας.
Θήκατο κουριδίην ἀπὸ γραὸς πειλακορώνου.
Τένδε τε καὶ βασίλειαν ἀνὰ χθονὸς ἠδὲ πόλοιο
Κάλλιμον, εὐπατέρειαν, ἐπήρατον εἶδος ἀείσῃν
Ὀψὶν ἐπιείκελον Χαρίτεσσιν λευκοπαρείοις,
Φυὴν θ᾽ ὑψικόμοισιν εἰσκομένην κυπαρίττοις,
Θείης εἰς λυκάβαντας ἀπειρεσίους συνανάσσειν.

Hanc urbem, olim celebrem a mœnibus,
In quibus splendebant turres pinnis elegantibus coronatæ,
Et scatentem Gratiis, quotquot urbem beatam efficiunt,
Cui scitæ porticus erant, ampla compita, nitidæ domus,
munda balnea,

De cujus peculio mare cum terra, multos pascente, contendebat,
Manus destructoris temporis discerpsit, velit binnulum
Pardalis sæva, humoque dejecit.
Et anui, genas habenti macras atque rugosas, omnino fecit similem,
Ademta specie & amabili splendore.
At Romæ novæ dominus Joannes,
Ab illustrissimis principibus, Ducarum sanguine, oriundus,
Misertus laborantis, sustulit fatiscentem,
Abstractoque senio, reddidit vigorem membris;
Capiti & trunco robur identidem ingerens.
Quo eam puellam effecit ex anu quinque cornicum ævis æquali.
Hunc igitur & Augustam, mulierum tam hic, quam in cœlo, reginam,
Formosam, nobili stirpe editam, amabili specie omnes superantem,
Vultu similem Gratiis, quibus genæ candidæ sunt,
Et statura cupressis alticomis,
Hos igitur ambos fac jubeque, o Deus, infinitos in annos communi imperio frui.

Spirat nobilius ævum hoc carmen, quam suum, trahitque de *Homero* & *Theocrito* colores. Sed erunt aures, quas claudicantes passim numeri lædent. Laudat hoc carmen *Joannem*, de gente *Ducarum*, Imperatorem, arcis Smyrnæ urbisque instauratorem; illum nempe *Joannem Angelum*, *Theodori Angeli* filium, qui A. 1224 in usurpatione tituli Imperialis obiit, de quo vide *Du Cangii Famil. Byzant. pag.* 207. Carmen hoc illustrat locus *Michaelis Ducæ*, fine *Capitis septimi*, ubi memorat πολίχνιον τῆς Σμύρνης τὸ κείμενον ἐν τῇ κορυφῇ τοῦ ὄρους, ὅπερ φρούριον ἐτύγχανεν ἀκρόπολίς ποτε τῆς παλαιᾶς καὶ

καὶ διεφθαρμένης Σμύρνης, ἀνακαινίσας αὐτὸ προλαβὼν ὀλίγοις ἔτεσιν Ἰωάννης ὁ Δούκας, Βασιλεὺς Ῥωμαίων. Ad quem locum ait *Ismael Bullialdus*, A. 1646 vidisse se illam arcem; sed de inscriptione nostra nihil memorat.

MEMOIRES CONCERNANT CHRISTINE, Reine de Suede, &c.

id est,

COMMENTARII DE REBUS CHRISTINÆ, Suecorum Reginæ, compositi ad illustrandam gesti ab ea imperii, & vitæ ejus privatæ, nec non civilem & literariam ejus ætatis, qua ipsa regnavit, historiam. Quibus subjecta sunt doctissimæ hujus Principis scripta duo, nondum adhuc edita. Totum Opus ex Epistolis Reginæ, Historicis item & monumentis fide dignissimis, tam manu scriptis, quam editis, collectum, & animadversionibus historicis, politicis, criticis, & literariis, donatum. Accesserunt Numi, & Appendix scriptorum, huc maxime pertinentium.

Tomus II.

Amstelodami & Lipsiæ, apud Petrum Mortier, 1751, 4 maj. Alph. 4.

Et pius est, patriæ facta referre, labor. Hoc *Ovidii* judicium eleganter magnificeque secutus fuit Illustris Autor, qui hoc *Tomo* complexus fuit ea, quæ historiam Reginæ *Christinæ* illustrant tum publicam, tum vitæ privatæ adstrictam. Accedunt hisce gestis Numismata, ad *Christinæ* regnum vitamque referenda. Tum sequuntur monumenta, quibus commemorata comprobantur, 88. Recensio duplex Epistolarum Reginæ, in Commentariis allatarum, posthæc lectori offertur. Sententiæ deinceps *Christinæ* & acroamata exhibentur, ab ipsa scriptis consignata, quibus præmissa nunc est Præfatio. In literas redegit *Christina* meditationes ac judicia in vitam ac gesta *Alexandri Magni*. His etiam hic omnino est locus. Præfixit eis

ſuam Autor Præfationem. *Ecloga bucolica de Endymione*, Abbatis *Alexandri Guidi* opus, in notiones Reginæ, quæ ipſam verſibus ornavit, eadem adjicitur ratione. Succedit ei *Panegyricus* in Reginam Sueciæ *Chriſtinam*, a *Freinshemio* Latine ſcriptus, & ab *Hambræo* in Gallicum converſus. *Spanhemii Panegyricum* Autor illi ſubjunxit, recitatum A. 1652. Præterea dantur hic Orationes, aliique Panegyrici, in honorem Reginæ ſcripti. Ut vero Lectores intelligant pervideantque fontes, e quibus Autori viſum fuit ſua derivare, ipſi ex uſu publico viſum fuit, eorum indicia promere, & Autores alphabetico modulo recenſere, quorum pronuntiatis & fide in Opere ipſo concinnando uſus fuit. Accedit Operi Index, numeris omnibus abſolutus. Multum omnino ineſt huic monumento luculentiſſimo, ad umbilicum bonis auſpiciis adducto, frugis egregiæ. Multum ei ineſt lucis ad Hiſtoriam civilem & literariam ævi illius, quod *Chriſtina* illuſtravit, illuminandam. Duo *Chriſtinæ* monumenta literaria nunc demum prodeunt in lucem. Initium fit in Commentariis ab anni 1657 menſe Septembri, quo *Chriſtina* iterum in Gallias proficiſci decrevit, ſaltationi regiæ interfutura, ni pacem Hiſpanos inter ac Gallos adjutura. *Chriſtina* venit ad Fontem Bellaqueum, imminente Octobri, ibique præfectum ſtabuli ſuum magnum, Marchiſium *Monal-*
Pag. 2. *deſchi*, interfici juſſit. Variis rumoribus cædes hæc fuit maculata. Autori viſum fuit, duas enarrationes, ætate facto pares, huc inſerere. Inde intelligitur, *Monaldeſchium* egiſſe proditorem arcanorum Reginæ, ac proditionis reum feciſſe *Sentinellium*, quem oderat, tunc abſentem, Reginæ peræque adminiſtrum. Fugam poſtea circumſpexit *Monaldeſchius*. Regina conſilium ejus occupavit, literis ſuis ipſius productis cauſam dedit aperte planam. Ter ipſe Reginam ſupplex oravit indulgentiam. Tandem, confeſſus crimen proditionis,
5. juſſu Reginæ capite truncatus eſt. Tribus gladiis in conſpectu Reginæ caput ejus cervicibus amputare contenderant adminiſtri aliquot. At Regina meditate & cunctanter ad necem ejus proceſſit, quam tamen rite, nec inter inſultus tumul-

tua-

marios, ei illatam fuisse, negare liceat. Illico variis disputatum fuit ac discordibus sententiis, an Regina, quæ se regno abdicavit, jus gladii retinuisse censenda sit, an in terra aliena, in qua hospitio a Rege excipitur, in hominem, ipsi ministrantem secundum jus fasque ob perfidiæ crimen in ipsam, capitale supplicium valuerit exercere. *Jo. Tesmarus* quæstionem utramque affirmando decidit in Diss. quam inscripsit: *Tribunal Principis peregrinantis*, edita, ac examini publico proposita, Marburgi A. 1675. 4. Nec perfunctorie causam Reginæ peroravit *Tesmarus*, causatus, Reginam a Rege haud aliter exceptam ac honoratam fuisse, ac par parem excipere consueverit, nec ipsam fuisse potestati Regis obnoxiam. Ipsa certe, licet solio sese abdicasset regio, nunquam tamen sua se in administros suos potestate abdicavit. Id ipsum Rex Galliæ, nil in contrarium monens, omnino habuit compertissimum, & approbavit. *Bynckershoeckius* haud aliter sensit. *Barbeyracius* dubiis causam involvit magis, quam extricavit. *Wicquefortius* ad dubitationem jam antea inclinavit. *Leibnitius* pro Regina judicium tulit, a minori ex jure Legatorum in suos administros, intra alienum territorium secum versantes, ad majus rationes ducens. *Marana*, Jurisconsultus item Gallus, Reginam haud injuste potestatem in administrum adhibuisse supremam, decrevit. Adde, quod ipsa luculentis pactis eam sibi reservaverat inter abdicationem solii regii, in conspectu Legatorum orbis terræ peractam. Postea misit Legatos in regna haud una supremos. *Monaldeschius* in perfidiæ crimen ipse tulit sententiam, quæ in ipsum fuit lata, & executioni data. Imprudenter autem Regina ex variis nationibus delegit suos ministros, quorum destinationes ac mores solent parum consonare. Aula Regis Galliæ, rigidiorem æquo statuisse pœnam Reginam in *Monaldeschium*, judicavit, ideoque eam fastidio sui permisit Fonte bellaqueo. *Cromvellius* adventum, quem Regina tentabat in Angliam per *Mondalschum*, humanissime declinaverat. In aula Parisiensi ipsa quidem castitatem haud violavit; voluptatibus tamen reliquis habenas remisit. Invisit ipsa consessum Academiæ Scientiarum Parisiis. Regina Galliæ diuturnitatem commora-

Marginal page references: Pag. 11 (beside "propofita, Marburgi A. 1675"); 14 (beside "& approbavit"); 17 (beside "rum orbis terræ"); 23 (beside "Aula Regis Galliæ"); 25 (beside "tamen reliquis habenas").

morationis *Christinæ* Parisiensis ægre tulit. Rediit Romam
Christina A. 1655 intra jejunium quadragesimale, *Mazarinio* nu-
mos & domicilium Romæ parante. Abiit ipsa Romam mari,
Massylia Liburnum, ac inde Romam, subvecta. Impensæ ipsius
crescebant Romæ, & excedebant summam redituum, e Suecia
ex pacto afferendorum, quibus bellum Polonicum interjiciebat
Pag. 29. moram. Animadvertit Papa ejus indigentiam, attribuitque ei ideo
duo scutatorum millia in annum vertentem ac Purpuratum *Azzo-
linium*, qui domesticas pecuniæ rationes ex usu *Christinæ* mo-
deraretur. Hoc duce res familiaris Reginæ fuit egregie resti-
tuta. Coluit Regina honorifice Purpuratum, eumque suum
tandem instituit hæredem ex asse. Rediit inter hæc Regina
cum Musis in commercium arctius. Cumulavit domum
31. suam numismatibus, statuis, picturis, libris. Displicuit Papæ
propensio Reginæ in Galliæ regnum, & matrimonium, quod
ipsa inter *Sentinellium*, suæ domus præfectum, & Ducem *Ce-
riam*, conciliare studebat. *Anna Gyldener* circa id tempus
Norkœpingiæ in Suecia se finxit *Christinam*, ideoque in carce-
rem conjecta, ac tandem regno expulsa. Obiit *Carolus Gusta-
vus* in Suecia A. 1660. *Christina* reditum in Sueciam anhe-
lavit, ut reipublicæ sub *Adolpho Joanne*, *Caroli Gustavi* fratre,
consuleret, tutore *Caroli* Regis post viduam Reginam, ex te-
stamento demortui Regis, consensu ordinum regni haud mu-
35. nito. Scripsit *Christina* ad *Joannem Adolphum* literas, ab
Autore communicatas, inhians regno, si forte *Carolus* impu-
ber & præmature moreretur. Properavit ipsa Norimbergam
& Hamburgum. Hamburgi ad mandatarium suum, quem
in Suecia habebat, literas misit. Inde Fyoniam & Haf-
niam invisit. Tum vero in Scaniam appulit, & venit Hol-
miam. Petiit ipsa ab assessoribus comitiorum regni, ut acta,
44. olim secum compacta, ibi corroborarentur denuo. Sacerdo-
tes ejus, Missam libere celebrantes, ecclesiastæ ac ideo Regi-
nam ipsam abhorruerunt. Ædicula Reginæ fuit destructa.
Ipsi vitio versum in comitiis, quod contra regni leges reli-
gionem mutasset, ac sese appellaret ex nomine Pontificis Ro-
mani adjecto *Christinam Alexandram*. Secessit ipsa Nor-
kœpin-

kœpingiam, ac, exercitio religionis Pontificiæ ibi privata ex
edicto publico, aliorſum. Denuntiavit ipſa comitiis ſcripto,
ſe eſſe hæredem regni, ſi Rex puer decederet improlis. De- Pag. 48.
nuo itaque huic etiam ſpei renuntiandum ei fuit, utut reditus
annuos haud amitteret, e Suecia in ipſam redundantes. Co-
mitiorum acta haud recenſebimus. Exceſſit *Chriſtina*, cui
Legatus Galliæ *Terlon* erat ubique fere comes, e regno, ſa-
crorum Romanorum celebrationis, per edictum, impos.
Rediit ipſa Hamburgum A. 1661, ineunte Majo. Manſit ibi, 61.
ut reditus ſuos in Suecia moderaretur, annum integrum, ex-
perimentis alchimicis, operam *Joannis Franciſci Borri* nacta,
intenta irrito labore. Comitis *de Ulefeld*, Dani, *Chriſti-
næ* amici, & *Carolum Guſtavum* ad annum usque 1658
miniſterio ſuo proſecuti, ob conſpirationem Malmoenſem,
Danis gratam, in carcerem conjecti, fata ſilentio trans-
mittimus. *Quiſtorpius*, Theologus Roſtochienſis, literas 66.
curavit ſuas *Chriſtinæ* Hamburgi A. 1662, 5 Febr. tradendas,
quibus ei ſuaſit reditum ad Eccleſiam Evangelicam. At ſur-
dæ cantabat melos. *Petrus Lambecius Chriſtinam* Hamburgi
inviſit iterum iterumque, ac duobus Epigrammatibus Lati-
nis proſecutus fuit, vir, cui diſcipuli morem gerere recuſa-
bant, quem inimici crimine heterodoxiæ & atheiſmi onera-
bant, infelici matrimonio, A. 1662 inito, nobilis. Perſuaſit 69.
ipſi *Chriſtina*, ut Romanæ ſe aggregaret eccleſiæ. Profe-
ctus Romam, & ſecutus exemplum patrui, *Lucæ Holſtenii*, ad-
dixit ſe doctrinis Romanorum ſacris, ac Viennæ præfe-
cturam Bibliothecæ primariam obtinuit. Romam revertit
Chriſtina cum magnificentia, & Comitem *Galeacium Gualdum*
miſit in aulas Europæas Legatum A. 1663, allecturum Prin-
cipes ad auxilia Venetis, belligerantibus adverſus Turcos in Can-
dia, ferenda. Scripſit Comes Hiſtoriam belli, Imperatorem inter 72.
& *Carolum Guſtavum* geſti, editam in lucem iterum iterum-
que. *Crequianas* turbas Romanas præterire libet. Interpo-
ſuit *Chriſtina* conatus ſuos, ut Regem Galliæ cum Papa re-
conciliaret. Rex Galliarum *Chriſtinam* ſuſpectavit, ejusque
in Suecia reditus annuos tentavit detinendos curare. Papa

submisit Regi Pisis per transactionem vela, ut dissensionum duritiem duris conditionibus emolliret. Romanis Gallisque invisa *Christina* paravit reditum in Sueciam, repugnantem libero Romanæ religionis, si regnum ipsa ingrederetur, exercitio. Nec potuit ipsa supersedere eo conatu, majora moliens, & regni denuo capessendi spem ingressura. Inter hæc ipsa Romæ ad literas animum revocavit. *Ezechiel Spanhemius*, qui tunc erat Romæ, numismatum Reginæ apparatum lustravit crebro, ac ejus usu instructus fuit ad conscribendum Opus *de Usu & præstantia Numismatum.* Ad tantum monumentum exigendum Regina ipsa ei stimulos subdidit, eodem tem-
Pag. 84. pore A. 1665 feriri jubens numisma, cui *Minerva* galeata, adjecto *Christinæ Reginæ* nomine, & in postica parte Phœnix ardens, cum inscriptione ΜΑΚΕΛΩΣ, impressa sunt. Quid vero sibi vult illud *Makelos?* Regina tandem professa fuit, vocabulum id esse Suecicum, cui potestas sit denotandi *incomparabilem & hominem thalami exsortem.* Confer Celeb. *Kœleri Delicias nummarias Tom. VIII pag. 429,* & *Brenneri Thes. Num. Tom. IV n. 2.* *Texeiram*, Legatum *Christinæ*, Hamburgi commorantem, ac magistratum ibidem, gravissima lis distinuit. Hic enim noluit, illum, inscio ac invito magistratu, Hamburgo discedere. Coiit gratia pacis resarta. Re-
88. vertit *Christina* Hamburgum, ut reditus suos annuos, e Suecia sibi obtingere solitos, in ordinem redigeret. Senatus regni Sueciæ, quo minus de eis novi quid constitueretur, intercessit. Hamburgi commercia *Christinæ* fuerunt cum doctis, &
105. præcipue cum Astronomo *Lubienicio.* Viso apud Dominum *Lüders* inter apparatum nummarium splendidissimum numismate, cui *Christina* curaverat in postica coronam regiam cum epigraphe: *Et sine te*, insculpi, ipsa indignationem, pœnitentiæ ob regnum abdicatum seriæ indicem, aperte præ se tulit. Discessit ipsa Hamburgo A. 1667, 29 April. ac per Daniam trajecit in Sueciam, in qua jam A. 1664, 23 Aug. patres comitiorum regni constituerant honoris modum, quo *Christina*, si forte rediret, esset excipienda ac prosequenda. Constitutionem eam apud Autorem lectori venire obviam, in transcursu mone-

monemus. Comitabatur Reginam *Santinius*, Abbas & sacerdos Tuscus, deliciis plus, quam muneri sacro, deditus. Ionkœpingii occurrit Reginæ nuntius regni Sueciæ, celebrationem *missæ* prohibens. Haud annuit mandato Regina, nec a more suo destitit. At Ordinum regni ac ministerii regalis interdictum fuit repetitum, ac cum Regina Norkœpingii communicatum. Excessit igitur ipsa e regno, & Hamburgum repetivit, querelas suas ad Regem Sueciæ inde emittens, ac lenius proximis e comitiis decretum exspectans. Petiit ipsa a proceribus, ut sibi liceret reditus annuos e Ducatu Bremensi ac Verdensi substituere reditibus, e Pomerania Suecica sibi reservatis. Optio ipsi fuit indulta, eo quod Batavos inter & Suecos interposuerat egregiam suam operam, & Clerici spem alebant reducendi ipsam ad sacra avita. *Alexander VII* Papa obiit A. 1669, humaniorum literarum fautor, & *Nuntius* per Germaniam, qui cum in eo esset, ut Protestantium sacris se aggregaret, territus cognati Comitis *Pompeji*, idem institutum amplexuri, nece venenata Lugdunensi, ac illico purpuram nactus, a proposito desciverat. Nepotismo totus fuit addictus colendo, quanquam vultus erat multa & præclara minantis. *Donnæ Olympiæ* ad eum haud patuit aditus. Jesuita *Pallavicinius*, ejus a confessionibus peccatorum, Panegyricum in ipsum scripsit, Pontificatui admotum, qui jam cœperat formis publicis describi. At supprimendus erat, ex quo *Alexander* Nepotismo latam aperuerat fenestram, & *ex sanctissimo Patre factus erat homo*, uti judicabat *Pelzhofferus*, Catholicus Austriacus. Purpurato *Julio Rospigliosi* obtigit, Regina, *Farnesium* fore Papam, verente, Pontificatus Romanus, & ipse sumsit *Clementis IX* nomen A. 1667, 20 Jun. Igne artificiali ac ludicro *Christina*, gaudiis plena, frontem domicilii sui Hamburgensis, verbis Marchisii *del Monte* annuens, illustravit ad 15 Jul. superimposita eucharistiæ figura intra nubem, ab Angelis adorata, & infra eam posita Ecclesia in habitu Pontificali, quæ hæresin pedibus proculcare visa. Fontes duo artificiosi effundebant vinum. Plebs, hoc incensa, lapides projecit in decorationis monumenta, & custodes militares in-

Pag. 113.
119.
125.

trorsum compulit. Minister Reginæ e fenestra percussit unum e tumultuantibus sclopeto excusso. Insultus plebis inde crevit. Metuendum erat Reginæ a direptione palatii sui. Ipsa per posticum cum Principe Hesso-Homburgico evasit, induta vestitum fœminæ Hamburgensis. Præfectus militiæ oppidanorum armata manu globum inquietæ multitudinis disjecit. Postridie Regina instar triumphantis in palatium fuit reducta, & distribuit inter vulneratos, quorum duo dicuntur fuisse mortui, 2000 joachimicos. Morata ibi fuit posthæc per annum, & quod excurrit. Venit A. 1668 Sept. mense Stadam, ibique a campiductore *Wrangelio* honorificentissime fuit excepta. Lustrationi militum interfuit, equitem se fingens, &, imperium exercitandi militis usurpatura, ob defectus admissos derisa. Hamburgum redux, proceres saliari excepit convivio. Octobri mense discessit Luneburgum, inde Norimbergam & Oenipontem, ac tandem Romam. Papa eam, itinere defungentem, nummis aureis argenteisque donavit, ac, sumtibus suis

Pag. 131. ejus per terras suas iter sublevare, e re duxit publica. Magnifice ingressa fuit Romam. *Clementis IX* aula splendore eminuit. Nepotes ejus, honorifice vivere soliti, posteris gaudent Principibus, quorum enitet in hunc diem par generi honos. *Christina*, sumtibus indulgens, poposcit promta argenti remedia e Suecorum manu tarda. Decessit *Clemens IX*, eique successor datus *Clemens X* A. 1670, cujus nepos, Purpuratus *Altieri*, moderatus fuit reditus terrarum Pontificiarum. Magnificentia ubique eluxit. Spectaculis frequentia indulta scenicis.

135. *Christina* inter hæc nonnihil temporis & beneficiorum transmisit scientiarum & eruditorum ornamento. Scripsit ipsa ad *Ottonem de Gerike*, filium, qui Reginæ miserat patris librum, experimentis antliæ pnevmaticæ plenum, A. 1654 publicatis. *Academiam Arcadum*, seu scientiarum suam, Regina constituerat Romæ, ac sodales allegerat. *Joannes Marius Crescimbeni* eam descripsit, ac Reginæ fundamenta ejus tribuit, dicatæ literis humanioribus instaurandis, ac Poeticæ Italorum amplificandæ. Disserit de ejus origine ac institutis Ill. Autor luculente. Inscripsit *Joannes Mabillonius Christinæ* librum suum

de

de Liturgia Gallicana, usus, Regina renuente, appellatione *Reginæ Serenissimæ Succiæ*. Coluerunt Reginam ejus studiosissimi familiares & administri, *Cassinus* & *Giordanus*, Mathematici admodum illustres. Cometam *Cassinus* cum *Christina* spectavit Romæ in palatio Chigiano, anno 1664 exeunte, sat sedulo. *Cassinus*, hypothesin *Auzuti* Galli, qui ephemeridas Pag. 146.
cursus cometarum condiderat, re ipsa, adstante & gaudente Regina, veritati congruere, deprehendit. Rediit paulo post in Galliam *Cassinus*. Summi fecit *Christina Vitalem Giordanum*, *Fortunatum Licetum*, *Octavium Ferrarium*, *Vincentium Nogeram*, Lusitanum, qui Romæ agebat, Ducem Bressensem, *Franciscum Gotkefredum*, *Petrum Bellorium*, *Joannem Borellum*, nec non exteros, ac inter hosce *Nicolaum Heinsium*, *Ezechielem Spanhemium*, *Thomam Chiffletium*, *Joannem Christophorum Wagenseilium*, *Lucam Holstenium*, *Krausium*, Profess. Med. Jenensem, *Matth. Wasmuthum*, *Gilb. Burnetum*, *Missonum*, Suecos, *Sparvenfeldium*, & *Olivekranzium*. Misit ad eam *Octavius Ferrarius* A. 1669 Panegyricum suum in *Ludovicum XIV*, qui Autori conciliavit annuam pensionem 500 joachimicorum ad septennium. *Lucas Holstenius* Bibliothecam Reginæ ordinavit, Catalogum Manuscriptorum instruxit, ea scriptis suis adornandis adhibuit, partem Manuscriptorum suorum *Christinæ* addixit per testamentum, & legatum egenis Suecis (Canonicus enim erat ad S. *Petri*) destinavit, Romæ degentibus, & Romanæ Ecclesiæ aggregatis. *Athanasium Kircherum*, quem Roma Germanum tunc habebat Jesuitam famivendulum, magno *Christina* 150.
in pretio habuit. *Christina* & ipse Papa Regem Sueciæ movere inter hæc laborarunt ad subveniendum Poloniæ contra Turcos. Papa literas dedit ipse A. 1672 ad Regem *Carolum XI*, qui responsum misit ad *Christinam*, haud respondens votis, eo quod Suecis ex usu Regis Galliarum in Germaniam erat irruendum, invito senatu & exitu tristi, qui ad tempus *Christinæ* reditus Suecicos sufflaminavit. Testamur gesta & literas *Christinæ*, cum Lectore hic communicatas. Scaniam tamen recuperavit e Danorum manibus *Carolus XI*, & Gallus

 Ele-

Electorem Brandeburgicum, ut Sueci sua intra Germaniam reciperent, movit. *Christina*, pace Neomagensi composita, multum a Suecis poposcit argenti. *Innocentius XI* fuit Papa electus, licet Gallia & *Christina* mallent eligi Purpuratum *Conti*. *Innocentius* decessorum æs alienum sustulit, ac
Pag. 185. restituit ærario Apostolico honorem priscum. *Christina* Molinosismi in suspicionem venit, siquidem *Molinoso*, in carcerem conjecto, in dies ex culina sua dapes submisit. Commercium epistolare, quod *Christina* cum *Daciera* intercessit, omittere cogimur. *Dacieriæ* vitam æque prætervehi libet.
189. *Ferdinandi*, Episcopi Paderbornensis, ejusdem generis commercium silentio involvimus. Religione *Christinam* prorsus caruisse, Autor negat, absolvitque eam ab Astrologiæ judicia-
208. riæ nævo. *Carolus XI* & *Christina*, fœdus Suecis cum Gallo
243. male vertere, tandem judicarunt. Ad *Petrum Balium* scripsit *Christina* epistolam, ægre ferens reliquias Protestantismi, quas *Balius* ipsi tribuerat. A. 1686 domum *Mariæ Lau-*
247. *retanæ* & antrum Foligniacum ipsa invisit. Redeunti Papa *libertatem domicilii* noluit impertire, quæ erat asyli privilegium. Præcessit utrinque insignis concertatio. *Christina*
258. sponte sua ei haud renuntiavit. *Ludovici Marraccii*, qui erat a Confessionibus Papæ sacris, operam adhibuit *Christina* ad placandum *Innocentium*, & ab illo ad epistolam unam duo invicem repugnantia retulit Papæ decreta. Noluerat a ministris justitiæ Pontificiis ipsa ministros ipsius in jus & ad pœnam abstrahi. Papa ei demit pensionem 12000 joachimicorum annuam. Respondit ipsa, sibi haud ægre fieri, liberatæ
261. nunc ab obligationis debito, quo fuerit Papæ obnoxia. *Ludovicus XIV Christinæ* animum accendit, eique ob communitatem causæ opem quamcunque promisit. Papa, *Christinam* lenius habens, Legatum Regis Galliarum e communione ecclesiæ ejecit. Rex refrænavit autoritatem Papæ in terris suis, ac abusus, Romæ probatos, notavit publice A. 1687. Papa moram temporis in præsidium adscivit. *Christina* causæ nondum definitæ fuit immortua A. 1689 ad 15 diem mensis Aprilis.
267. *Lavardinus*, Galliæ Legatus, decem diebus post discessit, veri-

tus,

tus, ne ipse in quæstionem vocaretur, qui ne Papam quidem viderat. Papa obiit 12 Aug. *Alexander VIII*, in ejus locum surrogatus, Legatum Galliæ novum, *Chaulnes*, movit, ut libertati domicilii renuntiaret. Defixum retinuit *Christina* in scientias bonasque literas animum ad mortem usque. Cum *Olivekranzio* variis egit literis de eruditorum libris sibi conscerandis. Nobilissimam *de Scudery* haud unis ornavit epistolis. Principem Condensem, ejusque egregias virtutes, auro contra supraque caras esse, sibi persuasit. *Carolum XII*, cujus primaria erat fidei Christianæ & baptismalis omnino testis, ejusque sororem, *Hedewigam Sophiam*, haud unis compellavit epistolis. Haud vacat, reliquas, hic obvias, percensere epistolas. Præsto fuit *Christinæ*, vita excessuræ, P. *Slavata*, Bohemus, magnus vicarius Carmelitarum discalceatorum. Postridie, quam obiisset, corpus ejus vespertino tempore ad templum S. *Mariæ* in Vallicello fuit translatum, Papa sic jubente. Inde deportatum est in templum S. *Dorotheæ*. Postera luce expositum fuit pompæ funebri in lecto, corona in capite & sceptro in manu conspicuum, inter trecentas ceræ albæ faces. Parietes templi luctum adscito nigrore diffuderunt. Exequiis magnificis ei justa fuerunt soluta. In sepulcrum suum insigi *Christina* voluit modo hæc verba: *D. O. M. Vixit Christina annos LXIII.* Inscriptionum mira exstitit vis & multitudo. Corpus *Christinæ* in templo S. *Petri* subterraneo, cui nomen *cryptæ sacræ*, ubi Paparum & Cardinalium Decanorum multa visuntur sepulcra, juxta statuam marmoream, quæ Servatorem repræsentat, & tumbas *Hadriani IV* ac *Pauli II*, fuit repositum. Superficiei plumbeæ inserta hæc fuit Inscriptio: Pag. 309

D. O. M.
C H R I S T I N A A L E X A N D R A
Suecorum, Gothorum, Vandalorumque
Regina
Hæresi abjurata
Terrenoque Regno ob Cœleste abdicato,
Anno reparatæ Salutis M D C L X X X I X
Die decima nona Aprilis
Orta anno MDCXXVI die 18 Decembris.

Inno-

Pag. 311. *Innocentius XII* epitaphium ei sumtibus suis paravit, quod *Clemens XI* consummavit, addito numismatis honore, quo memoriam *Christinæ* condecoravit. Exhibuit hoc Autor *pag. 313* Rex Sueciæ, comperta *Christinæ* morte, reditus, *Christinæ* olim quotannis exsolutos, fisco suo addixit. Bibliothecam *Christinæ* ab *Azzolino* emit *Alexander VIII* 8000 joachimicis. Erant in ea 1900 Codices manuscripti. Intulit, paucis e sua Bibliotheca additis libris, Papa eam in Vaticanæ locum separatum, eique imposuit nomen *Bibliotheca Alexandrinæ*. Catalogum manuscriptorum illorum Codicum evulgavit *Bernardus Montfauconius* in *Bibliotheca Bibliothecarum Diatr. prælimin. pag. 9*, & operis *pag. 14 - 97*. Ex eadem *Christinæ* Bibliotheca restant in Bibliotheca palatii *Ottoboniani* 7000 volumina & complura MSta, quorum nonnulla in dorso notata sunt voce *Makelos*. Numismata, statuas, picturas, & opera rariora, arte facta, quæ collegerat *Christina*, sui juris fecit *Livius Odescalchi*, nepos *Innocentii XI*, 3150 exsolutis joachimicis. *Missonus* in hoc apparatu stupuit. *Chiffletius*, numismata ea a sese descriptum ac illustratum iri, promisit.

324. Spei haud respondit eventus. *Sigebertus Havercampus* commentariis suis tandem & Latinis & Gallicis apparatum illum, æri incisum, explicavit, ediditque Hagæ Comitum A. 1742, fol. At cave, ne, hic exhiberi, credas, universa. De statuis, a *Christina* collectis, nonnihil dissеruerunt *Chanutus Missonus*, & *Bernardus de Montfaucon Antiq. expliqu. Tom. I P. I pag. 112 seq. & Tom. II pag. 193.* De picturis *Christinæ* adeundus est Autor, qui nonnihil subjecit earum mentioni. Quo minus seriem numismatum, regnantis & degentis *Christinæ* jussu, vel in honorem ipsius, cusorum, repetamus, impedimur ea, qua jam usi fuimus, copiosiori expositione. De operibus & acroamatibus, Appendicis loco in lucem prolatis, non est, quod dicamus, nisi hoc unum, duo ex illis antea nondum fuisse evulgata. Liceat tandem fateri, Illustrem Autorem re ipsa, quantum honoris sit summis personis etiam post earum obitum merito habendum, solide ac diserte ostendisse. Exspectamus adhuc argumenta & persuasiones, quibus *Christina* ad religionem

nem

nem deferendam fuerit deducta, & quibus artificiis, quibusque hominibus, tantum operis fuerit instructum & consummatum. An Lectorum singulis Epistolæ singulæ, Operi insertæ, futuræ sint ad palatum, nostrum non est, definire.

CHRISTOPHORI SAXII ORATIO PRO ANTIquitatis scientia, publice in Acroaterio majore Trajecti Batavorum recitata ipsis Calend. Februariis A. P. N. MDCCLIII, cum solenni ritu formulaque Antiquitatum & humaniorum literarum Professor extra ordinem inauguraretur.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Joannis Brœdelet, 1753, 4 maj.
Plag. 8¼.

Cum, quæ regio quondam summos tulit bonarum artium honestarumque literarum vindices & assertores, in ea non languescere modo, verum contemni etiam, hodie studia humanitatis, viri docti passim conquerantur; opportune profecto atque e republica agere putandi sunt illi, qui, cum tanquam in specula publice constituti sint, ut pro dignitate eruditionis omnis atque integritate vigilent, id etiam sibi muneris datum existimant, ut dicant pro eadem, ejusque causam, contra imperitos, ad eos agant, quorum exemplo & autoritate refelli isti facillime posse videantur. Ac nactæ sunt sane literæ in Viro Clarissimo, *Christophoro Saxio*, patronum, tanto facundiorem gravioremque, quanto ejus exquisitior est in omni eruditionis varietate scientia, quantoque amplior ad agendum locus, in quo earum se patronum professus est. Dixit igitur pro *antiquitatis scientia*, in ipsa illa bonæ mentis sede, in qua plurimos eadem semper repererat sui amatores. Etsi vero ea est rationum indoles, ut vitam iis spiritumque subtrahere velle videantur, qui mittant eas in compendium, tamen; cum non verborum modo, sed argumentorum etiam, ponderibus rem gerat Doctiss. Autor, hæc liceat nobis, sed breviter, pro instituti nostri ratione, replicare; illa autem iis recogno-

ſcendi relinquere, qui, quam probabilis ipſe ſit Orator, judi-
care geſtiant. In *duas* igitur *Partes* deſcribere nobis Oratio-
nem ſuam videtur, quarum *prior* antiquitatis ſcientiæ digni-
tatem præſtantiamque ex eo oſtendit, quod ſub renaſcentium
literarum tempore majores noſtri Græcarum Latinarumque
artium decora propterea in uſum humanum revocarunt, ut
Pag. 12, 13. cum dictionis & verborum caſtitate rerum artiumque pulchri-
tudinem inſtaurarent. Qua in re minime illos eventum de-
ſtituiſſe, ex eo probat, quod omnis doctrina ſublimior ex eo
tempore lætiorem formam recuperavit, quam tamen ſine li-
terarum præſidio retinere diu non poſſit. Nam, cum omnis
elegantia judiciique ſubtilitas tribus cauſis naſcatur, *lectione*
& *contemplatione* ejus, quod conſtans fama optimum in ſuo
genere prodidit, accurata pulchri *obſervatione*, & ſolerti rei
14. eximiæ *æmulatione*; neque vero aut in Eloquentia, aut Poe-
15. ſi, aut Philoſophia, aut Hiſtoria, aut ſculpendi pingendique
arte, aliquid præſtantius eo, quod ab antiquitate ad nos
manavit, reperiatur; nobis quidem ſatis, contra ignavam
quorundam inertiam, aut ambitioſos illos ſeculi *Ludoviciani*
buccinatores, perfeciſſe illud, quod inprimis quærebat, vide-
18. tur. Nempe, cum altiora ſtare inferioribus oporteat, doctri-
nam ſubliniorem elegantioris cognitione; hæc autem, niſi
19. antiquitatis ſcientia probe imbuerit animos, eſſe nulla poſſit;
merito, hanc qui velut exiguam mediocrisque utilitatis con-
25. temnendam putet, eum non modo rudem artium, ſed oſo-
rem & prope alienum ab humanitatis ſenſu, pronuntiat. Re-
ſtat *poſterior* Orationis *Pars*, in qua antiquitatis ſcientiam ab
reprehendentium criminibus vindicat. Cum duplici hic na-
tione congreditur: altera, quæ idoneum rebus pretium ſtatue-
re nequeat; altera, quæ, juſtam ex laudis poſſeſſione dominam
per imperatorum factiones dejectura, tantum doctrinæ ſuæ
26. acceſſurum eſſe putet gloriæ, quantum illi detraxerit. Quid
utraque contra literas dicat, audiamus. Surgit illa, mollior
quippe ac delicatior, primum, ac, nihil antiquitatis ſtudium
ad bene beateque vivendum conducere, nullum in vita civili
uſum hodie habere, atque in minutulis ſæpenumero quæſti-
uncu-

unculis, *de coma*, *de fibulis*, *de calceis*, *de vestibus*, bonam ætatem consumere; præterea in syllabis & erroribus librariorum, monetariorum, vel lapicidarum, versari; ceterum omnem rerum antiquarum memoriam difficilibus nugis & fabulis abundare, recentiorem contra solam urbani, & in spem illustrium honorum educati, hominis opera dignam videri, ingenti vociferatione criminatur. Non novum hoc crimen est; quo igitur pacto sublatum illud e medio sit, quisque bonus facile divinabit. Nunc altera, inimica bonis literis, gens ad Pag. 51.
dicendum prodit, sed æmula, & antiquitatis ruinis suam superstructura existimationem. Quam ut placabiliorem sibi reddat, primo monet, pervetustam esse hanc, de artium præstantia, pugnam; quæ tamen non tam inter artes, quam ea- 52.
rum asseclas, committatur, orta vinculi, quo universa erudi- 53.
tio constringitur, solutione, unde etiam discidium illud exstiterit *Grammatices* & *antiquariæ eruditionis*, quarum altera sine altera nec fuerit olim, nec esse facile possit. Hæ sunt 55 seq.
primæ velut lineæ Orationis pulcherrimæ, & multis luminibus distinctæ, ab ipsa etiam dictionis elegantia & castitate inprimis laudandæ. Initium ejus verecundam Oratoris modestiam, finis gratum animum commendat Autoris, qui ut Batavorum cœlum sibi, homini Germano, diu benignum experiatur, novumque illustri Trajectinæ scholæ decus conciliet, ex animo optamus, vovemus.

APOLOGIE DE MR. L'ABBÉ DES PRADES.

hoc est,

APOLOGIA DOMINI ABBATIS DE PRADES.

Partes III.

Amstelodami, sumtibus Chatelaini, 1753, 8.

P. I plag. 4, P. II plag. 13, P. III plag. 3.

P*rima Pars* historiam motuum, Abbati *Prades* suscitatorum, breviter enarrat, quamque omnia meris partium studiis acta sint, ostendit. Neque enim auditus est *Prades*, etiam cum offerret, se retractaturum, cumque necessarium videretur, ab ipso postulare explicationem thesium, quae obscurae judicibus videbantur, neque examinata momenta caussae a doctoribus, in conventu per *plurima* rem decidentibus, quorum multi, ut numerus essent, saltem accesserunt, ne quidem lecto Abbatis scripto. Venit Pastor ad aedem S. *Germani*, (*Curé de S. Germain, l'Auxerrois*,) id saltem pronuntians, *Tamponeti* voto se accedere. Interrogatus, sciatne, quae *Tamponeti* sit sententia, nihil id referre, respondit: jussum enim se esse, ut ejus sententiam, qualiscunque esset, voto suo firmaet, idque se facturum. Egregie huc quadrat *Pascalis* jocus: *Facilius reperiri monachos, quam rationes.* Subjungit Abbas Disputationem suam, addita versione Gallica.

Nos *secunda Pars* potissimum occupabit, quae propositiones, sub censuram vocatas, exhibet & tuetur. Longum esset, omnes huc transscribere, neque ad incrementum eruditionis multum conferret. Aliqua decerpemus. *Primo* offendit censores, *ex sensationibus, ceu ramos ex trunco, omnes hominis cognitiones propullulare;* item phrasis: *Mens ignea terrena facis nil habet.* Materialistica haec visa sunt. Ideas innatas negare, piaculum visum fuit, quas, ostendit Autor, cum *Cartesius* primo illas renovaret, a Theologis *Aristotelicis* magno fervore fuisse impugnatas. *Secunda thesi* socialitatem everti judicarunt, cum illa jura ordinemque societatis tueatur. *Tertia* haec est: *Maxime distinguendum inter religionem supernaturalem & revelatam; omnes religiones (si unam excipias veram) praestat sane theismus ille, siquidem a veritate degeneres, lexque naturalis in theismo non est decolor;* vel, *ipsa religio revelata nec est, nec esse potest, alia a lege naturali magis evoluta.* Hoc assertum in ruinam religionis supernaturalis tendere, pronuntiarunt. Sed ad revelatam religionem ea refert Autor, quae, cum pervia sint rationi humanae, propter simpli-

ſimpliciores tamen inſeri revelationi debuerunt, qualis eſt immortalitas animæ, & ſtatus felicitatis, vel pœnarum, poſt mortem. *Theiſmus*, recentiore orthographia a *Deiſmo* diſtinctus, ea conditio animi eſt, qua de naturali religione perſuaſus, revelatam quærit, eique accedere paratus eſt, quamprimum idoneis argumentis convincitur.

Quinta Propoſitionum damnatarum, (quod autem vitium huic & quartæ, in qua quæritur, quæ vera ſit inter tot religiones, ſingulas ſuos martyres, ſua miracula, oſtendentes, inſit, Cenſores non docuerunt,) ſubjicit Diſſertationem *de certitudine factorum*. Eam a probabilitate diſtinguit, neque fert, calculis illam, quaſi probabilitatis gradus eſſet, ſubjici. Certum vero illi eſt, quod teſtibus quamplurimis, quorum vel oppoſiti ſunt fines, vel ſaltem ad id, quod pro vero venditant, hominibus perſuadendum non tendunt, confirmatur. Miraculorum certitudo eodem modo efficitur, quo factorum naturalium, ſed, quia recedunt ab ordine naturæ, probabilitatem majorem illorum homines poſtulant, cum naturalia facta ipſa magis credibilia ſint, hincque minori probabilitate ſuffulta, jam pro veris habeantur. Poſthæc varia, quæ Autor Cogitationum philoſophicarum (*Penſées philoſophiques*) miraculorum fidei objecerat, removet, & de traditionibus, orali, ſcripta, & monumentorum, agit.

Sexta Propoſitione Moſes ceteris Hiſtoricis audentior vocatur, qui epocham mundi conditi definire non dubitaverit. Vox *audentior* offendit Cenſores, injuriamque *Moſi* illatam queruntur. Sed docet eos hic Autor, in bonam partem apud Latinos accipi. Deinde ibidem tria Chronologiæ ſyſtemata in ſcriptis *Moſis*, non ab Autore divinitus inſpirato ipſo profecta, ſed ab aliis inſerta, ſtatuerat, cum Hebræi textus, Samaritani, & Verſionis LXX, ſingulæ Chronologiæ quælibet ſecum conſentiat, ex altera vero per corruptionem MStorum deduci non poſſit. Iis, qui quærerent, cur omnino non conſtet, quando hæc annorum inſertio facta ſit, reſpondet, non magis conſtare, quæ *Eſras* in textu Pentateuchi mutaverit, etſi, nominibus locorum an-

 tiquis,

tiquis, quæ suo tempore in usu erant, substituisse, variaque inseruisse, certum sit.

Septima Propositio pœnas unice temporales, præmiaque similia, in lege *Mosaica* agnoverat, dignitati legis *Mosaicæ* eapropter contraria visa. Ut eam defendat, tum ex historia populi Judaici ostendit Autor, obedientiam præmia, inobedientiam pœnas mere temporales, secutas esse, hucque trahit, quæ de cultu Israelitarum typico nota sunt. Judæos alternam felicitatem exspectasse, non dubitat Autor, sed non quasi cum obedientientia, legi *Mosaicæ* exhibita, connexa fuerit. Breviter, in *lege Mosaica* distinguit *œconomiam civilem & politicam* a *religione.* Hæc Patriarcharum erat, & sine dubio cœlum versus tenderat, illa cum *Mose* orta.

Magnos etiam motus suscitarunt enuntiata de miraculis, præcipue illud, quo, *morborum curationes, a Christo peractas, si seorsim sumantur a prophetiis, quæ in eas aliquid divini refundunt, æquivoca esse, miracula esse, utpote illarum haberent vultum & habitum, in aliquibus curationes ab Æsculapio factæ, cum,* Tertulliano *autore, lædant dæmones, dehinc remedia præcipiant, &, postquam desierunt lædere, curasse credantur.* Ostendit vero Autor, hanc sententiam doctoribus Romano-Catholicis quampluribus placuisse, quod miracula independenter a vaticiniis, quibus prædicta sunt, veritatem religionis Christianæ non probent. Diaboli potentiam humana multo majorem Theologi statuunt; aliqui, vera ab eo perpetrari posse miracula, credunt: cum quibus tamen Autor non facit. Scriptura tamen teste, ignem cœlitus in *Jobi* greges demisit, virum patientissimum morbo crudelissimo afflixit, Servatorem ipsum in summum templum transtulit, ejusque auxilio Antichristus talia perpetraturus est miracula, quæ vel electos ipsos seducere possint. Inter miracula hæc, quæ Antichristus sit perpetraturus, Patres Ecclesiæ morborum sanationes expresse referunt, ajuntque, leprosos mundaturum,

rum, paralyticos excitaturum, dæmonia expulsurum (*Hippolytus* Martyr Tr. de Antichristo). Quod, claudos, & ab ipsa nativitate mutilos, sanasse Christum, memorent Christiani, consentanea hic dicere videri, quæ ab *Æsculapio* facta esse feruntur, *Justinus Martyr Apolog. I pro Christ. n. 10* pronuntiat. Pluribus aliis locis adductis firmat, non aliter de Christi miraculis se locutum, quam Scriptores, ab Ecclesia sua probati, locuti sint, ubi multa de potentia dæmonum, præcipue in morbis sanandis, aliqua etiam de mirabilibus, quæ naturalibus ex causis orta sunt.

Denique & id offendit, quod, non simpliciter Patribus & Scholasticis credendum, sed rationes illorum ponderandas, statuit. Singulare quid factum est in censura, contra hanc thesin exercita. Primo ea asserti pars, quæ ad Theologos Scholasticos pertinet, damnata fuit, neglectis Patribus. Defensurus se Autor, monuit, mirari se, cur Scholasticorum autoritatem judices tueantur, Patrum obliti. Hinc in ultimo conventu, ubi non amplius de examine thesium, sed de votis colligendis, agebatur, Patres adhuc additi sunt. Sed hæc de controversia hac sufficiant, in qua, negari non potest, Abbatem fere se æquioribus & prudentioribus excusasse.

Tertia Pars instructioni pastorali Episcopi (d'Auxerre) respondet; igitur, si illam excerpere vellemus, adducendæ essent primum Abbatis sententiæ, post, quas ob causas Episcopus illas damnaverit, denique Abbatis defensio; quo labore sat tædioso nihil sane ad eruditiores reddendos Lectores nostros conferretur. Libellum ipsum novarum rerum curiosi legent non sine voluptate, nec sine fructu aliquo, saltem ad cognoscendum eruditionis in celeberrima inter Romano-Catholicos Facultate theologica statum.

VINCENTII RICCATI, S. J. PRESBYTERI, de Usu motus tractorii in constructione æquationum differentialium Commentarius.

Bono-

Bononiæ, e typographia Lælii a Vulpe, 1752, 4.
Plag. 9, Tabb. æn. 3.

Cum jam conſtet, æquationes differentiales, in quibus indeterminatæ ſeparari poſſunt, ad quadraturas reduci, ſæpiſſimeque integrari; omni conatu Geometræ in ſeparationem indeterminatarum incubuerunt. Sane proſtant methodi integrandi æquationes non ſeparatis indeterminatis, ſed tales fere, quæ nulli ſint uſui, niſi cum ſubſtitutionibus idoneis poſſit res ad ſeparationem reduci, excepta methodo *Euleri* in *Tomo VI Comm. Petr.* a rectificatione ellipſis pendente, ſed laborioſiſſima. Idem vero *Eulerus* ſimilis æquationis, in qua ſeparari nequeunt indeterminatæ, conſtructionem dedit ope motus tractorii, quam ſine demonſtratione legit Autor in opuſculo Dom. *Clairaut*. Inveſtigavit demonſtrationem, eaque potitus eſt. Hæc origo eſt libelli, cujus *Capita* recenſebimus.


Capite I oſtendit Autor, formulam $TTdt = ppdt + dp$ tractorii motus ope conſtrui poſſe. Data ſcilicet curva quavis, deſcribatur ejus tractoria, quod fieri quadruplici modo poteſt. Si enim convexitati curvæ datæ (*baſin* hanc curvam nominat Autor,) applicet filum, deſcribens tractoriam, vel tangens conſtans tractoriæ, poteſt motus, quo deſcribit, vel verſus eas partes dirigi, ubi baſis recedit, ab abſciſſarum linea, vel verſus partes, ubi accedit, ſimilisque duplicitas obtinet, filo convexitati applicato. Deinde, comparata tractoria cum baſi, reperit æquationem hujus tractoriæ ope conſtruibilem $\frac{abdq}{\sqrt{(bb + qq)}} + qdx = bdy$. Signa terminorum omnium, præter ſiniſtimum, variant pro quadruplicitate motus expoſita, & q datur per x, y. Ex hac æquatione alias, quæ ſimiliter conſtrui poſſunt, deducit. Sed præſtat in re nova, methodi partem principem Autoris verbis exponere.

TAB. V Fig. 1. Ducatur FH ordinata tractoriæ (*Fig. 1*), tum FL parallela axi, quæ baſeos ordinatam GE productam, ſi opus, ſecet

secet in L; deinde accipiatur GM æqualis cuicumque constanti, quam voco $= b$, & agatur MN parallela filo FF, sive ejusdem tractoriæ tangenti. Vocetur constans longitudo fili $= a$, $GN = q$, $KH = \dot{z}$, differentia ordinatæ

$+ adz$

TAB. V ad Nov: Ac



$\sqrt{(bb + qq)}$

+

 D

Bononiæ, e typographia Lælii a Vulpe, 1752, 4.
Plag. 9, Tabb. æn. 3.

Cum jam constet, æquationes differentiales, in quibus indeterminatæ separari possunt, ad quadraturas reduci,

verbis exponere.

TAB. V. Fig. 1. Ducatur FH ordinata tractoriæ (*Fig. 1*), tum FL parallela axi, quæ baseos ordinatam GE productam, si opus, secet

fecet in L; deinde accipiatur GM æqualis cuicumque conftanti, quam voco $= b$, & agatur MN parallela filo FF, five ejusdem tractoriæ tangenti. Vocetur conftans longitudo fili $= a$, $GN = q$, $KH = z$, differentia ordinatæ FH erit $= \frac{\pm}{\mp} \frac{qdz}{b}$. (Hæc Autor pro quatuor diverfis cafibus eo ordine, quo ante illos recenfuimus, diftinguit, ut fcilicet fit cafus 1) fili ad eam partem bafeos, ad quam jacet axis pofiti, ab axe recedentis; 2) in iisdem partibus ad axem accedentis; 3) fili ad partes ab axe averfas, recedentis ab axe; 4) fili ad has partes ad axem appropinquantis. Nos primi cafus figuram expreffimus, cui fignum fupremum refpondet; hac duce reliquas facile fibi delineabunt Lectores noftri, ad quas referuntur figna, eo ordine, quo inde a fupremo deorfum fequuntur.)

In primo & ultimo cafu, pergit Autor, ponitur fignum $+$, quia, crefcentibus abfciffis KH, crefcunt item ordinatæ FH, in reliquis duabus ex oppofita caufa fignum $-$ præfigitur. Itaque erit ordinata $FH = \frac{\pm}{\mp} \int \frac{qdz}{b}$, habenturque duæ, quæ fequuntur, analogiæ $MG : GN = FL : LE$, feu analytice $b : q = \frac{\pm}{\pm} x \frac{\mp}{\mp} z : \frac{+}{\pm} y \frac{\mp}{\mp} \int \frac{qdz}{b}$, & $MG : MN = FL : FE$, feu $b : \sqrt{(bb + qq)} = \frac{\pm}{\pm} x \frac{\mp}{\mp} z : a$. Ex fecunda harum proportionum obtinetur æquatio $\frac{ab}{\sqrt{(bb + qq)}} = \frac{\pm}{\pm} x \frac{\mp}{\mp} z$, five $z = x \frac{\mp}{\mp} \frac{ab}{\sqrt{(bb + qq)}}$, quæ differentiata præbet $dz = dx \frac{\mp}{+} ab$

$D \frac{1}{\sqrt{(bb + qq)}}$. Per notam D exprimitur differentiale quantitatis compositæ.

Hujusmodi valores in prima analogia fubftituantur, & orietur $b : q = \frac{ab}{\sqrt{(bb + qq)}} : \begin{smallmatrix}+\\ \pm\\ =\end{smallmatrix} y \begin{smallmatrix}\mp\\ \mp\end{smallmatrix} \frac{1}{b} \int \left(qdx \begin{smallmatrix}\mp\\ \mp\end{smallmatrix} abq\, D \frac{1}{\sqrt{(bb + qq)}}\right)$, five formata æquatione, translatisque terminis $\begin{smallmatrix}\pm\\ \mp\end{smallmatrix} \int \left(qdx \begin{smallmatrix}\mp\\ \mp\end{smallmatrix} abq\, D \frac{1}{\sqrt{(bb + qq)}}\right) = by \begin{smallmatrix}=\\ +\\ +\end{smallmatrix} \frac{abq}{\sqrt{(bb + qq)}}$, & fumtis differentiis $\begin{smallmatrix}+\\ =\\ +\end{smallmatrix} qdx \begin{smallmatrix}=\\ +\\ +\end{smallmatrix} abq\, D \frac{1}{\sqrt{(bb + qq)}} = bdy \begin{smallmatrix}=\\ +\\ +\end{smallmatrix} \frac{abdq}{\sqrt{(bb + qq)}} \begin{smallmatrix}=\\ +\\ +\end{smallmatrix} abq\, D \frac{1}{\sqrt{(bb + qq)}}$, & deletis delendis, factaque reductione $\frac{abdq}{\sqrt{(bb + qq)}} \begin{smallmatrix}+\\ \pm\end{smallmatrix} qdx = \begin{smallmatrix}+\\ \pm\\ =\end{smallmatrix} bdy$. (I)

Methodus hujus æquationis inveniendæ palam facit, eam femper conftrui poffe, fi detur y per x, tametfi indeterminatæ non feparentur. Conftructio vero eft hujusmodi: Defcripta curva AB, cujus abfciffæ $KG = x$, ordinatæ $GE = y$, eademque tanquam bafi accepta delineetur ejus tractoria CD, cujus tangens $EF = a$. Abfcinde $GM = b$, & age MN parallelam FE, quæ concurrat cum GE in N, punctum N erit in curva quæfita, & recta GN æquabit ordinatam $= q$. Dixi, punctum N effe in curva quæfita, quod veriffimum eft, fi x fit ejus abfciffa. Verum, fi abfciffa foret alia indeterminata, e. g. s, per quam x data effet, tum ex data $KG = x$ invenienda effet abfciffa $= s$, eique

que aptanda tanquam ordinata recta $GN = q$, ut determinaretur curva quæſita coordinatarum s, q.

Methodum exemplis pluribus illuſtrat Autor, e quibus hoc ſeligemus. Sit T quantitas per x & y utcunque data.

Pone $p = bT : (q + \surd(bb + qq))$, unde $q = \frac{1}{2} b.$

$(TT - pp) : Tp$, $\surd(bb \pm qq) = \frac{1}{2} b\,(TT + pp) : Tp$,

$dq = \frac{1}{2} b.\ (TT + pp).\ (pdT - Tdp) : TTpp$,

qui valores ſubſtituti in æquatione ante reperta dant

$ab.\ \frac{pdT - Tdp}{Tp} \frac{\pm}{\pm} \frac{1}{2} bdx.\ \frac{TT - pp}{Tp} = \frac{+}{\mp} bdy$, quæ

per opportuna analyſeos ſubſidia mutatur in hanc,

$(II)\ \frac{\pm}{+} \frac{ppdx}{T} - p.\ \left(\frac{2adT}{T} \frac{\mp}{+} \frac{+}{} 2dy \right) \frac{\mp}{+} Tdx$

$+ 2adp = 0$. Huic quidem plena univerſalitas deeſt, quia ſigna termini primi & quarti oppoſita eſſe debent. Si primus terminus præditus ſit ſigno +, pertinet ad caſum I, vel III, ſed ad III, vel IV, ſi habeat —. Quia b non amplius adeſt, quantitas quælibet arbitraria ad conſtructionem poteſt adhiberi. Conſtructio ſic abſolvitur: Deſcripta curva AB, cujus abſciſſæ $KG = x$, ordinatæ $GE = y$, filo $= a$ delineetur ejus tractoria, &, accepta GM æquali cuicunque conſtanti b, agatur MN parallela FE tractoriæ tangenti. Hoc modo determinatur $GN = q$. Angulus MNG dividatur bifariam per rectam NT, conſtat, fore $GT = bq : (\surd(bb + qq) + q)$. Itaque, ſi fiat $NG : GT =$

T : quartam, ſeu $q : \frac{by}{\surd(bb + qq) + q} = T$: quartam,

hæc quarta $bT : (q + \surd(bb + qq))$ præbebit quæſitam p. Quia vero $\surd(bb + qq)$ poteſt etiam accipi negative, divi-

dendus erit externus GNO bifariam recta NP; tum, si fiat $NG : GP = T :$ quartam, hæc erit quæsita p, sed negative accipienda; sicque duplex habebitur valor p. Quodlibet etiam triangulum, ipsi MNG simile, satisfacit.

Data sit $ppds : f + pds - sds + fdp = o$, cujus singuli termini conferantur cum (II). Ultimi dant $a = \frac{1}{2} f$ pro fili longitudine, primi $dx : T = ds : f$, tertii $Tdx = sds$. Æquationes duæ simul multiplicatæ $dx^2 = tds^2 : f$, seu $dx = \frac{ds \cdot \sqrt{s}}{\sqrt{f}}$, & integrando $x = \frac{2s\sqrt{s}}{3\sqrt{f}}$; atqui $T = \frac{fdx}{ds} = \frac{fds\sqrt{s}}{ds\sqrt{f}}$. Ergo $T = \sqrt{fs}$; signum primi termini ostendit, adhiberi debere primum, aut tertium, casum. Cum autem in secundo termino sit $+$, casus I erit potior. Itaque, collatis secundis terminis, fit $- 2adT : T + 2dy = ds$. Ergo $y = \frac{1}{2} f + lT$ sumto logarithmo in logistica, cujus subtangens est $= \frac{1}{2} f$, & substituto valore T, fit $y = \frac{1}{2} s + l \sqrt{(fs)}$. Hisce inventis, ita peragitur con-

TAB. V. structio: Descripta curva AB (*Tab. V*), cujus abscissæ $KG = \frac{2s\sqrt{t}}{3\sqrt{f}}$, & ordinatæ $GE = \frac{1}{2} t + l \sqrt{(fs)}$, trahatur filum FE ab A versus B, ut delineetur tractoria CD. Duc quamlibet MN, parallelam tangenti FE, ut formetur triangulum MNG, & per NT, NP, divide angulos MNG, GNO, bifariam. Demum nova curva describatur, cujus abscissæ $= s$, ordinatæ vero positivæ sint tertiæ proportionales-

por-

portionales post *NG*, *GT*, & $\surd(fs)$, negativæ vero post *NG*, *GP*, $\surd(fs)$, ea erit curva quæsita.

Hæc exempla methodum Autoris abunde illustrabunt. *Capite secundo*, sumta æquatione, (I) Autor ejus constructionem inverse quæri, ut ante illam ex constructione deduxerat; *tertio* idem de alia paululum diversa quærit; *quarto* trinomia differentialia hujus formæ $\frac{Qdq}{a} + \frac{Pdx}{a} = dy$ inverse construit; *quinto* methodo directa inquirit, quænam formulæ construi possint per tractorias præditas tangente variabili, quæ data sit per coordinatas baseos; *sexto*, *septimo*, *octavo*, æquationes varias construit, & omnes quidem, in quibus nulla inest summatoria, ex duabus indeterminatis coalescens. Hæc omnia qui discere vult, ipsum Autorem, magno acumine illa explicantem, adire debet.

COMMENTATIO DE MATTHIÆ CASIMIRI SARbievii, S. J. Poloni, vita, studiis, & scriptis, Autore LEBRECHT GOTTHELF LANGBEIN.

Dresdæ, sumtu Autoris, apud Georg. Conrad. Waltherum, 1753. 8 maj.

Plag. $11\frac{1}{2}$.

Quo magis ingenia civium terras nationesque, unde orta sunt, illustrant; eo præclarius mereri de civitatibus populisque censentur, qui magnorum hominum vitas scribunt, eorumque res gestas ad posteritatis memoriam produnt. Agnovit hoc, qua est judicii præstantia, Polonorum *Hercules Musageta*, Princeps atque Episcopus *Zaluscius*, cum Clarissimus *Langbein* institutum ei suum, expo-

nendi de vita *Sarbievii*, ſcriptis literis, ſignificaret, id quod, quia egregius Poeta Poloniæ ſummo eſſet honori atque ornamento, cura omni & ope ſe promoturum eſſe, reſpondit. Atque hæc quidem vita nunc, ſplendide profecto exornata, in lucem conſpectumque hominum prodit. Fontes, unde hauriret, habuit Autor partim epiſtolas, a Patris Ignatianæ ſodalitatibus ultro citroque ad ſe miſſas; partim ipſa *Sarbievii* carmina; partim denique ſcriptores æquales, quos diligenter adhibuit in conſilium. Serius tamen in ejus notitiam res nonnullæ pervenerunt, ſuo tempore *Analectorum* nomine publicandæ. Ipſa vero Poetæ vita in *tres Partes*, quas *Sectiones*
Pag. 1 - 130. vocat, deſcripta eſt, quarum *prima* de *Sarbievii* natali-
131 - 137. bus, ſtudiis, & ſcriptis, exponit; *altera* variorum de *Sar-*
138 - 174. *bievio* teſtimonia & judicia exhibet; *tertia* varias Lyricorum *Sarbievii* editiones enumerat. Singulæ *Sectiones* in particulas minores, quas paragraphos vulgo dicimus, denuo ſunt diviſæ, quarum argumenta, quam poſſumus,
2. breviſſime hic enumerabimus. Ortus igitur eſt *Sarbievius* antiquiſſima nobiliſſimaque in Maſovia gente *Prawo-*
4. *da*, quæ ex Italia origines ſuas repetit. Lucem adſpexit
6. in pago paterno, *Sarbievo*, A. 1595. Præterquam, quod in fingendo corpore naturam fautricem nactus fuerat, ingenio etiam felici, fœcundo, vivido, fere ardenti, docili, & maximarum capaci rerum, præditus fuit; judicio item præcellenti, ſano, nec a vero facile aberranti. Animum habuit candidum, ingenuæ virtutis ſtudioſum, in rebus adverſis erectum, in ſecundis ſedatum, nunquam elatum, ceterum hilarem ſemper & ſerenum. Quarum vero rerum Autor cum teſtimonia non ſubjecerit, aliunde allata, ex ipſis Poetæ carminibus eum hunc χαρακτῆρα effinxiſſe arbitramur, quod ipſe etiam non inficiatur. A-
9. doleſcens a parentibus Pultoviam miſſus eſt, literis erudiendus, ubi *Mariam* Claromontanam ſtudiorum ſuorum
11. præſidem elegit. Naturali quodam impetu ad Poeticen

cen ferebatur, ita tamen, ut diſciplinarum orbem ne-
quaquam dirimeret, ſed mente totum complecteretur. Pag. 14.
Annos 17 natum ſodalitas Ignatiana ſodalem eum coo- 16.
ptavit A. 1612, quæ eum poſtea Rhetoricen in Academia 18.
Vilnenſi docere juſſit. Interim ipſe omne tempus, ab
officii muneribus vacuum, in literarum ſtudiis colloca- 20.
vit, atque A. 1619 primum, ſed alieno nomine, carmen 21.
emiſit, quod A. 1620 Epigrammata, quæ omnia fe- 35.
re in *Chodkievicium* ſcripta ſunt, atque alia deinceps
carmina, exceperunt. A. 1622 ad ſanctioris doctrinæ ſtu-
dia ſe applicuit, ac libros ſacros, ut traditur, diligen-
ter legit, *Davidem* etiam *Salomonem*que in Poeſi ex-
primere ſtuduit. A. 1623 Romam profectus eſt, ut *Ur-* 43.
bano, tum Pontifice, coram frueretur, quem ita ſibi in-
genio ac ſuavitate morum conciliaſſe dicitur, ut is No- 50.
ſtrum laurea poetica coronaret, quanquam ejus honoris
titulum nunquam uſurparet. Ibidem pervenit in amici-
tiam *Tarq. Gallutii*, *Al. Donati*, *Famiani Stradæ*, *Vinc.* 57.
Guiniſii, *Al. Gottifredi*, *Franc. Bencii*, *Bernardini Ste-* 58.
phonii, ac *Petrucci*, *Buquoi*que, atque omnia vetuſtatis veſti-
gia non curioſe ſolum luſtravit, ſed plurima etiam car-
mina ſcripſit. Inde Florentiam abiit, atque A. 1624 re- 63.
dux in patriam factus, fundum paternum inviſit, eodem-
que anno ad Collegium Vilnenſe rediit. Anno ſequenti 72.
duo ſecularia carmina conſcripſit, ac primam Lyricorum
editionem curavit, annis ſequentibus de *acuto* in oratione &
arte poetica commentatus. A. 1628 alteram Lyricorum edi- 79.
tionem in Collegio Vilnenſi adornavit, ſequentique anno
docendæ Philoſophiæ munus in eodem ſuſcepit. A.
1630 *Lechiadem* ſuum ſcripſit, tertiamque Lyricorum 85.
editionem curavit. Duobus vero annis poſt Theologiæ 96.
Scholaſticæ docendæ provincia eidem demandata eſt; ipſe au-
tem Lyricorum libros quartum Antverpiæ foras dedit, cujus
rei curam Ignatiana ſodalitas apud Antverpienſes in ſe ſuſce-
pit, & carmina, *Urbani VII*, Pont. Max. nomine in-
feri-

ſcripſit. Anno poſt ſanctioris diſciplinæ ſtudio unice vacavit, ac A. 1634 quintum Carmina lyrica, & pleniſſime quidem, edidit. A. 1636 ſæpe pro concione ſacra verba fecit, linguam Polonam didicit, ac Doctoris Theologi honores obtinuit. Ubi cum, pro more, publice, in præſentia *Vladislai*, Regis, diſputaret, hic in voluntatis erga illum ſuæ teſtificationem annulum dicitur de digito ſibi detraxiſſe, eidemque, per *Magnum Regni Referendarium*, indui juſſiſſe. Quo facto, Regis factus eſt Theologus, ſummaque in aula Principis prudentia verſatus. Anno vero 1638, morbo gravi implicitus, ad thermas Badenſes iter fecit, ſequenti autem ad *Thomam Aquinatem* Commentaria ſcripſit. Sed annus 1640 ipſi fuit fatalis, quippe quo, die 11 menſis Aprilis, anno ætatis quinto & quadrageſimo, Varſaviæ diem ſupremum obiit. Qui qualis quantusque, vir fuerit, quantam habuerit inter eruditos homines ætatis ſuæ autoritatem, ex teſtimoniis *Bailleti*, *Rapini*, *Lubienski*, *Borrichii*, *Jo. Fr. Crameri*, *Auberii*, *Morhofii*, *Jo. Drewſii*, *Jo. Porzakowski*, *Koialowiczii*, *Eſtrixii*, *Andriani*, aliorumque, quæ laudat Autor, intelligi ſic ſatis poteſt. Sedecies edita ſunt Poetæ præclariſſimi Carmina lyrica, quæ editiones accurate inprimis eleganterque hic percenſentur, hisque proximo mercatu Lipſienſi decima ſeptima acceſſit. Magnæ omnino gratiæ Autori docto debentur, quod hominis eruditi vitam in lucem revocare ſtuduit. Interim negandum non eſt, eum, quod incultum arabat ſterilemque fundum, materiæ inopiam orationis non inelegantis copia & ubertate compenſaſſe. Atque hoc magis hiſce ejus favendum conatibus videtur, quod ſint primi quidem, attamen, ſi dicendum, quod res eſt, tales, ut nihil æquius ſit, quam communi eum applauſu ad majora, quibus ſufficiunt, noſtro judicio, ingenium & facultates ejus, tentanda publice privatimque invitari.

Pag. 106. 110. 114. 118. 126.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLIII.

NOVUS THESAURUS JURIS CIVILIS ET CANONici, continens varia & rarissima optimorum Interpretum, inprimis Hispanorum & Gallorum, Opera, tam edita antehac, quam inedita, in quibus utrumque Jus emendatur, explicatur, atque ex humanioribus literis, antiquitatibus, & veteris ævi monumentis, illustratur. Ex collectione & Museo GERARDI MEERMANN, JCti, & rei publicæ Roterodamensis Syndici.

Tomus IV.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1752, fol. maj. Alph. 8 plag. 8.

Q*uartus* hic *Thesauri Meermanniani Tomus*, de cujus ratione jam dicere ingredimur, hæc complectitur: I *Joannis d'Avezan* Contractuum Librum priorem; II *Ejusdem* Contractuum Librum alterum, plures Tractatus continentem, scil. 1) de emtione, 2) de locatione & conductione, 3) de societate, 4) de mandato & negotiorum gestione; III *Ejusd.* Servitutum librum; IV Librum de censuris ecclesiasticis, continentem Tractatus tres: 1) de excommunicatione, 2) de depositione, degradatione, & suspensione, 3) de interdicto, cum Dissertatione de pontificia & regia potestate; V *Ejusd.* librum de renuntiationibus, sive resignationibus & pensionibus, bene-

neficiorum ecclesiasticorum, deque portione congrua & competente, ex eorum reditibus Vicariis perpetuis assignanda; VI *Ejusd.* Dissertationem de sponsalibus ac matrimoniis; VII *Ejusd.* Dissertationem Patronatus Juris Pontificii; VIII *Jac. de la Lande* Exercitationes utriusque Juris ad Tit. de ætate, qualitate, & ordine, præficiendorum, ad *Gregorium IX*, cum brevi Tractatu de nuptiis Clericorum vetitis, aut permissis, & ad Tit. de liberis præteritis, vel exhæredatis, Cod.; IX *Ejusd.* Prælectiones in Tit. de decimis, primitiis, & oblationibus, III Decretal. *Gregorii IX;* X Dissertationem Juris de ingressu in secretaria judicum, & cum his considendi societate, viris honoratis competente, & honoratis dignitatibus; XI *Ejusd. Traité du Ban & Arriere Ban;* XII *Ejusd.* Juris Dissertationem ad Novellam *Justiniani* CXXX, cujus argumentum est de transitu militum, eorumque annona, & de metatis; XIII *Caroli Annib. Fabrotti* Prælectionem in Tit. Decretalium de vita & honestate Clericorum; XIV *Ejusd.* Juris Canonici Selecta, & eorum, quæ ad usum fori Gallicani pertinent, brevem comprehensionem, seu summam ac recitationem in quosdam Titulos Decretalium *Gregorii IX:* opus a *Jo. Petro de Maurize* inchoatum, a *Fabrotto* absolutum; XV *Vincentii Cabotii* Variarum Juris publici & privati Dissertationum Libros duos; XVI *Claudii David* Velitationem legalem ad Procemium duosque Titulos priores Libri primi Institutionum; XVIII *Petri Beloji* Variorum Juris Civilis Libros IV, item Disputationes de successione ab intestato, de jure pignerationum, vel Marquæ, & de compensationibus; XVIII *Francisci Broëi* Analogiam juris ad vestem, qua Juris Naturalis, Gentium, & Civilis, species illustrantur; XIX *Ejusd.* Parallelam Legis & Numi, quibus triplex Juris species, Naturalis, Gentium, & Civilis, philologice exponitur; XX *Jo. Broëi* Nuptias Jurisconsulti & Philologiæ.

Maximam vero hujus *Tomi* partem conficiunt scripta *Jo. d'Avezan*, de cujus origine & vita pauca dicenda sunt. Natus est in Francia ex gente admodum nobili. Usus est patre *Raymundo d'Avezan*, Equite illo & Domino *de Bouchon*. Operam dedit

dedit Jurisprudentiæ, in qua addiſcenda inprimis celeberrimos illos Jureconſultos, digniſſimos *Cujacii* diſcipulos, *Janum a Coſta* & *Maranum*, duces ſecutus eſt, quorum ſidem valde prædicat; vitam adeo & merita *Jani a Coſta* memoriæ prodidit. Poſtea, cum ſtudiorum ſuorum curſum ad finem perduxiſſet, contulit ſe A. 1625 Aureliam eo conſilio, ut, ſi fieri poſſet, morte *Jo. Matthæi le Grand* vacuefactam Profeſſionem occuparet. Qua in re etſi ſpes tum eum fefellit; paulo poſt tamen aliud, & quidem novum, docendi munus obtinuit. Cui cum per triginta annos magna cum laude præfuiſſet; ornatus per codicillos Regii Conſiliarii ornamentis, & A. 1659 arceſſitus eſt ab ipſo Rege in Academiam Pariſienſem. Procreavit ex *Maria Segouin*, quam Aureliæ in matrimonium duxerat, unicam filiam, *Margaretham* nomine, quæ JCtorum Decano, *Jacobo la Lande*, A. 1651 nupſit. Diem ſuum obiit A. 1669. Quæ jam de vita hujus JCti commemoravimus, ea quidem accepit Cel. *Meermannus* a *Petro Fabro*, Monacho quodam, eodemque monaſterii B. *Mariæ de bono Nuntio* Aureliæ Bibliothecario. Jam ad ipſa hujus *Davezani* ſcripta nos convertimus, quorum tanta facta erat in ipſa Francia raritas, ut vix nomen ipſius ſupereſſe videretur. Cui penuriæ ut occurreret Celeb. *Meermannus*, huic *Volumini* inferenda curavit. Primum locum obtinet ejus *Liber contractuum*, isque Aureliæ primum A. 1644 in 4 prodiit. Exponit Autor in eo contractuum vim atque naturam. Ceterum, etſi multa ibi etiam reperiuntur docte & utiliter tradita, non tamen ejusmodi ſunt, ut non jam ab aliis viris doctis dicta reperiantur. Idem etiam judicandum eſt de ejusdem *Libro contractuum poſteriori*, qui tanquam appendix priori adjungi poteſt. Etenim oſtenderat Autor ſub finem *prioris Libri*, ſe *altera Parte* unamquamque contractuum ſpeciem ſigillatim eſſe pertractaturum. Cui ſpei non omnino reſpondit, quandoquidem quatuor tantum contractus, emtionem & venditionem, locationem & conductionem, ſocietatem, mandatum & negotiorum geſtionem, attigit, reliquos neglexit. Exortus quidem eſt poſt illum aliquis ex Societate Jeſu, *Petrus d'Ognate*, qui inchoatum

hoc a *Davezano* opus absolvere cogitaret ampla illa Commentatione, quæ Romæ A. 1668 in fol. & *quatuor Tomis* apud *Josephum Corvum* prodiit. Verum opera admodum male posita esse videtur in isto libro, cujus Autorem ingenio, doctrina, aliisque ad tantam rem subsidiis necessariis, destitutum fuisse, inde satis apparet. Ceterum illud de emtione & venditione argumentum jam ante *Davezanum Nicolaus Fernandez del Castro* diligenter atque docte elaboraverat in *Prælect. ad Pr. Instit. de emt. & venditione.* Alter *Davezani* Tractatus *de Contractibus*, ab hoc quidem valde diversus, & cum *Meermanno* post *Conspectus* publicationem demum communicatus, debetur Professori Aureliæ, *Antonio Breton de Mont-Ramier.* Ejusdem *Davezani* Tractatus, qui inscribitur *Liber servitutum*, Aureliæ A. 1650 in 4 exiit apud *Mariam Pario* & *Ægidium Hotot.* Est sane extra omnem controversiam positum, locum Juris civilis de servitutibus multis difficultatibus laborare, eumque optimo jure in difficillimis Juris civilis capitibus numerari posse. Quapropter etiam pauci de hac ipsa doctrina recte atque docte commentati sunt. Illis paucis tamen non injuria annumerandus esse videtur *Davezanus.* Quanquam omnia, quæ scripsit de hoc genere, ut ipse profitetur, *Jano a Costa* potius, cui operam dederat, accepta referri debent. Nam totas adeo verborum comprehensiones ex *Jani a Costa* Prælectionibus exscripsit, quod ex priori *Meermanni* Tomo, ubi *Jani a Costa Prælectiones ad Tit. de Servitut.* reperiuntur, facile apparet. Cel. etiam *Meermannus* diligenter indicavit ea, quæ a *Davezano* ex *Jani Prælectionibus* decerpta intellexisset. Interim, cum, *Jani Prælectiones* non amplius integras esse, constet, *Davezanus* contra magnam in doctrina de Servitutibus enucleanda adhibuerit diligentiam, etiam hæc ipsa ejus tractatio nobis cara esse debet. Laudat præterea Cel. *Meermannus* in Præfatione Patavini Professoris, *Herculis Francisci Dadini, de Servitutibus prædiorum interpretationes per epistolas*, ad loca quædam *Libri VII & VIII* Pandectarum illustranda pertinentes, Veronæ A. 1741 in 4, quæ cum nonnullis *Davezani* locis conferri possint. Cumque

que insuper *Gerardus Noodtius* de usufructu & servitutibus personalibus multa docte disserueri; possit idem etiam hic non sine magna utilitate consuli & comparari. Accedimus nunc ad *ejusdem* librum *de Censuris ecclesiasticis*, cum Dissertatione *de Pontificia & regia potestate*, qui liber Aureliæ A. 1654, in 4, apud viduam *Ægidii Hotot*, prodiit. Ad Dissertationem illam quod attinet, multa hac de re, uti satis constat, a multis abhinc seculis in utramque partem disputata sunt. Fuerunt enim, qui ad Papam, & alii qui ad Regem, potestatem referendam esse, existimarent. Reperiuntur hæ controversiæ recensitæ *dans le Catalogue des Auteurs du Droit Canonique de Mr. Lenglet du Fresnoi*, qui *Tomo I du Commentaire de Mr.* du Puy *sur le Traité des Libertez de l'Eglise Gallicane de Mr.* Pierre de Pithou, *Paris. 1715*, præpositus est *pag. 159 - 182*. Media via incedere studuerunt, qui Papalem regalemque jurisdictionem quasi inter se conciliare, & utramque certis limitibus coercere, voluerunt. Ac hos quidem secutus *Davezanus* in hoc libro, quo facile carere possumus, siquidem *Petrus de Marca* libro de Concordia sacerdotii & imperii, *Janus a Costa* Commentario ad *Caput IV* de Judic. & *Franc. Florens* denique Tract ad Caus. XI Qu. 1 de Jur. Eccles. Part. II Operum, huic materiæ multo plus lucis perspicuitatisque attulerunt. Majus operæ pretium fecit *Davezanus* libro illo de Censuris ecclesiasticis, continente tres hosce Tractatus: 1) de excommunicatione; 2) de depositione, suspensione, & degradatione; 3) de interdicto. Nihil fere in illis protulit, quod non niteretur Jure Pontificio. Priori Tractatui opposuit se *Jo. Petrus Halle*, Professor Jur. Paris. Animadversionibus, quas edidit Paris. A. 1639, in 4, quæ quidem ita inscriptæ: *Dissertationes de Censuris ecclesiasticis, & breves animadversiones in excerpta quædam ex Tractatibus Jo. d'Avezan de excommunicatione*. Cujus libri copiam Cel. *Meermannus* nondum adhuc nancisci potuit, quamvis ejus a *Niceronio dans ses Memoires pour servir à l' histoire des hommes illustres Tom. X pag. 116* fiat mentio. Non minoris pretii est ejus Tractatus *de Resignationibus, sive de renuntiationibus & pensionibus, beneficio-*

rum ecclesiasticorum, deque portione congrua & competente, ex eorum reditibus Vicariis perpetuis assignanda, qui Aureliæ A. 1657, in 4, in lucem editus est. Fuerunt tamen alii, ut *Janus a Costa, Florens, Tellez, Cironius*, qui hoc argumentum diligentius doctiusque illustrarunt. Venimus nunc ad ejus Dissertationem *de Sponsalibus & matrimoniis*, quæ primum Parisiis A. 1661 in 4 prodiit. In qua scribenda etsi Autor præcepta Juris Canonici & Civilis semper sibi proposita habuit; eandem tamen laudem inde non assecutus est, quam *Florens* ad *Caus. XXVII Gratiani Tom. II Oper. pag. 99, Cironius*, aliique, retulerunt. *Ejusdem* Dissertatio *Patronatus Juris Pontificii*, quæ sequitur, edita est A. 1666 Paris. in 4. Perstringitur in ea historice primo origo juris patronatus, deinde ad quæstiones, in hanc materiam incidentes, egregie atque docte respondetur. Pleraque tamen hausta sunt ex *Costa*.

His *Davezani* scriptis adjunxit Cel. *Meermannus* libros, a *Jacobo la Lande*, ejus genero, profectos. Ortus hic est ex genere nobili. Pater fuit *Daniel de la Lande*, Aureliæ Consiliarius, mater *Michaela le Gendre*. Literis operam dedit Aureliæ, ubi etiam A. 1653 in numerum Professorum receptus est. Anno proximo alii muneri præfectus est, cui tamen non diu præfuit, cupiditate literarum. Professoris munus ultra quinquaginta annos sustinuit. E vivis excessit A. 1703. Scripta ejus diu in tenebris abscondita latuerunt, donec in ea tandem, uno volumine comprehensa, *Meermannus* Aureliæ casu incidit, quibus deinde alia addidit. Quæ quidem nunc referemus. *Exercitationes utriusque Juris ad Tit. de ætate, qualitate, & ordine, præficiendorum, apud* Gregorium IX, cum brevi Tractatu *de nuptiis Clericorum vetitis, permissis, & ad Tit. de liberis præteritis, vel exhæredatis, Cod.* Aureliæ lucem viderunt A. 1654 in 4. Priori Dissertationi conjungi possint commode *Franc. de Hauteserre à Salvaison* in *Tit. Decret. de ætate, qualitate, & ordine, præfic. Exercitationes*, quæ Parisiis A. 1635 in 4 lucem viderunt, & quas *Meermannus quinto* suo *Tomo* inserendas, & iterum imprimendas, curavit. Locum vero de exhæredatione liberorum accurate

per-

pertractavit *Josephus Fineſtres & de Monſalvo* in *Prælectionibus Cervarienſibus, ſive Commentariis Academicis ad Tit. Pand. de Lib. & poſt.* quibus ſubjungitur Diatriba *de poſthumis hæredibus inſtituendis, vel exhæredandis, & ad Tit. de acqu. vel omitt. hæred.* 1750, in 4. *Prælectiones in Tit. de decimis, primitiis, & oblationibus, Lib. III Decretal. Gregor. IX* Aureliæ editæ ſunt A. 1661, in 4. In quibus Autor omnia Tituli capita in Decretalibus diligenter explicavit. *Juris Diſſertationem, de ingreſſu in ſecretaria judicum, & cum his conſidendi ſocietate, viris honoratis competente, & de honorariis dignitatibus,* Aureliæ A. 1674 publicavit in 4, ad quam Diſſertationem conſcribendam adductus eſt codicillis regiis, quibus ei ornamenta Conſiliarii tribuebantur. Diſſertatio ipſa non contemnenda eſt; ea doctrinæ copia ibi reperitur. Non minorem doctrinæ atque ingenii laudem retulit ex duabus his Commentationibus, quarum altera inſcribitur: *Traité du Ban & Arriere Ban,* Aurel. 1674, in 4; altera vero: *Diſſertatio Juris ad Novellam Juſtiniani CXXX,* cujus argumentum eſt de tranſitu militum, eorumque annona, & de metatis, Gallice: *du Paſſage & des Etappes, & du Logement des Gens de Guerre,* Aurel. 1679, in 4. Illa exponit originem feudorum, nec non naturam τῦ *Ban & Arriere Ban;* hæc vero pertinet ad Nov. CXXX *Juſtiniani,* adeoque multa habet, ad Romanorum rem militarem ſpectantia, quæ tamen fere omnia in *Stewechii Commentario ad Vegetium* majori diligentia tradita reperiuntur. Reliqua ejus ſcripta, adhuc inedita, commemorat *Meermannus* in Præfatione.

Carolus Annibal Fabrottus natus eſt Aquis Sextiis A. 1580. Doctoris dignitatem demum recepit A. 1606, cumque aliquot annos de Jure reſpondiſſet, Profeſſor Juris factus eſt in patria, cui quidem muneri usque ad A. 1637 præfuit. Vocatus eſt enim a Cancellario *Seguierio* Lutetiam, Librorum Βασιλικῶν ex regia Bibliotheca edendorum cauſa. Ubi etiam totam reliquam vitam in doctis Commentationibus conſumſit, & A. 1669, ſeptem & ſeptuaginta annos natus, diem obiit ſupremum. Scriptis ejus de Jure civili locus re-

lictus

lictus est in *Thesauro Juris Romani*. Cum vero illi Tractatus, quos de Jure Canonico scripsit, non minus, quam reliqui, eruditionis laude valde sese commendent, neque ubivis obvii sint; Celeb. *Meermannus* eos in hoc *Volumen* congerere non dubitavit: quorum jam mentionem faciemus. Primum locum inter eos obtinet: *Prælectio in Tit. Decretal. Gregorii IX de vita & honestate Clericorum*, Paris. 1651, in 4. Est quidem hæc *Prælectio* jam inserta *Burch. Gotthelf Struvii Thecæ secundæ Bibliothecæ suæ librorum rariorum*, quæ Jenæ A. 1719 in 4 prodiit; verum, quoniam mira est collectionis illius in Batavis raritas, *Meermannus* eorum omnium cupiditati satisfacere voluit, qui ejus legendæ desiderio traherentur. Interim alii, *Florens* nominatim, melius meriti sunt de hoc Titulo Decretalium. Sequuntur *Juris Canonici Selecta, & eorum, quæ ad usum fori Gallicani pertinent, brevis comprehensio, seu summa, Autore Jo. Petro de Maurize. Accedunt Car. Annib. Fabrotti Recitationes in quosdam Decretalium Titulos Gregorii IX, a G. T. studioso ejus, nunc primum edita*, Paris. 1659, in 4. Ita enim inscriptio est, *Mauritius* vero hujus libri fundamenta tantum jecit, eumque quasi delineavit, ita, ut majori jure *Fabrottus* ejus Autor dici possit, quippe qui eum in hanc nunc formam redegerit. Liber quidem ipse ita comparatus est, ut multum inde utilitatis peti possit. Ceterum inest etiam Prælectio *Fabrotti* in Tit. *de vita & honestate Clericorum Lib. I Tit. 40*, quæ tamen valde discrepat a superiori in eundem Titulum.

Leguntur nunc *Vincentii Cabotii variarum Juris publici & privati Disputationum Libri duo*, editi Parisiis A. 1598, in 8. Patria Autori fuit Tolosa. Nondum quatuor & viginti annos natus, tantam sibi Dissertatione aliqua, pro obtinenda cathedra habita, laudem paravit, ut haud ita multo post Aureliæ Professoris munus ipsi offerretur: quod magna cum laude per quatuordecim annos sustinuit. Postea *Petri Fabri* opera potissimum Tolosam se contulit. Mortuus est sub annum 1621. Spectant ea, quæ in duobus his Libris reperiuntur, maximam partem ad Jus Publicum, Gentium, & Feudale, pauca Jus Civile

Civile attingunt. Habent præterea multum quidem ſuavitatis, pro egregiis tamen idcirco haberi non poſſunt. *Prior Diſputationum* harum *variarum Liber*, qui *XXIX Capitibus* abſolvitur, occupatus eſt in his materiis atque quæſtionibus: Cur in Pandectis jus publicum non reperiatur, cum jus dividatur in publicum & privatum; de diverſis modis Epiſcopum eligendi apud veteres; de poteſtate Metropolitani & reliquorum Epiſcoporum ejusdem provinciæ in eligendo Epiſcopo; de jure Clericorum & laicorum in eligendis Epiſcopis; de confirmatione electionis Epiſcopalis; Regem minus recte ſummum magiſtratum appellari poſſe; duas eſſe regnorum electivorum ſpecies; de utraque regni hæreditarii ſpecie; de regnis, quæ alium Regem, quam ſuperiorem, agnoſcere coguntur; utrum regnum Galliæ ſuffragiis, an ſucceſſione, acquiratur; quodnam diſcrimen intercedat inter regna, quæ per ſucceſſionem, & inter ea, quæ per leges, aut mores, deferantur; de ſucceſſione fœminarum in regnis; de Francorum legibus Salicis; in regnis ſæpenumero contra fœminarum, earumque deſcendentium, jus ſuccedendi eſſe actum, ne populus in exterarum provinciarum poteſtatem redigi poſſet; an, quæ lex fœminas a ſucceſſione in regnis arceat, eadem illas etiam ab adminiſtratione eorum excludat; quando fœminæ, vel earum deſcendentes, agnatis in ſucceſſione, ſive in regnum, ſive in feudum, præferantur; de ſucceſſione collateralium lineæ fœmineæ in regna & feuda; de vi naturalis neceſſitudinis inter patrem & filium, ſive inter filios, qui in eadem patria poteſtate ſunt; acquiſitione hæreditatis naturalem illam conjunctionem confundi; idem etiam fieri acquiſitione peculii; cur in confiſcatione rei immobilis venditæ, poſt inſtrumentum emtionis perfectum, periculum ad venditorem, non ad emtorem, pertineat; an nihil interſit, ſive bona fide locator, ſive mala, rem alienam immobilem locet; cur maritus dotis reſtitutionem promittere teneatur; an ita pater jure videri poſſit compenſaturus, qui filiæ dotem, a genero repetitam, teſtamento relinquat; oppignoratione rei hæreditariæ ſervo cohæredi facta poſſeſſionem amitti; de

 actio-

actionibus concurrentibus. *Alterius Libri* hæc ſunt capita: Quam utilitatem Juris Romani privati ſcientia aliis populis afferat; quæ res pertineant ad ſcientiam Politici; de poteſtate Romani Senatus liberis reipublicæ temporibus; eſſe non tantum ſimplices reſpublicas, ſed mixtas etiam; de imperio mero; cur pœnæ arbitrariæ conſtitutæ ſint; an imperium merum delegari poſſit; de imperio mixto, de pactis & conventionibus publicis, earumque differentia a pactis privatis; de pactis, ab imperante cum civibus initis; de pactis, ad regna & ſucceſſionem pertinentibus; de pactis, a Principe factis cum iis, qui nullius poteſtati ſubjecti ſunt; quatenus Principes, ſive populi, fœderibus teneantur, poſt ſtatus publici mutationem; de conventionibus ducum; duos eſſe caſus, ubi ſubſtitutio locum habeat, & unam altera comprehendi; an ſubſtitutio pupillaris, poſthumo facta, etiam tacite contineat vulgarem ſubſtitutionem; an pupillaris tacita impediat, quo minus mater filio 14 annis minori hæres ſit; errare, qui peculiarem aliquam ſubſtitutionem compendioſam ſtatuant; utrum ſubſtitutio pagani, ultra pubertatis fines propagata, valeat jure directo, an vero vi fideicommiſſi; an ſolum nomen hæredis ſui ſubſtitutionem pupillarem confirmet; quatenus aut ſuus, aut extraneus, hæres in jus ſuum ſuccedentibus hæreditatem relinquat; in caſu *L. Si jactum retis D. de Actione emti* nullam ejus, quod interſit, rationem haberi; diſcrimen eſſe, utrum venditor nullam omnino vectigalis mentionem fecerit, an vero ſummam minorem tantum indicaverit; an competat emtori actio emti contra venditorem, ut venditor traditam ſibi, ſed nondum evictam, rem ab obligatione pignoratitia liberet; an actio emti evictionis cauſa detur, cum res, quæ in locum pretii ſucceſſit, evicta ſit; & tandem quatenus venditor damnum, alluvie datum, præſtare teneatur. Sequitur nunc diſputatio, quomodo *L. fin. D. de Cond. cauſa data*, & *Lex naturalis §. 1 D. Præſcript. verb.* inter ſeſe conciliandæ ſint. Ultimum locum occupat brevis Diſſertatio de origine feudorum. Habes itaque omnia, quæ in *duobus* his *Libris* pertractantur, argumenta, in quibus plu-

plurimum diligentiæ, doctrinæ non parum, positum reperitur.

Accedimus nunc ad *Claudii Davidis Velitationem legalem*, Parif. 1584, in 4. Explicat Autor in ea Prooemium & duos priores Institutionum Titulos. Non multa egregia in ea sunt. Fuit enim Autor admodum juvenis, cum ad scribendam eam animum applicaret. Natus erat in Burgundia. Valde laudatur a *Carolo Fabro* in Dialogo de claris fori Burgundici Oratoribus.

Petri Beloji Variorum Juris Civilis Libri IV; item *Disputationes de successionibus ab intestato, de jure pignerationum, vel marquæ, & de compensationibus*, quæ hic ex ordine sequuntur, Parisiis editæ sunt A. 1583 in 4. Fuit Autor aliquandiu Jurium Professor Tolosæ, tandem regiis Codicillis factus Consiliarius. Scripta ejus non plane contemnenda sunt. Differtatio quidem de jure pignerationum brevis est. Tribuit in ea Autor originem juris ejus Romanis, autoritate *Grotii*; cum alii contra, eam ad Jus Germanicum & Gallicum referendam esse, demonstrarint. Ceterum tamen, hanc Dissertationem, *Meermannus*, omnibus aliis, de hac materia scriptis, præferendam esse, judicavit.

Agmen claudunt tria *Broëorum*, patris & filii, opuscula, quorum priora ita inscripta reperiuntur: *Francisci Broëi Analogia juris ad vestem, qua juris naturalis, gentium, & civilis, species illustrantur*, Parif. 1633, in 8; *Parallela Legis & Numi, quibus triplex Juris species, naturalis, gentium, & civilis, philologice exponitur*, Parif. eod. anno, in 8. Patria Autoris fuit Claromontium. Biturici vero Jura docuit ab anno 1617 usque ad A. 1636. Commentarius ejus in Institutiones quavis laude dignus est. De iis autem scriptis, quæ hic inserta sunt, veremur, ut locum recte obtineant suum. Filius ejus est *Jo. Broeus*, a quo profectæ sunt *Nuptiæ Jurisconsulti & Philologiæ*, quæ prodiere Parisiis A. 1651 in 4. Demonstrare studet Autor, Jureconsultum carere Philologia nullo modo posse. Nomen ductum atque petitum esse videtur a nuptiis Philologiæ & Mercurii. Sed, quæ de superioribus duabus Dissertationibus judicavimus, eadem etiam de hac censemus.

 Atque

Atque hæc sunt, quæ de *quarto* hoc *Thesauri Meermanniani Tomo* dicenda existimavimus.

ALBIUS TIBULLUS, EQ. R. ET IN EUM JO. ANT. VULPII, Philologi ac Rhetoris in Gymnas. Patav. novus Commentarius diligentissimus.

Patavii, apud Josephum Cominum, 1749, 4 maj. Alph. 2 plag. 11.

Post editum A. 1737, & bene exceptum ab eruditis hominibus, *Catullum*, pari ratione illustratum *Tibullum* dare instituit V. C. nihil deterritus magnis nominibus virorum, qui dudum in hoc Poeta elaborarunt, inprimisque *Broukhusii*, cujus Commentariis miram elegantiam doctrinæque copiam & ipse libenter tribuit. Illud tamen miratur, qui factum sit, ut vir tam acri judicio præditus, & in veteribus libris tritus, *Scaligeri* audaciam in transponendis contra librorum fidem *Tibulli* versibus ex alia Elegia in aliam non modo non tetigerit reprehendendo, sed ne deseruerit quidem, eoque suam editionem non parum dedecoraverit: in quo suam editionem aliter ipse instituit, servato ordine antiquo. Ceterum, & *Scaligeri* & *Broukhusii* Notis se in Commentario suo usum, fatetur, sed sub ipsorum, quoque loco, nominibus: in *Panegyrico ad Messalam* etiam *Passeratianis*. Dolet, sibi non ad manus fuisse *Christoph. Frider. Ayrmanni* libellum *de Vita Tibulli & Messalæ*, quem Vitembergæ A. 1719 prodiisse, didicerat e *Bibliotheca Fabricii Latina*. Codicum Excerptis præter *Broukhusiana* usus nullis est, nisi *Guarneriani*, Seculo XV scripti, quæ etiam separatim in capite operis exhibentur. Contrà habuit in manibus editiones antiquas, in his principem A. 1472, sine notatione loci editam, ignoratamque *Broukhusio*, qui antiquissimam putabat eam, quæ Venetiis A. 1475 prodiit. In delectu lectionum & duriores, & insolentiores, repudiavit, quippe abhorrentes à *Tibulli* simplicitate ac suavitate, & a levi conjectura ductas. Omnino se ostendit alienum a levitate corrigendorum veterum, qua plus corruptelæ iis infera-

feratur, quam librariorum veterum inſcitia. Nempe quotusquisque in hac arte non idem ſentit ac defendit? At nemo, ſe levibus conjecturis indulgere, credit. Omnes, neceſſariis & legitimis de cauſis tentari a ſe Scriptorum loca, credunt. Ergo iſta ſurdis narratur fabula, quæ præſertim toties jam narrata eſt, ut tædium repetita moveat. Noſter potius hoc egit, ut Latinorum verborum & locutionum *Tibullianarum* proprietatem, ſententiarum ſuavitatem, inventionis varietatem, affectuum vim, colores poeticos, verſuum & numerorum artificium, indicaret & commendaret. Quæ, bene eſt, quod juventuti ſe dicit comparaſſe. Nam eruditi iſta vel ipſi cognita dudum habent, vel, ſi attendant, facile ipſi aſſequuntur. *Plerosque interpretes iſta non animadvertere,* ſcribit: *non tradunt,* volebat dicere, *& ſcholarum potius putant, quam Commentarii.* In illuſtrando porro non paupertatem aliorum imitatur, ſed exemplis abundat; comparatque *Tibullum* cum aliis Poetis, inprimis *Ovidio*, quem, demonſtrat, permulta habere, e *Tibullo* repetita. Sed genus commentandi *Vulpianum* jam e *Catulliano Commentario* notum eſt, nec longiorem orationem deſiderant periti. Cum *Libri IV* Carmina diſſimilia ſint ceteris, orationis genere, non modo cetera abjudicata ſunt *Tibullo*, *Sulpiciæ*que tributa, a *Barthio* & *Broukhuſio*, ſed etiam primum, Panegyricum vulgo vocant in *Meſſalam*, in dubitationem adductum, etiam a *Broukhuſio*. In *Panegyrico* rationes ſuas a ceteris ſejungit *Vulpius*, exiſtimans, vel a *Tibullo* ſcriptum juvene, vel minus accommodato *Panegyricis* ſcribendis, quam *Elegiis* amatoriis. Cetera argumentis pluribus vindicat *Tibullo*; comparat ſtili numerorumque ſimilitudinem, in quo eſt caput rei; ætatem *Sulpiciæ* ejus, cui tribuunt duumviri illi, moti *Martialis Epigr. X, 35*, in *Domitiani* tempora incidentem, demonſtrat, prorſus abhorrere a *Sulpicia* ea, de qua in his Carminibus agatur, quæ ſe *Servii Sulpicii* filiam vocet, vixeritque *Auguſti* temporibus. Nam & *Horatio* commemorari amatorem ejus *Cerinthum Sat. I, 2*, matronarum nobilium ſectatorem, qui in his Carminibus memoretur: ut non opus ſit, pro commentitio nomine habere, nomini *Ca-*

leni ſubjecto. *Sulpiciam Martialis*, uxorem *Caleni*, fuiſſe caſtam & pudicam, monet; hanc *Sulpiciam* eſſe impudicam & adulteram. Denique, totam dictionis formam, docet, eſſe haud paulo meliorem, quam pro tempore *Domitiani*. Quæ omnia valde probabiliter diſputantur, occupata illa ex parte a *C. H. A.* in *Obſ. Miſcell.* a *Dorvillio* editis, *Vol. VII pag. 337*, quem tamen locus *Horatii*, inprimis opportunus, fugiebat.

Age vero, unum & alterum ſpecimen *Vulpianarum* notarum ponamus. Locus eſt difficilis *III, 4, 25*. Poeta narrat, ſibi dormienti oblatam ſpeciem juvenis laureati:

> *Non illo quidquam formoſius ulla priorum*
> *Ætas, humanum nec videt illud opus.*

Difficultatem vel non animadvertere, vel diſſimulavere, *Joſ. Scaliger*, atque *Jan. Broukhuſius*. Atqui primum verſus prior non habebit commodam ſententiam, niſi e ſequenti *videt* ἀπὸ κοινοῦ intelligas *vidit*. Id Noſtro durius videtur, nec tritum *Tibullo*. Attamen ejus generis exempla non pauca in omni genere Scriptorum & Græcorum & Latinorum occurrunt. Nunc ſuccurrit e *Salluſtii Catilina Cap. 47: Ex libris Sibyllinis regnum Romæ tribus Corneliis portendi: Cinnam atque Sullam antea: ſe tertium eſſe, cui fatum foret, urbis potiri;* ubi ſenſus non conſtat, niſi ex *eſſe* ἀπὸ κοινοῦ repetas in prioribus *fuiſſe*. Sed illud ipſum *videt* in altero verſu non commodam ſedem habet. Nec enim eſt, unde pendeat ſubjectum. Itaque *Statius* corrigebat *fuit:* quod ſi probetur, in priori verſu intelligendum *vidit:* quæ eſt non probanda ellipſis. Noſter non probat ille quidem, nec tamen aliud aut melius affert, contentus explicare, quid ſit *humanum opus:* in quo præclare Viro res ceſſit. *Humanum opus* ſtatuæ, aut tabulæ, aptius videatur, quam animali. At hic eſt forma humana, quæ per Græciſmum *opus* dicitur, ut in *Plautino Moſtell. I, 3, 104: Scita es tu quidem, nova pictura interpolare vis opus lepidiſſimum;* ſive etiam homo, corpus humanum, ut in *Juſtino XII, 16: Nam profecto majus humana mortalitate opus utero tulit*, ſcil. *Olympias*. *Lib. I, 5, 4,* ver-

verſum vulgatum: *Vidi ego, qui juvenum miſeros luſiſſet amores,* ſic correxit *Scaliger: Vidi ego, qui juvenem ſeros deſiſſet amores,* ſequente, eamque correctionem in textum recipiente, *Broukhuſio.* Hoc Noſter factum non probat. Durum hyperbaton eſſe ait, (at ſimillimum illi *II, 7, 18,* ſeu, ex *Vulpiano* ordine, *II, 6, 38, illius ut verbis ſis, mihi lenta veto,* ſi verum eſt, quod *Vulpius* putat, ordinem verborum eſſe hunc, *veto illius verbis, ut mihi ſis lenta:* in quo tamen aberrat V.D.; deberet enim eſſe *ne m. ſ. l.*) locutionemque contortam, atque a *Tibulli* genio alienam. Ipſe *luſiſſet* interpretatur bene, *irriſiſſet,* ut explicabat itidem, veterem lectionem defendens, *Burmannus* in *Obſ. Miſc. Vol. II pag. 242,* ubi aliam docti Britanni conjecturam refellit: appoſite uſus verſu *Martialis XIV, 188: Hac primum juvenum laſcivos luſit amores,* illuſtrans etiam *juvenum amores:* cum Noſter, qui pauperes illos Commentatores riſit in Præfatione, doctas divitias amplexus, nihil hic afferat præter ſimplicem interpretationem. Ceterum *verſus* hic apud *Vulpium* eſt *I, 2, 89,* e vetere ordine. Illo ipſo *Obſ. Miſc.* loco a *pag. 239* ad *248* ſunt plures conjecturæ docti Britanni cum notulis *Burmanni,* e quibus proficere potuiſſet Doctiſſ. *Vulpius.* Neque videtur ignorare debuiſſe, quæ in illa Collectione prodita eſſent. Sed excuſat ſe hoc nomine ipſe in Præfatione, negans, ſe omnium, qui ad *Tibullum* vel emendandum, vel explicandum, pertinerent, conſulendorum poteſtatem, aut tempus, habuiſſe. Quod autem hac parte forte deeſſe videatur, alio bono compenſavit V. D. confecto Latinitatis *Tibullianæ* Indice locupletiſſimo, haudque paulo meliore eo, qui in *Broukhuſianis* exemplis reperitur. Age vero, etiam exemplum proferamus utiliter conſultæ editionis primæ, quam Noſter primus e recentioribus & commemoravit, & uſurpavit. *I, 4, 43,* occurrit *cælum picta ferrugine tectum,* quod in omnibus edd. etiam *Broukhuſiana,* ſervatum, etſi *Nic. Heinſius,* in quatuor MStis libris ſe repeiſſe *picea,* teſtatus erat, eamque veram lectionem eſſe judicarat. Id Noſter repertum & in prima illa editione bene recepit. Interdum etiam aliis obiter Scriptoribus vel lucem af-

fun-

fundit, vel medelam afferre tentat; veluti *Livio*, apud quem *Lib. V* extr. pro *Lux deinde noctem inquietam secuta est*, legi vult *inquietâ*, negans, in vulgata sensum esse commodum. Sed ea correctio dudum a *J. F. Gronovio* occupata est. Non poenituerit juvenes, notas Viri Doctiss. legisse. Vulgaria non pauca insunt, sed huic ætati utilia ac necessaria. Sed & viri reperient subinde, quod placeat, quod didicisse non pigeat.

MEMOIRES DE MATHEMATIQUE, ET PHYSIQUE, &c.

hoc est,

COMMENTARII MATHEMATICI ET PHYSICI, oblati Academiæ Regiæ Scientiarum a variis Eruditis, & in conventibus ipsius prælecti.

Tomus I.

Parisiis, e typographia regia, 1750, 4 maj.
Alph. 3 plag. 5, Tabb. æn. 18.

Præter eos ingenii fructus, qui ab ipsis Academiæ Scientiarum Regiæ Parisiensis Sociis ordinariis in lucem prolati adhuc fuere, traditæ sunt ei continuo, a prima origine usque ad hunc diem, permultæ aliæ elaborationes Virorum doctorum, tam indigenarum, quam exterorum. Cum vero inter has exstent egregiæ multæ, quas tamen ipsis *Commentariis* inserere instituti ratio non permisit, has, ne diutius careret orbis eruditus lucubrationibus eximiis, singulari Collectione complecti constituit, summo rei literariæ bono, Illustris Academia. En itaque *primum* horum *Commentariorum novorum Volumen*, a reliquo Opere, quod adhuc sub *Historiæ & Commentariorum Academiæ* titulo quotannis prodiit, & prodire perget, omnino diversum. Mirum tamen videri debet nemini, recentiora esse fere omnia, quæ hic publicantur, Schediasmata, cum vetustiora pleraque ab ipsis Autoribus sint repetita, vel

ut

ut aliis Ephemeridibus infererentur, vel aliis de caufis. Verum in ipfo limine non morabimur, fed ftatim ad ipforum Schediafmatum notitiam Lectoribus noftris exhibendam accedemus. Etfi vero nullo nexus, quem materiæ inter fe habere poffent, refpectu habito, hic compareant; cum tamen in his recenfendis fervabimus ordinem, quem in Præfatione ipfis dare placuit ipfi Academiæ, quemque nos in recenfione aliorum *Commentariorum* huc usque tenuimus, difponendo nempe fecundum fcientias, ad quas pertinent, palmarias; addito (ubi annotatus eft) ipfo oblationis anno, id quod interdum in Hiftoria literaria haud parvi eft momenti.

Ad *Phyficam* itaque *generalem* fpectant decem *Differtationes* fequentes: 1) Virgilii *Obfervationes phyficæ circa terras, ad dextram & finiftram Rhodani, a Belloquardo usque ad mare, quod comprehendit Camariam, &c. fitas; una cum methodo, omnes hafce terras reddendi fertiles.* Inquirit hic Autor in conditionem foli, in hifce terris obfervandi. Conftant nempe eæ omnes e limo, a Rhodani inundationibus refiduo, plura ftrata formante, ac omnibus omnino lapidibus orbo. Valde tamen inter fe differunt, non colore modo & craffitie ftratorum, fed inprimis ipfa foli natura, aliis exiftentibus falinis, amaris, fterilibus, aliis dulcibus, fertilibusque. Inprimis vero falia, in iis contenta, attentionem merentur; funt enim alia indolis falis marini, alia nitri. Horum quidem alterum, nitrum nempe, vegetationi multum infervire, jam dudum conftitit; fed & marinum eandem promovere, oftendit Autor, modo copia mediocri accedat. Hunc tamen effectum bonum maxime hic impedit calor nimius, & defectus pluviæ, vegetationi fructuum campeftrium multis modis utiliffimæ. Ad fertiliores itaque hafce terras reddendas hunc inprimis defectum fupplere annititur Autor, idque inundationibus artificialibus, e Rhodano petendis. Duplici vero id ratione fieri poffe: vel aperturis in aggeribus Rhodani conftituendis, & canalibus inde derivandis; vel elevando ipfum Rhodani canalem, ut integer fluvius, altior nunc factus, irrigare poffit omnes terras, ad utramque ipfius ri- Pag. 1.

pam sitas, vel eo ipso tempore, quo aquæ sunt maxime depressæ. Hujus propositi & impensas, & fructum insignem,
Pag. 11. fusius exponit Autor. Idem 2) *præstantem, quem in nutritione pecudum habet, effectum sal commune*, commemorat. Admodum naturali nexu cohæret hæc cum præcedenti tractatio, cum, quantum agriculturæ inserviat rei pecuariæ amplificatio, tam respectu laborum, quam fini, ignoret nemo. Hanc vero non melius, quam usu salis debito, obtineri posse, hic ostendit; idque non solum in experientia abunde fundari, sed & a priori demonstrari posse. Inprimis ex analogia plantarum, quarum incremento sal adeo egregie inservire constat, palam fit, id nutritioni haud parum favere, juvando nempe digestionem alimentorum, adeo ut non solum minor horum quantitas plus nutrimenti exhibeat, sed & minus detrahat viribus animalis. Præterea sal purificare sanguinem, & circulationem humorum liberiorem efficere. Porro ovium, sale utentium, lanam inde deprehendi puriorem & meliorem. Denique sal exhibere remedium prorsus egregium in morbis pecudum epidemicis, in terris hisce sæpe grassantibus, vel e depravato pastu humido, & oriundis inde vermibus in venis hepatis & aliorum viscerum, vel in mictu cruento consistentibus. Adduntur variæ aliæ annotationes, & consilia, ad ipsam praxin introducendam spectantia. 3) Go-
177. dehen de Riville, *Eques Melitensis, erucæ, in foliis vitis hospitantis, historiam* tradit, Epistola ad Cel. *de Reaumur* scripta. Hoc erucæ genus cum Viro Celeberrimo communicare, eo magis e re duxit Autor, quod haud pertineat ad ullam septem illarum classium, sub quibus ille disposuit erucas omnes, ipsi cognitas. Destituitur enim parte, ab omni tempore pro essentiali in erucis omnibus habita. Pedibus nempe, vel uncinulis, omnino est orba, progreditur tamen, quin imo satis longe post se trahere valet receptaculum, respectu ipsius satis ponderosum. Mechanismum itaque, quo tam in construendo suo domicilio, intra vitis folia, quam in motu progressivo, utitur, sollicite indagavit Autor. Exequitur nempe animal hæc omnia adjumento filorum, quæ a corpore extrahit. Curiosa sane

sunt

ſunt iſta omnia, ſatisque oſtendunt varietatem illam ingentem, in regno animali obviam. Ceterum metamorphoſes quoque ejus varias deſcribit, & figuris explicat, nec non hoſtem ipſius, ichnevmonem, indicat, Obſervator diligentiſſimus.
4) Famoſam illam *ſpeluncam prope Veſuntionem, glacialem* Pag. 195.
dictam, deſcribit *Epiſtola, ad Clariſſ.* de Reaumur *exarata*, de Coſſigny, *præfectus architectorum militarium, Eques Ordinis S. Ludovici, & Academiæ commercio epiſtolari junctus.* Eo magis hæc deſcriptio attentionem & fidem meretur, quod nihil hic ponit Autor, niſi quod ipſe oculis luſtraverit, quodque omnem adhibuerit operam figmentis illis, quæ ad majorem huic ſpeluncæ admirationem conciliandam in vulgus ſunt ſparſa, removendis. Varios quoque notat errores, ab Autore libri: *Hiſtoire de la Bourgogne, à Dijon, 1737, 4*, commiſſos; inter quos ſunt multi haud omnino negligendi. Accuratam itaque menſuram partium præcipuarum, ad cavernam hancce pertinentium, hic exhibet Noſter, una cum orthographia & ichnographia, unde interiora ejus omnia clare poſſunt intelligi. Obſervationes inſtituit thermometricas complures, tam intra, quam extra, ſpeluncam; unde, frigus inſigne vel media æſtate ibi regnare, conſtat; idque ſemper manet ejuſdem fere temperiei, tam æſtate, quam hieme; etſi alio tempore magis, quam alio, percipiatur. Varia quoque notat circa glaciem, inibi reperiundam, naturam ſoli, &c. Sequuntur 5) Dalibardii *Experimenta phyſica circa* 212.
variationem ponderis corporum, variis fluidis immerſorum; inſtituta potiſſimum ſuaſu Viri Clariſſ. *de Buffon.* Primo, & maxime quidem, indagavit modum, quo lignum aquam imbibit; dein idem tentavit cum variis materiis regni animalis & mineralis. Nos, in ipſis experimentis (quippe quæ, niſi ample exponantur, parum uſus præſtabunt,) non moraturi, ea ſaltem, quæ exinde fluunt, indicabimus: omne nimirum 258.
corpus, cujusvis naturæ, fluido analogo immerſum, (modo in eo non ſtatim ſolvatur,) augeri pondere. Hoc augmentum majus eſſe imbibitionis initio, hinc decreſcere continuo, at lege adeo variabili, ut nulla adhuc ſeries numerorum, ei reſpon-

dens, detegi potuerit. Inter varia lignorum genera quercinum citissime ad imbibitionem perfectam pervenisse. In lignis vero ejusdem speciei durationes imbibitionis esse, ut superficies; idemque in metallis locum habere. In quovis regno substantias eo majus ponderis augmentum capere, quo minus sint duræ. Omnia corpora, fluido analogo saturata, ponderosiora esse hieme, quam æstate. Pondus nempe augeri semper cum descensu Mercurii in thermometro infra terminum congelationis, minui cum adscensu usque ad gradum aquæ ebullientis. Generatim corpora illa omnia augeri pondere in gelu rigido, eoque magis, quo hoc est rigidius; quæ tamen lex variis exceptionibus est obnoxia. Alia corpora aliis citius pondus pristinum, quod gelu forti adauctum erat, recuperare. Omne corpus, fluido saturatum, imo jam ante, pati variationes ponderis continuas, pro variis mutationibus, in atmosphæra contingentibus. Generatim augeri hoc, aere facto graviori, frigidiori, ficciori: solum lignum tamen in glacie haud sequi hanc regulam. Metalla in Mercurio videri sequi constantius variationes thermometri, reliqua corpora omnia illas barometri maxime, nulla vero (quantum quidem Autori per experimenta adhuc constitit,) illas hygrometri. Variationes quotidianas eo sensibiliores esse in corporibus, quo minori sint crassitie. Omnia corpora, fluidis per aliquod tempus immersa, perdere aliquantum de materia propria; exsiccata enim post imbibitionem semper fieri leviora, ipso adeo marmore albo a jactura hacce non immuni. En momenta palmaria, quæ docuit ipsa experientia. Multa vero sunt præterea notatu digna, tam ad explicationem phænomenorum allatorum, quam ad deducendas exinde varias

Pag. 394. regulas, in ipsa praxi utilissimas, spectantia. 6) *De corruptione aeris in navibus* agit Bigotus de Morogues, *navis præfectus, & rei tormentariæ maritimæ magister*. Quam noxius sit aer, intra naves contentus, tam ob circulum ejus impeditum, quam ob perniciosas, quibus refertus est, exhalationes, satis commonstrat Autor, tam experimentis physicis, quam observatione morborum, quibus afficiuntur in ejusmodi aere degentes.

res. Causas ejusdem enumerat varias, aquam ipsam stagnantem, homines, animalia, res ibidem reconditas. Maxime autem aquam illam huc conferre, ostendit; cujus phænomena exponit varia. Morbos quoque, exinde oriundos, indicat. Denique modos proponit, omnibus hisce occurrendi, aeremque impurum corrigendi, quo inprimis spectant Ventilator ille *Halesianus*, & materiæ variæ, quibus imbuendus, & a partibus noxiis liberandus, est. Jam 7) legitur *Dissertatio de Verme, Latine* Tænia, *Gallice* Solitaire, *dicto, ubi, post exhibitum arcanum novum, de ipso ex intestinis, ubi hospitatur, expellendo, quod felicem successum habuit, communicantur observationes de insecto isto variæ*, Autore *Bonneto, Societatis Regiæ Londinensis Socio*, scripta. Arcanum ipsum hic non nisi quoad externos characteres, & utendi modum, describitur, quippe quod adhuc possidet, & in sinu suo recondit, Cl. *Herrenschwandt*, M. D. natione Helvetius, discipulus *Bærhaavii* & *Hofmanni*; communicaturus id cum publico, quando per rem ipsius familiarem fieri id potuerit. Egregii ejusdem effectus hic commemorantur. Hinc ipsius vermis descriptio traditur, ut & in ejus originem & propagationem inquiritur; quæ cognoscendi cupidos ad ipsum Autorem ablegamus. Hanc excipit 8) Geerii, *Regi Sueciæ a cubiculo, Observatio de singulari, qua erucæ salicis magnæ pedum quatuordecim, & caudæ duplicis, gaudent, proprietate, liquorem ejaculandi*. Fit hoc peculiari organo, inter primum capitis annulum, pedesque duos anteriores, sito, cujus descriptionem accuratam & iconem hic exhibet Autor. Varia quoque observat circa *genus millepedum, sub cortice arborum vetustarum, & in musco, degentium*, iis, qui historiam insectorum amant, pergrata futura. 9) *Disquisitiones de electricitate* instituit du Tour, *Academiæ a commercio literario*. Exhibentur hic tam experimenta, quam theoria, ex iis deducta, sed, cum insigniter exculta sit post illud tempus hæc materia, vix adeo nova: quæ causa est, cur plura de his dicere supersedeamus. Idem 10) *duo Magnetis phænomena explicare* annititur. Spectant hæc curvas, quas format limatura martis,

Pag. 488. 530. 532. 345. 375.

chartæ crassæ imposita, applicato subtus magnete, & ipsa charta certo modo conquassata. Phænomena, hic occurrentia, non e sola attractione magnetis, seu vi materiæ magneticæ, deducenda esse, sed & ex ipso motu chartæ, ostendit Autor.

Sed tempus est, ut ad alias quoque classes pergamus. In Pag. 23. *Anatomica* exhibentur octo Schediasmata: 1) *Dissertatio hydraulico-anatomica, seu conspectus novus internæ partis arteriarum, earumque structuræ respectu motus sanguinis; Autore* Bassueto, *Chirurgo Parisiensi, Academiæ regiæ chirurgicæ Socio, & rerum chirurgicarum demonstratore.* In *tres Partes* ea dividitur. In *prima* de orificiis arteriarum, earum bifurcationibus, aliisque id genus divisionibus, generatim agit Autor, ibique vestigiis *Lowerii* insistens, modum & structuram, quibus vasa minora e majoribus exeunt, exponit. In *secunda* structuram orificiorum horum interiorem accuratius examinat. In *tertia* denique mechanismum, seu usum, ipsorum in promovendo cursu sanguinis per arterias explicat, adeo, ut etiam vis cordis, quantum potest, minima eo requiratur. Denique examini subjicit *Lowerii* sententiam de arcu aortæ, & orificiis ejus, eamque multis modis peccare, commonstrat. Omnia figuris perspicuis, earumque explicatione ampla, clare ante oculos ponit & illustrat. Ceterum hæc tantum primordia sunt Autoris de eodem argumento conaminum, quæ in posterum se continuaturum, spondet. 2) Schlichtingii, *Med. Doct. & Socii extranei Academiæ Chirurgicæ, de motu cerebri Commentatio*, sermone scripta est Latino; sunt enim reliquæ omnes, si sequentem adhuc exceperis, Gallicæ. Conqueritur primo Autor, deficere experimenta, ad penitiorem cerebri cognitionem facientia; eoque inductum se esse, ut per longum temporis spatium id argumentum accuratius indagandum sibi sumserit, fatetur. Præcipue vero motum cerebri, eumque duplicem, detexit. Alter fit quavis inspiratione & exspiratione; hac cerebrum intumescit, illa detumescit, satis sensibiliter. Demonstrat hunc ex observationibus, de vulneribus capiti inflictis, e fontanella infantum humanorum & brutorum quadru-

drupedum recens natorum, hernia cerebri, aliisque factis, in dubium nullo modo vocandis. Alter autem motus contingit, facta apertura cranii animalis viventis, hincque stilo in medullam oblongatam, inde vero digito in substantiam medullarem, immissis. Est is species palpitationis, quæ tam diu saltem durat, quam convulsiones a stilo excitantur; nullusque in ipsarum intervallis percipitur. Expositis his observationibus, omnino egregiis, & Anatomicorum attentione singulari dignis, theoriam exinde derivat Clariss. Autor, qua effectus motuum cerebri in corpora animalia varios, sensus internos & externos, efficaciam opii, dolorem, consensum nervorum & musculorum celerrimum, somni, insomnii, & vigiliæ, phænomena, docte explicat, adjectis circa ipsa animi pathemata & operationes corollariis, quibus ea omnia e mero mechanismo cerebri deducit. Sequitur 3) *Dissertatio anatomico-medica de corde inverso*, *Autore* de Torres, *Med. Doct. in Academia Valentiensi*, & *Ducis Aurelianensis Medico*. Singularis hic describitur observatio de corde inverso in infante, post duodecim dies mortuo; notatis pluribus aliis circumstantiis. Adjecit Autor scholia, quibus partim observatorum rationem reddere, partim quoque, quid ab extraordinaria adeo cordis positione in corpore infantis, si diutius vixisset, consequi debuerit, exponere laborat. Hanc excipiunt 4) Lalouette, *Med. Doct. Facult. Paris. Med. Socii*, *Disquisitiones anatomicæ de glandula thyroidea*. Quem sibi Autor proposuit in hisce finem, is est, non tam ipsas functiones & usum glandulæ thyroideæ affirmative determinare, quem potius examinare, tam in homine, quam in variis animalibus, ejus figuram, cum partibus vicinis connexionem, & præsertim structuram interiorem, expositis, quæ hunc in finem instituit circa animalia, experimentis; ac exinde derivare quædam de ipso ejus mechanismo & usu. Executus hæc est descriptione sedula, & additis iconibus perspicuis. 5) Occurrunt *Observationes anatomicæ* miscellaneæ *Günzii*, tunc *in Lipsiensi Academia Professoris*, nunc *in aula Dresdensi Consiliarii* & *Archiatri regii*. De *glandula thyroidea* notat, ejus isthmum sæpe componi

[Margin: Pag. 136. — 159. — 283.]

poni e duobus lobulis, totamque adeo glandem e quatuor lobis, duobus magnis lateralibus, duobusque minoribus anterioribus; aliaque circa membranam ejus, nexum cum larynge per fibras musculares & ligamentosas, nec non musculos ipsius. De *cartilaginis cricoideæ* figura, eminentiis, cavitate, ab ipsa & thyroidea facta inter glottidem & primum annulum arteriæ asperæ, breviter varia animadvertit. Ad quorundam *laryngis, pharyngis, & ossis hyoidei, musculos*, nominatim sterno-hyoideos, stilo-hyoideum, digastricum, mylo-hyoideum, crico-thyroideum, thyro-pharyngeum, & crico-pharyngeum, spectantia, haud contemnenda, affert. De *inæqualitate cavitatum, ubi in medio variarum partium corporis humani sitæ, dividuntur septo in duas partes laterales*, agens, observat, non cavitatem pectoris solum per mediastinum in partes duas inæquales dividi, sed & idem contingere in falce duræ matris, septo lucido, lamina ossea, qua sinus sphænoideus & frontalis in duos secatur, septis naris & scroti; nec non in collo, ubi dextrum latus a sinistro ope mediastini cujusdam distinguitur; additis quibusdam consectariis, ad usum horum in praxi chirurgica spectantibus. Sequitur 6) *Observatio anatomica de transpositione quadam viscerum*, in infante, post dies quinque mortuo, facta, *Autore* Sue, *Chirurgo Parisiensi, Prof. reg. Anat. in Acad. Picturæ.* Ea nimirum, quæ alias in dextro latere debent esse constituta, fuerunt in sinistro, & vicissim. Ren adfuit unicus saltem, sinister puta, capsula suprarenalis autem utraque, dextra tamen multo major. Horum observatorum utilitatem, quam in Medicinæ praxi habere poterunt, ostendit Autor. Etsi breves, commendant sese tamen, 7) *Observationes physicæ ad Staticam corporis humani*, Marcorellii, *Acad. Reg. Scient. & Eleg. Lit. Tolosæ Socii.* Quæ observarint *Sanctorius* & *Dodartus* circa jacturam, in corpore factam a jejunio & venæsectione, tempusque ad eam reparandam necessarium, jam satis constat. Noster argumentum huic affine sibi examinandum sumsit, ea nempe, quæ ex abstinentia potus consecutura essent. Experimenta vero hac de re instituit non ipse, sed

Pag. 192.
191.

ſed juvenis quidam, qui per duos menſes omni prorſus potu ſeſe privavit, eoque jacturam paſſus eſt partis vigeſimæ totius ponderis, quam tamen omnem, ſex dierum ſpatio, per convenientem potulentorum uſum reparavit. Quin imo alio tempore ab omnibus etiam paulo ſucculentioribus alimentis abſtinuit, merisque ſiccis ſeſe nutrivit, per 46 dierum ſpatium, at jacturam, inde factam, paulo majorem priſtina, ſex diebus refecit. Putat itaque Autor, uſum potulentorum adeo neceſſarium ſtatui potius e conſuetudine, quam naturæ præceptis, eoque, poſtulante ita occaſione, ſatis diu abſtinere poſſe homines. Tandem 8) *Obſervationem anatomicam de morbo lethifero ventriculi, rariſſimo & valde ſingulari*, affert *Baron d'Henouville, Med. Doct. Facult. Pariſ.* Fuit nempe ventriculus foramine, ſex, aut ſeptem, lineas amplo, pertuſus, absque ullo tamen, quod vix credibile videatur, inflammationis, ſuppurationisve, veſtigio. Horum omnium deſcriptionem fuſam exhibens, poſtea, quomodo contingere potuerit talis morbus, nec non quare mortem conciliare debuerit, explicat Autor, idque poſtremum a gangræna oborta derivat. Pag. 381.

Chymiæ amplificandæ inſerviunt *Diſſertationes ſex:* 1) *Baronis* ejusdem, de quo modo diximus, *de proprietate ſingulari, qua gaudet ſal tartari, præcipitandi omnia ſalia neutra, in quæ ipſa agere nequit.* Clarus quondam Chymicus, *Lemery*, hanc proprietatem explicare conatus, putavit, id contingere eo, quod ſal tartari filtri quaſi vice fungatur, in ſe trahens particulas aquæ, relictis ſalinis, in hac ſolutis. Verum, hanc ſententiam phænomenis refragari, oſtendit Autor; & ipſe aliam non profert applicationem, niſi (quæ hodiernis Phyſicis adeo ſolennis eſt) majorem aquæ cum particulis ſalis tartari, quam cum aliis, affinitatem, quam alio tantum nomine attractionem vocant alii. 2) *de Minerali, quod* Cobalt *dicimus, ſeu minera arſenicali, in Gallia inventa*, diſſerit *Sauer*, junior, in Lotharingia rebus metallicis addictus. Poſt notata varia circa nomen Cobalti, variasque ejus ſpecies, apud nos præſertim reperiundas, deſcribit mineram talem, in Gallia 113. 329.

quoque repertam; &, cobaltum, ex ea extractum, omni parte simillimum esse Saxonico, institutis experimentis multis, pro-
Pag. 295. bare conatur. 3) & 4) sistuntur *Baronis*, supra laudati, *Commentationes duæ, experimenta, ad analysin Boracis spectantia, continentes*. In *priori* inprimis sententiam Clariss. *Pottii* confutare annititur. Facit id *tribus Articulis*, in quorum *primo*, basin salis marini in borace existere, imo maximam ejus partem constituere, contra dictum Chymicum evidenter demonstrat experimentis bene multis. In *secundo* ipsa *Pottii* experimenta sub examen vocat, quibus acidi vitriolici in borace existentiam superstruxit, &, ex iis nihil prorsus adhuc colligi posse, ostendit; etsi ideo hujus acidi præsentiam non directe neget. In *tertio* modum, sedativum e borace conficiendi, addito nempe acido vegetabili, edocet; eo magis notandum, quod haud successerit idem tentantibus *Lemerio* &
447. *Pottio*. In *posteriori Commentatione* multo amplius continuat idem de sale sedativo argumentum. Ostendit nempe, hoc sal non esse productum artificiale, sed in ipso borace jam natura sua integrum, semperque idem, existere, huncque e sale isto & basi salis communis formari; refutans hoc in passu *Becheri* ac *Hombergii* placita. Quin imo, sine ullius acidi additamento sal sedativum e borace præparari posse, ipsumque boracem regenerari e sale sedativo & alcali. Sunt hæc omnia apprime digna Chymicorum attentione, cum multa adeo nova circa intimam boracis, nondum adhuc satis nobis cogniti, naturam sistant. Avidi vero exspectamus inprimis, quid
563. illis regesturus sit Cel. *Pottius*. 5) & 6) *de Cæruleo Borussico duabus Dissertationibus* egit Abbas *Menon*, nunc e vivis ereptus. Monstrat primo, ope materiæ cujusvis, vel animalis, vel vegetabilis, phlogiston continentis, sal alcali fixum posse satis sulphure imbui, ut præcipitentur ab eo moleculæ ferreæ, e quibus cœruleum dictum componitur, iisque color ipsorum, primitivus cœruleus puta, restituatur. Porro alcalia particulis istis ferreis demere non nisi partem acidi vitriolici, easque a phlogisto demum penitus hoc acido orbari posse.

Deni-

Denique ab eodem principio eas induci quasi vernice, ab aeris & rubiginis violentia eas defendente. In *altera* dein *Parte* plura adhuc egregia circa fabricam coloris istius, ejus productionem per materias alias, usum denique in re tinctoria, proponit. Pag. 578.

Botanicam tres *Dissertationes* sequentes respiciunt: 1) Dalibardii *Observationes* de *Reseda, flore odorante;* ubi, admodum variare hanc qualitatem, imo saepius cessare penitus, nec adeo praebere posse characterem constantem in distributione plantarum methodica, palam facit. 2) & 3) Bonneti *experimenta circa vegetationem plantarum in aliis corporibus, quam terra.* Inprimis tentavit, quid accidat seminibus, partim musco, partim terrae, immissis. Deprehendit, plantas, inde enatas, tardius ad maturitatem pervenisse, quam in terra, caules factos longiores, numerumque ipsorum majorem, hinc & plures fructus & semina prodiisse. Horum rationem petit potissimum ex humido, quo muscus continuo irrigatur, nec non aeris accessu, quorum utrumque in corpore tam levis & spongiosae texturae, quam est muscus, melius in extrema radicum agere possit. Praeter muscum spongiae quoque immisit semina; e qua plantas exsurgere, macriores quidem, ast, cum semina tam ipsarum, quam aliarum, in musco satarum, denuo in terram conjicerentur, ipsa illa laetius progerminare, reperit. Quae sic in seminibus expertus est, eadem cum ramulis tentavit, similesque omnino differentias & hic obtingere, vidit. E quibus omnibus, muscum ad promovendam plantarum vegetationem cum fructu adhibendum esse, concludit. Denique experimenta quoque circa ramos, in sola aqua pura vegetantes, instituit, quae sententiam ejus de vi aquae nutriente magis confirmant. 95. 420. 434.

Ad *Geometriam* spectant *Dissertationes* sequentes *tres:* 1) *Solutio Problematis, a Keplero proportionibus segmentorum dolii, plano axi parallelo factorum, Autore P.* Pezenate, *Soc. Jesu, Profess. reg. Hydrographiae Massiliensi.* Proposuit hoc Vir summus in *Stereometria* sua *doliorum,* A. 1615 edita, *P. I fine;* & *Snellium* inprimis ad ejus resolutionem excitavit. 55.

 Non-

Nondum tamen adhuc quispiam, ob difficultatem, quam præ se fert, haud negligendam, id aggressus est; etsi in Pithometria utilitatis sit eximiæ. Eo majorem laudem meretur Autor præsens, solutionem ejus, eamque facilem, exhibendo. Supponit in ea dolium compositum e duobus conoidibus parabolicis truncatis, basibus sibi invicem applicatis. Demonstrat jam Theorema universale: Si ejusmodi conoides secetur plano quovis axi parallelo, sectionem semper fore parabolam, & quidem parametri ejusdem cum parabola genitrice. Ex hoc fundamento haud difficulter ad cubaturam segmentorum istorum perveniri, patet. Ceterum, theoriam ipsam exposuisse, non contentus, ad facilitandum ipsius usum, tabulas ex ea construxit; quin & institutis experimentis variis eandem confirmavit; ut adeo omnibus numeris absoluta habea-

Pag. 73. tur argumenti hujus tractatio. 2) *Equitis* d'Arcy, *Centurionis equestris, jamque Academiæ Socii, solutio Problematis de curva pressionis æquabilis in medio resistente;* sed de qua, cum jam Problema id in *Mechanica Euleri*, aliisque locis, solutum

175. exstet, dicere nihil attinet. 3) *Problema de inveniendo solido maximæ attractionis, posita lege attractionum in ratione duplicata inversa distantiarum, a* Saint Jacques. Duplicem, eamque facillimam, ejus solutionem hic tradit Autor; quarum inprimis posterior adeo est simplex, ut eam duobus verbis comprehendere liceat. Patet nimirum e natura solidi maximæ attractionis, attractionem in puncto quovis superficiei ubique debere esse æqualem: si enim alicubi esset minor, posset punctum id constitui extra solidum, ut ibi magis attrahat, contra hypothesin. Est autem attractio puncti cujusvis in superficie, (posita abscissa a puncto, quod attrahitur, $= x$, & recta, ab eodem ad punctum superficiei ducta, $= z$,) $= \frac{x}{z^3}$, quæ adeo erit = quantitati constanti $= \frac{1}{gg}$; unde $z^3 = ggx$ est æquatio curvæ desiderata.

411. In *Astronomicis* comparent *duo Schediasmata. Alterum* est *de lon-*

longitudine urbis Buenos-Aires, Autore de Chabert, *Vexillifero navium regiarum.* Eo majoris momenti hujus determinationem credidit Autor, quod in ora Americæ meridionalis orientali, per spatium mille & quingentorum milliarium, nulla habeatur, nisi solius Fernambuci, longitudo, de qua certo constet per observationes astronomicas. Ipse itaque per loca Lunæ observata, adhibitis Tabulis Lunaribus, quales nunc exstant, correctioribus, eandem accuratius determinare instituit; unde prodiit 60° 0′ 45″ versus occidentem respectu Parisiorum, diversa adeo $3\frac{1}{4}$° ab ea, quam ei adhuc tribuerunt optimæ Mappæ geographicæ. *Alterum est determi-* Pag. 530.
natio differentiæ meridianorum observatorii Parisiensis & Berolinensis; Autore Grischovio, *Academiæ Berol. Socio.* Nondum adhuc certo constitit de hacce differentia. Eam itaque per binas observationes, alteram occultationis Aldebaran a luna, d. 25 Sept. A. 1717, alteram eclipsis solaris d. 15 Sept. A. 1727, determinare conatur Autor, extenso prolixe utriusque phænomeni calculo. Emergit vero ea per observationem primam 44′ $25\frac{1}{3}$″, per secundam 44′ $25\frac{1}{2}$″, cum adhuc assumta plerumque fuerit ex observationibus permultis eclipsium jovialium 44′ 20″. Tuto itaque statui posse videtur in posterum 44′ 25″ temporis, seu 11° 6′ 15″ longitudinis.

In *Classem* denique *mechanicam* referenda sunt: 1) *Abbatis* 80.
Soumille *Descriptio clepsydræ, in mari potissimum usu venientis, notantis distincte singulas horas & minuta, nec ipso quidem conversionis tempore cursum sistentis.* De hac absque additione figurarum dici nihil potest. 2) *Disquisitiones hydrau-* 261.
licæ, Autore du Petit-Vandin (*Aide-major*). Spectant eæ motum rotarum ab aqua currente, earumque tam horizontalium, quam verticalium. Examinat vero Autor cum potissimum casum, quo eæ moventur ab aqua, per canalem irruente; cum illæ, quæ ipsis undis sunt immersæ, singularem adhuc præterea considerationem mereantur. Pro his itaque determinat numerum alarum optimum, notatque hic errorem *Pitoti* (idem argumentum tractantis in *Comment. Paris. A.* 1729) & *Belidori*, eum secuti, quorum uterque considerationem

vectis in motu rotæ neglexit. Dein optimam quoque definit altitudinem, e qua aqua incurrens ad rotam demittenda ſit, ſeu dimenſionem aperturæ, per quam aqua fluere debeat, ut effectus inde conſequatur maximus. Sunt hæc omnia valde elegantia; eoque magis nobis egregia quæque promittimus ab ulteriori in machinas hydraulicas, quam ſub manibus ſe habere, ſignificat Autor, inquiſitione.

CAROLI LINNÆI, ARCHIATRI REGII, MEDICI, & Botanices Profeſſoris Upſulienſis, Academiarum, Imperialis, Monſpelienſis, Berolinenſis, Toloſanæ, Upſalienſis, Stockholmienſis, Socii, & Pariſienſis Correſpondentis, Philoſophia Botanica, in qua explicantur fundamenta botanica, cum definitionibus partium, exemplis terminorum, obſervationibus rariorum.

Stockholmiæ, apud Godofr. Kieſewetter, 1751, 8.
Alph. 1.

Summos rei herbariæ conceptus, & primas hujus doctrinæ lineas, exhibiturus Clariſſimus Autor, laconica ornataque ſcriptione, ſine qua tantus rerum ambitus parvo volumine comprehendi haud poterat, ideam eorum omnium, quæ de vegetabilium œconomia mente concipi, aut oratione explicari, poſſunt, ſiſtit. Prima, omnium Autorum, quotquot diverſo reſpectu de plantis egerunt, a *Theophraſti* ætate ad præſens tempus, eſt expoſitio; altera de Syſtematibus agit, & varias illas exponit methodos, ſecundum quas, pro characterum, quos quilibet præoptaverat, varietate, plantæ aliter aliterque diſpoſitæ, in claſſes, genera, ac ſpecies, fuerunt, aliis fundamentum dividendi a fructu ſumentibus, inter quos primarii ſunt *Cæſalpinus*, *Moriſonus*, *Hermannus*, aliis ad fructum & florem ſimul reſpicientibus, quod a *Rajo*, *Bœrhaavio*, *Knauthio*, effectum eſt, aliis florem pro definitionum fundamento accipientibus, ex quorum numero ſunt *Rivinus*, & *Tournefortius*, quorum diſcipuli de flore, uti claſſium ſigno, ali-

ter

ter aliterque expoſuerunt, quando *Knauthius* numerum petalorum primo, formam eorum ſecundo, loco ponit, *Ludwigius* petala cum ſtaminibus ac piſtillis ordinat, *Pontedera Tournefortianam* methodum cum *Riviniana* combinat, aliis denique ſtamina cum piſtillis pro vero plantarum charactere agnoſcentibus, quorum dux & autor ipſe Celeberrimus *Linnaeus*, aliquatenus ad calycem, ex quo flores emergunt, reſpexit, majorem tamen partem, nova methodo, proxima generationis vegetabilis organa in uſum vocavit, & ſexuale ſuum ſyſtema condidit, a cujus partibus ſtant *Royenus*, *Hallerus*, *Wachtendorffius*, niſi quod ſinguli hi de ſuo aliquid admiſcuerunt. De hiſce omnibus poſtquam erudite & ad rem literariam apte ac perquam utiliter ſcriptum eſt, de planta, tanquam Botanices objecto, ſingulariter agit, ac vegetabilia omnia ſub ſeptem familiis, *Fungorum*, *Algarum*, *Muſcorum*, *Filicum*, *Graminum*, *Palmarum*, & *Plantarum*, comprehendit. Fungorum habitus totus ex carne vegetabili eſt. Algas radix, folium, caudex, in unum collecta, definiunt. Muſcos dicit, quando anthera absque filamento remota a flore fœmineo eſt, abſente piſtillo, & ſemina propria tunica ac cotyledonibus carent. Filicum character ille eſt, quo *frondes* in averſa parte fructificant. Graminibus folium eſt ſimpliciſſimum, culmus articulatus, calyx glumoſus, ſemen unicum. Palmas ideo a plantis reliquis dirimit, quoniam illis caudex ſimplex, apex frondoſus, fructificatio autem in ſpadice cum ſpatha, eſt. Plantæ dicuntur reliquæ, quæ priores familias intrare nequeunt, inter quas illæ, quibus folia deſuper per hyemem pereunt, herbaceæ dicuntur, annuæ æque, quando radix haud eſt gemmipara, ac ſimul cum planta perit, perennes, cum radix gemmas fert, & per hyemem altero pluribusve annis durat. Inter frutices ac arbores limites natura nullos poſuit. Vegetabilium partes *radix* ſunt, *herba*, *fructificatio*. Horum vita *vaſis ſuccoſis*, liquorem vehentibus, *utriculis*, eundem tenentibus, ac *tracheis*, aerem attrahentibus, continuatur; corpus autem illorum ex medulla, corpore lignoſo, libro, cortice, ac epidermide, compingitur, dum fibræ medullaris extremitas, per cor-

corticem protrusa, in gemmam solvitur, ac plantæ compendium est. Deinde plantæ partes singulæ exponuntur. Radix, veluti medulla, e ligno, libro, cortice, caudice, radicula, componitur, & pro varia specie, pro vario reptatu, distinguitur. Quod desuper radicem est, cum nondum excrevit, & summa adhuc tellure latet, *hybernaculum* dicitur, ex quo, veluti ex diverticulo, reliquus plantæ habitus erumpit, quem truncus, ejusque variæ species, caulis, culmus, scapus, pedunculus, petiolus, frons, stipes, ramus, folium, definiunt. De singulis agitur, atque illorum formæ, quæ haud raro ad ideam plantæ sistendam faciunt, explicantur, de quibus multa dicere tanti non est, quanti est, de *Linnæi* novis super fructificatione sententiis, quippe quæ, ad condendam sexualem methodum, materiem contulerunt, exponere. Calyx, qui vario, in variis plantis, nomine, *involucri* penes umbellas, *glumæ* penes gramina, *calyptæ* in muscis, *Volvæ* in fungis, compellatur, aliquando plantarum genera media, quæ sub summis stant, dividit, nec parum autoritatis corollæ apud *Linnæum* est, cujus petala, tubus, limbus, unguis, lamina, nectarium, pars scilicet mellifera floris, multum illi sæpe ad definitionem plantæ conferunt. Plus tamen fiduciæ in staminibus ac pistillis, tanquam proximis fructificationis organis, ponitur. Staminum filamenta atque antheræ methodi sexualis basin constituunt. Et *filamenta* quidem ita considerantur, uti recta sunt, aut reflexa, plana, spiralia, *antheræ* autem, uti unica est, aut duæ sunt, aut tres, uti quoque una in singulo filamento est, aut una tribus, vel quinque, filamentis intercurrit, vel uti plures uni filamento respondent. Accedit his antherarum situs, forma, dehiscentia, in quarum contemplatione quantum jucunditatis & eruditionis, tantum quoque utilitatis ad genera plantarum dirimenda, ponitur. Alterum methodi sexualis fulcrum pistillum est, ipsum scilicet pollinis masculi, ex anthera spirantis, receptaculum. Uti enim plantarum *ventriculum* terra, *vasa chylifera* radix, *ossa* truncus, *pulmones* folia, calyx *thalamum genialem*, corolla *aulæum;* ita filamenta *vasa spermatica*, antheræ *testiculos*, pollen *genituram*, stigma, quæ summa

ma pistillis pars *vulvam*, stylus *vaginam*, germen *ovarium*, fructus ipse *ovum*, sistunt. Ex pistillorum autem consideratione promta ad definitionem plantæ via est, quando, illorum formas in diversis generibus varias esse, conspicimus, ut stylus illis sit bifidus, trifidus, quadrifidus; stigmata vero unum sint, duo, tria, quatuor, quinque, aut vario modo conformata, foliacea in *Iride*, plumosa in *Rheo*, & sic porro. Etiamsi autem ad infima genera constituenda fructus ipse satis esse possit; attamen classes, ordines, summaque genera, ex floris partibus essentialibus, antheris scilicet & pistillis, rectius definiuntur, quorum consideratio ac dispositio characterem naturalem constituit, illum scilicet, sine quo planta nulla est. Hunc in organis sexualibus *Linnæus* posuit, atque exinde systema suum sexuale composuit, secundum numerum, proportionem, & situm, staminum cum pistillis elaboratum, ut sub diversis Classibus contineantur:

1) Monandria,	7) Heptandria,	13) Polyandria,	19) Gynandria,
2) Diandria,	8) Octandria,	14) Didynamia,	20) Monoecia,
3) Triandria,	9) Enneandria,	15) Tetradynamia,	21) Dioecia,
4) Tetriandria,	10) Decandria,	16) Monadelphia,	22) Polygamia,
5) Pentandria,	11) Dodecandria,	17) Diadelphia,	23) Cryptogamia.
6) Hexandria,	12) Icosandria,	18) Polyadelphia,	

Quandoquidem ergo alia, quam quæ huc usque recepta erat, methodo plantas dividere ac definire aggressus *Linnæus* est; fieri aliter haud potuit, quam ut magnam nominum, huc usque receptorum, stragem ederet. Si quæ enim plantæ arbitrariæ hypothesi non responderent, nomine consueto privata fuerunt, illisque nomen similiter arbitrarium impositum est; nunc aliquibus nominibus vetustis ac desertis resuscitatis, nunc novis inventis, ita quidem, ut universa res herbaria novum habitum nunc assumserit penes illos, qui cum Clarissimo Autore loqui amant. Admirabilis naturæ lex illa est, qua, characteribus certis positis, & classibus exinde constitutis, in plerisque exemplis, vires ordini suo respondent:

Oo oo Con-

Convolvuli, *Scammonium, Mechoacanna, Turpethum, Soldonella,*

Allia, *Moly, Porrum, Cepa, Victoralis,*

Lauri, *Cinnamomum, Malabathrum, Cassia, Camphora, Sassufras, Benzoe,*

Euphorbia, *Esula, Cataputia, Tithymalus,*

Artemisiæ, *Abrotanum, Absinthium, Cina, Seriphium.*

Parvus liber magni ambitus est, omnemque rem herbariam ita sistit ut, cum interpres accedit, illo lectu jucundior, & ad rem herbariam utilior, vix alius esse possit.

PHILOSOPHIÆ EX EUCLIDE RESTITUTÆ CONAMINA IV, Autore JO. JACOBO HENTSCHIO, Philos. Mag. Lusato.

Lipsiæ, sumtibus hæredum Lanckisianorum, 1751 & 1752, 8. Alph. 1 plag. 13, cum aliquot Fig. æn.

Mathematum usum esse amplissimum, hæc Clariss. *Hentschii* Conamina, in quibus totam *Analysin Aristotelicam*, & *Philosophiam primam*, ex sex prioribus Geometriæ *Euclideæ* elementis deductam esse vides, egregie docent. Nova hæc est, eaque facillima, philosophandi methodus a scientifica illa, quam recentiores nonnulli præter rem effinxere, prorsus distincta. Utraque enim inter se collata, illam in principiorum robore & vi consequentiarum, hanc in miris verborum ambagibus, & concatenatis (sit venia verbo) propositionibus, vulgo notis, positam esse, deprehendes.

Conamen I, quod exponit leges, secundum quas intellectus humanus in exquirendo vero operatur, *Sectiones XIV* complectitur, quibus natura & formatio generum & specierum, definitionum, distinctionum, propositionum primitivarum & derivatarum, conversio, & oppositio, exponitur; nec non natura & formatio ratiociniorum & syllogismorum, demonstrationis, consequentiarum immediatarum, inventio definitionum & propositionum, ac ratiociniorum reliquorum usus in vero exquirendo; quibus junguntur regulæ philosophandi. Hæc Logicæ vulgaris argumenta quanquam nonnullis, qui ex habitu exter-

no

no res solent æstimare, tanquam satis nota possint videri; aliter, tamen credimus ipsos esse sensuros, si has, quas Clariss. *Hentschius* ex *48 Prop. Elem. I Euclidei* ingeniose deduxit, theorias logicas data opera evolverint. Paucis enim multa, eaque egregia, proposita, manifesto falsa interdum correcta, variasque observationes utilissimas additas esse, ingenue fatebuntur. Sic *Sect. II §. 4* comparat Autor definita cum Schematibus, seu Diagrammatibus geometricis, quorum illa, tanquam arbitraria nomina, a conditoribus scientiarum rebus conceptis imposita; hæc autem ut signa naturalia recte contemplatur. Nec enim illa cum rebus conceptis ullam habent affinitatem, cum hæc, quæ in plano quodam exhibentur, Diagrammata extensorum naturæ respondere supponuntur. Circa idearum determinationes ex *Euclide* probe observat Clariss. Autor; eas interdum ratiocinando erui, nec tamen ex more Philosophorum quorundam vulgarium effingi, *Sect. III §. 4, 5.* id quod uberius *Sect. X §. 10* ostensum est. Conversionem & oppositionem male a nonnullis tanquam peculiares ratiocinandi species considerari, ostendit Clariss. *Hentschius Sect. VI*, in qua paucis multa, eaque utilissima, proposita esse, deprehendes. Formatio consequentiarum immediatarum optime ex *Euclide* docetur *Sect. IX*, nec non inventio Propositionum *Sect. XI*, in qua theoreticarum Propositionum indolem & formationem ita describit Clariss. Autor: *Propositiones theoreticæ omnes ad duplex revocari possunt genus, prouti de subjecto genera, differentiæ, conceptus communes, proprii, vel alii quicunque conceptus, ex comparatione rerum orti, prædicantur. Prioris generis propositiones partes, ad rem conceptam pertinentes, exhibent; posteriores mutuas rerum relationes sistunt. Ad priorem classem referas propositiones sequentes: Triangulum est figura; triangulum tribus rectis terminatur; tres triangulorum anguli æquantur duobus rectis; anguli ad basin triangulorum isoscelium inter se sunt æquales. Ad posteriorem classem: Duo, triangula, positis certis conditionibus, inter se sunt æqualia, Propos. IV, VIII, XXVI, XXXVII; si parallelogrammum & triangulum eandem habeant basin, sintque in eisdem parallelis, parallelogrammum ipsius trianguli duplum erit Propos. XLI. In formandis*

 pro-

propositionibus theoreticis mens nostra diversimode intuitu partium, ex quibus qualibet propositio theoretica constat, operatur. Nunc enim, positis certis conditionibus, pervenimus ad conclusionem, quæ deinceps propositionis formam induit, & demonstrationi præmitti solet; nunc hypotheseos cum thesi nexum, vel pugnam, tanquam satis notam, nobis repræsentamus, & in contradictoriam thesi nostræ sententiam plerumque inquirentes, ad veritatem asserti nostri ducimur. Modus prior formandi propositiones theoreticas manifestus est ex Propos. Euclideis Propos. IV, V, VIII, XIII, XVI, XVII, &c. modus posterior ex Propos. VI, VII, XIV, XIX, &c.

Conamen II principia Logicæ quantitatum exponit, breviter quidem, sed solide, eademque accommodat ad theoremata *Euclidis*, quæ *Elem. II* continentur, investiganda.

Conamen III, cujus index: *Philosophia prima ex Euclide restituta*, explanat generalissimas rerum notiones, ingeniose ex *Elem. III* & *IV Euclidis* erutas. Nova plane hæc est, eaque simplicissima, Philosophiæ primæ forma, in qua manifesto falsis rectiora substituta, sterilia nonnullorum recentiorum commenta eliminata, omniaque ex genuinis fontibus deducta esse, vides. Recte enim vidit Clariss. Autor, ideas, in Metaphysica occurrentes, esse *primas*, in nullas alias simpliciores resolubiles, quo v. c. pertinent voces existentiæ, essentiæ, identitatis, diversitatis, similitudinis, dissimilitudinis, æqualitatis, absoluti, relativi, extensionis, compositionis, spatii corporei, materiæ, &c. quo quidem fundamento superstructa Metaphysica aliam plane, eamque simplicissimam, adepta est formam. Præter alia, quæ hoc *Conamine* continentur, liceat adducere ea, quæ exstant *Sect. II §. 8*: *Quantitatis vox notat omne id, quod augeri potest & minui. Hoc sensu tribuitur non solum magnitudinibus, uti lineis, superficiebus, & solidis; sed etiam ideis nostris, prouti in analysi imminuimus notionum complexum, quem in synthesi augemus, addendo generi novas determinationes, v. c. si a triangulo abstraho figuram, prætermisso numero laterum, quibus spatium comprehenditur, notionum complexum imminuo; si vero in triangulo addo, duo latera esse æqualia, complexum notionum augeo. Ideæ igitur, quæ augeri & minui possunt,*

com-

componuntur, addendo generi peculiares determinationes, & dividuntur, resolvendo ideas particulares in universales. Hinc, divisionem & compositionem ideis tribuere, absonum non est.

Conamen denique *IV*, ad *Elem. V* & *VI Euclidis* accommodatum, generales scrutatur magnitudinum affectiones, uti penetrabilitatem, realitatem, compositionem, extensionem, infinitatem, & divisibilitatem. Præcipua, quæ hoc in loco argumentis satis idoneis confirmantur, sunt sequentia: 1) Tres magnitudinum species esse nudas capacitates, ideoque penetrabiles; 2) tres magnitudinum species esse reales, non imaginarias, ubi simul, quomodo intellectus humanus corpora physica & geometrica concipiat, accurate disquiritur; 3) spatium, seu capacitatem corpoream, esse id, in quo materia locatur, & ab eadem diversum; 4) spatium corpore vacuum posse dari, &c.; 5) spatium esse substantiam, non accidens: id quod Geometriæ *Euclideæ* ope solide evincitur, adeo, ut de hisce omnibus & reliquis nemo rationis usu præditus possit dubitare.

THOMÆ STANISLAI VELASTI, SOC. JESU, Dissertatio de Literarum Græcarum pronuntiatione.

Romæ, 1751, 4.

Plag. 15.

Acris illa contentio, quæ ante duo pæne Secula studia sectatorum, hinc *Erasmi*, *Reuchlini* illinc, exercebat, nostris his diebus Romæ revixit, doctosque in Urbe æterna viros dividit. Pugnæ classicum canebat ille, qui sub *Mirtisbi Sarpedonii* nomine latet, de grege *Erasmiano*, edito libello, in quo modum Græca pronuntiandi, qui Græcis hodie in usu est omnibus, & nominatim P. *Gregorium Placentinum*, illum, qui *Montfauconii Palæographiam Græcam* in compendium misit, carpsit. Caussam suam suæque partis dicere non neglexit *Placentinus*, dixitque, satis humaniter graviterque idem. Paulo acrius ampliusque idem egit *Thom. Stanislaus Velastus*, homo Latini ritus, inter Græcos in insula Chio natus educatusque, & qui, sua aliorumque confessione, omnem pæne Orientem Occidentemque peragravit, & magnam ætatis partem in Græcis exegit. Quæ is argumenta pro *Reuchliniana* profert, quamvis non

nesciamus, nova non esse, juvat tamen, strictim recensere præcipua. Primo quidem loco, illos, ait, falli, qui aut, studio partium se, putent, abreptum illis plaudere solis, quæ ab ineunte ætate in Græco solo audierit & imbiberit, aut, se, mirentur, hominem Latinum, a fide, ritibus, & institutis, Græcorum pæne omnibus, pro indole Chiorum Latinorum, prorsus abhorrentem, Græcis tamen factum velle, ipsorumque causam perorare. Opellam hanc alii rei, præter veritatis amorem, deberi, negat. Flagitasse eam a se cum suam recli verique conscientiam, tum muneris sui rationes. Nam, si taceat, si dissimulet verum, alumnos Collegii Græcorum in urbe *Gregoriani*, quos Græcam linguam autoritate publica doceat, id vitio sibi vertere, qui, superiore anno palam a *Sarpedonio* lacessiti, respondere ob ætatem & vitæ institutum non ausint. Non concedere denique judicio Emin. Cardinalis *Quirini* se nequiisse, qui, a se postulata, quæ in promtu adversus *Sarpedonium* haberet, ut viderit in chartis exarata, digna typis judicaverit, & prelo protinus tradi jusserit. *Quatuor Partibus* absolvitur hæc opella. *Prima* de universa Græcarum literarum pronuntiatione agit; *secunda* docet, η valere *ita*, & unisonum esse cum *ἰῶτα*, *ει*, *οι*, & *υ*; *tertia* in veram diphthongorum & literæ β pronuntiationem inquirit; *quarta* denique de accentibus disputat. Initio igitur, literæ Græcæ omnes, quæ quidem in controversiam veniunt, ut pronuntientur, præscribit, in quibus memorabilia hæc potissimum visa nobis sunt, γ ante ε & ι valere j Italum, ut *γέρας*, *jeras*, *γίνομαι*, *jinome*, ζ valere *s*, ut *τράπεζα*, *trapesa*, *μεῖζον*, *mison*, θ Anglicum *th*, τ post ν valere *d*, ν ante π *m*, ut *τὸν πόδα*, *tom poda*, *αυ* non *au*, neque *af*, sed *av*, seu Germanico more *aw*, ut *αὐγὴ*, *avji*, vel *awtschi*, geminas consonantes non ut geminas, sed ut unam simplicem, proferri. In hunc modum, ait, Græcos omnes enuntiare, non illos tantum, quos Græcia, quos Asia, quos Thracia, sed etiam quos Dacia, Illyricum, Sicilia, Italia, tenet, patres Basilianos, infinitam Ruthenorum multitudinem. Deinde id urget *Velastus*, septimo, aut octavo, Seculo a barbaris, a Saracenis, illatam, quod vult adversarius, barbariem in Græcam pronuntiationem nullam fuisse. Ut enim immigrarint in Græcum orbem cum barbaris

ris barbara vocabula, quod multo quidem citius a Gothis & Vandalis contigit, in pronuntiationem tamen, in sacra id nihil valuisse. Barbaris plebejis ad Ecclesias, ad sacra tribunalia, non patuisse aditum, ubi a doctis hominibus antiquæ linguæ purissima monumenta, textus Evangeliorum, Liturgiæ Sanctorum Patrum, cantica, ex vetusta, & a majoribus ad posteros propagata, & velut per manus tradita, modulatione recitata fuerint. Neque capitalem *Platonis* locum, *Sarpedonio* tam ambitiose jactatum, eo valere, ut probet, ab *Alexandri M.* temporibus, quod *Sarpedonius* velle videatur, in deterius isse Græcam pronuntiationem, quæ nullo tempore passa corruptionem, nisi ab *Erasmianis*, fuerit. In eam tamen potius vergere sententiam, idque perspicuis verbis asseverare, *Sarpedonium*, Græcas literas integra puritate ad Concilii Nicæni tempora floruisse, magistris clarissimis, & publico stipendio conductis, eas in amplissimis urbibus docentibus, deinceps declinasse grassantibus Saracenis. Ea vox fuerat *Sarpedonii*. Hanc Noster exagitat, ut chronologicis rationibus parum congruam. Duo nimirum Secula intercedere. Sibi quoque id favere, quod *Sarpedonius*, velut adversaturum, ex autore *Fleurio* produxerat, *totam Græcæ linguæ scientiam apud solos Melchitas conservatam fuisse, & hodiernum pronuntiandi modum e Melchitarum scholis ad nos manasse*; Melchitas enim, seu imperiales, esse incolas orbis Græco-Byzantini, eoque suo se gladio adversarium jugulare. Non desiisse illis temporibus, quæ Concilium Nicænum & meram medii ævi barbariem intercessere, Academias, in quibus Græcæ literæ docerentur, & castissima Atticismi monumenta usu contererentur; non defuisse ingenia editis libris clara, quos recenset. Ex eo, quod vulgaris Græca dialectus fœdissima sit, & *Platonica* dictioni dissimillima, non tamen confici, corruptam pariter fuisse pronuntiationem, cum, nihilo puriorem fuisse Græcum plebeculæ *Platoni* æqualis sermonem, tam certum sit, quam quod certissimum. Itaque, profligata *Sarpedonii* sententia de natalibus novæ pejoris pronuntiationis, illam *Cheki*, sed eam omni veri specie carentem, refutat Autor, asserentis, veterem quidem veramque pronuntiationem Græci sermonis ad excidium usque imperii Constantinopolitani non intercidisse,

cidiſſe, at, Græculis e patrio ſolo in Italiam commigrare coactis, egeſtatem & quæſtus cupidinem ſuaſiſſe, ut, conficta nova pronuntiandi ratione, linguam ſuapte natura difficilem adhuc impeditiorem facerent, quo diutius tenerent auditores, & ipſi doctiores imperitis haberentur. Quam futilem eſſe conjecturam, ex Hiſtoria literaria Seculi XV demonſtrat Autor. Deinceps redit ad *Sarpedonium*, cujus repudiat excuſationem, in nullius, quamvis eruditiſſimi, poteſtate poſitum eſſe, ut cauſam, occaſionem, epocham, proceſſum, corruptionis indicet, & digito velut demonſtret. Negat, ſe id *Sarpedonio* debere, quod ille poſtulaverat. Poſtulaverat autem, ſibi viciſſim oſtendi, quando, quave occaſione, factum ſit, ut priſtina Latini Germanicique ſermonis pronuntiatio in hodiernam commutaretur. Nam illam quidem prorſus deſiiſſe, Græcam deſiiſſe nunquam. Quod aſſeverare, ni clara documenta acceſſerint, verendum, ne parum ſatisfaciat. Nam, Germanicum quidem ſermonem vetuſtum, quamvis inſigniter ab novo diſcrepet, prorſus tamen fuiſſe intermortuum, negare non dubitamus. Denique, quod linguæ non uni, neque alteri, ſed, quotquot notæ quidem ſunt, omnibus, contigit, a Græca quoque non alienum exiſtimare, videtur æquum & humanum eſſe. Ecquid tandem non abripiat temporum præceps ruina, rebus novam faciem inducere ſemper ſatagens? Multus porro eſt *Velaſtus* in extollendo ſtudio Græcorum erga veterem ſermonem. Liturgias, illo conceptas, puerulis inculcari; vulgus ipſum memoriter ita callere, ut legere indocti diſcentes tamen doceant. Qui multum in ſtudiis literarum proficiant, non illis doctrinis, quæ a nobis excoluntur, animum adjicere, ſed in legendis Patribus & profanis ſcriptoribus Græcis conſeneſcere. Quæ, quamvis ſpecie non careant, non videntur tamen Autoris cauſam multum juvare, ſi quidem aliæ linguæ, quæ non minus, quam vetus Græca, in ſacris, in foris, in ſcholis, in omni vita, multæ & totæ ſunt, nihilo tamen minus a ſeculis in ſecula mutantur. Porro urget *Velaſtus* hoc: *Eraſmum*, novæ pronuntiationis patrem, ea nunquam, ſed ſemper vetere, a majoribus accepta, uſum fuiſſe, ſive inventi ſui probitati diffideret, ſive credulitatis ipſum ſuæ puderet. Ajunt enim, *Henricum Glareanum*, Pariſiis advenam, &

Lova-

Lovanii ad *Erasmum* visendum venientem, sciscitanti, quid novi afferret, novam a se ludibrii causa confictam pronuntiationem Græci sermonis tradidisse, avide arripienti, & inter familiares spargenti. Aliquo tempore post *Erasmum* comperisse, os sibi fuisse sublitum, se risum præbuisse. Negant tamen *Erasmiani*, virum novam excogitasse. Non eum, ajunt, nisi longa oblivione sepultam in lucem & usum revocasse. Atqui, prudenter monet *Velastus*, etiamsi vere id affirmetur, repugnandum mutantibus fuisse ipso illo articulo, quo Græca pronuntiatio in pejus ire minabatur; abrogata retinere & revocare, autore *Quintiliano*, insolentiæ esse, & frivolæ in parvis jactantiæ; facere denique ad turbandum bene constituta. Κακὸν εὖ κείμενον ἐᾶν. Ipsum *Erasmum* veteri illa sua, a tumulo excitata, pronuntiatione auditorum, qui plurimi ab ejus ore pendebant, neminem imbuisse, contra *Reuchlinianam* semper docuisse. Post dudum editam illam, cui tota hæc lis debetur, Dissertationem exhibuisse *Rutgero* formulam Græca pronuntiandi, manu sua scriptam, non ad suam mentem, sed ad morem Græcorum omnium. Toties præfuisse suorum operum iteratis editionibus, in illo tamen opusculo, quod *Echo* inscribitur, nihil movisse, quamvis ibi *eruditionis* cum ὄνοις, *Episcopi* cum κόποι, *bariolari* cum λάροι, composuerit. Denique paucos amatores, neque eos primi subsellii, *Erasmianam* formulam invenisse; pro veteri e contrario stetisse summa nomina Italorum, Gallorum, inter quæ nominat *Scaligerum* & *Salmasium*.

Hæc e *prima Parte*. Audiamus nunc, quæ Noster pro sono τοῦ ἦτα ut ἰῶτα in medium affert. Putarunt cum *Erasmo* multi, sonum istius literæ ut *i* cum Turcis, Constantinopolin rapientibus, in Græcum sermonem irrupisse, extruso veteri, qui *e* longum referebat. Sed, illos falli, arguit exemplis, ex *Eustathio* prolatis, qui passim παρηχήσεις, seu alliterationes perfectas, & ὑποπαρηχήσεις, seu allusiones, crepat, & in *Homero* reperisse gaudet, vanum, si bene *Homerum* novimus, gaudium. Argutulus profecto fuisset, si Græculus, si Grammaticus sequioris ætatis, si Episcopus Thessalonicensis, fuisset. Exempla alliterationis ex utroque genere sunt hæc: ἦος & ἴηος, μεῖνα & μῆνες, ἔδδεισαν & ἔδησαν, πίθεσθε & πείθεσθαι, ἦμεν & ἴμεν, ἥβης & ἴβις, τῆς & ταῖς

τοῖς, ζῆ & ζεῖ, ἥρης & ἶρις. *Suidas* porro allegatur, qui, autore *Cratino*, refert, Atticos balatum ovium non per βα, sed per βη, expressisse. Unde conficitur, η non ut αι sonuisse. Recte id quidem, at non illud item inde conficitur, η ut *i* sonuisse. Sunt enim, qui, αι valere longum *e*, negant, sed ut *ai* efferunt. Majoris ponderis hoc est argumentum, ex eodem *Suida* petitum. Autor ille, *Eustathio* certe antiquior, αι non suo loco sub α, sed sub ε, collocat in Lexico, secundum Alphabeti literas constructo. Idem porro perspicuis verbis, γλήχων & γλίχων, νήφων & νίφων, cum eadem sono sint, diversa significare, monet; si illa unquam a *Suida* profecta, & ipso digna, sint. Quis enim γλίχων unquam dixit, nisi forte de vulgo homo? Politiores γλίχεσθαι, *cupere*, dicunt. *Cyrillum* quoque, seu *Philoponum*, sexti Seculi hominem, in Lexico vocum, pro diversa vocali, aut accentu, alia atque alia significantium, promiscue habere η & ι, ut ἀρ[illegible]μής & ἄρ[illegible]μις, δεσπότης & δεσπότις. Antiquissimus horum *Ammonius* distinguere jubet inter δαμάλης & δάμαλις, πεῖρα & πήρα, & alia similia. Quæ facturos illos non fuisse, si η & ι pronuntiando idem non sonuerint. Eodem ex fonte manasse tam crebros librariorum errores in permutandis η & jota & diphthongis ει atque οι quorum ingentem texit indicem, & multo ampliorem potuisset texere, tanto majore dispendio, quanto res notior, & malum in plures libros fusum est. Quem enim eorum id non afflavit? Quem non tanto magis, quanto propius ab ætate inventæ artis typographicæ abest? Græcos Latinorum *i* litera η reddidisse, porro addit Autor; quod sexcentis exemplis, ait, *Dionysium Halicarnassensem*, *Ptolemaeum*, *Strabonem*, Novum Test. alios, probare. Voces bene Græcas veteres in inquinatiore illa, quæ Græcorum vulgo hodie in usu est, retentas, in quibus quidem η olim exaratum fuerit, per ι efferri, ut πηλὸς hodie sonare *pilos*, ἥλιος *ilios*, ut alia omittamus exempla, magno numero congesta, absque usu, quod nobis quidem videtur. Ea enim de re non agitur; neque recte advocatur accusatorum in causa sua suffragium. Illam pronuntiationem, ut novam, ut corruptam, *Erasmiani* repudiant, & Græciæ terminis ejectum eunt. Rectius Rutheni, Armeni, Maronitæ, qui *Amin*, *Michail*, item Hispani, qui *Ermitanno*, ab ἐρημίτης, nec non Fran-

Franci, qui *eglise*,& *boutique*, ab ἐκκλησία & ἀποθήκη pronuntiant, testes citantur. Qui autem Germani quoque possint debeantque causæ huic patrocinari pronuntiatione sua vocum ῥῆμα, ἦθος, κνήμη, ἐξήκοντα, non intelligimus, non exputamus. Voces enim nostrates, quibus Græcas illas reddimus, a Græcorum sono toto, quod ajunt, cœlo distant. Ipsos tandem veteres Latinos η ut ι extulisse, urget. *Genitus*, *genitor*, *delirare*, *navigium*, *dicis causa*, Græca esse γένητος, γενήτωρ, ληρεῖν, ναυήγιον, δίκης *causa*, immerito in controversiam trahi. Positis in medio his argumentis, quæ Græcorum causæ favent, illa submotum it, quæ pars adversa in contrarium affert. H vel ipsa figura E geminum referre, unum alteri obversum. At geminum I, unum alteri appositum, & transversa virgula junctum, imaginationem inde efficere æque commode, ni aptius, posse, recte arguit Autor. E porro, ajunt, quorsum putes *psilon*, seu *breve*, fuisse appellatum, nisi longum esset, cui opponeretur? Sed negat Autor, ψιλὸν *breve* notare. Sic illud dici a Grammaticis, ad αι respicientibus, & illud huic, duo idem sonantia, comparare. Similiter ypsilon opponi eadem de causa diphthongo οι. Quidni vero ἔψιλον opponatur diphthongo αι, & ὔψιλον composito υι? Ab ejus porro voluntate, qui η a pristino consonantis aspirantis, & notæ numericæ, valore ad usum vocalis primus traduxit (*Simonides* ille fuit), idoneum, negat, argumentum adversariis peti. Sive enim id contendas longum E, sive longum I, tantundem causæ fuisse literæ inveniendæ, & in usum immittendæ, quæ hoc, quam quæ illud, significaret. Neque officere, quo minus η ι sonet, id, quod ab ἰῶτα diversum non sonet. In multis linguis literas esse binas pluresve sono easdem, figura diversas, ut א & ע. Quod argumentum, ipse viderit, quomodo tueatur apud homines orientalium linguarum, Arabicæ præcipue, peritos, qui omnes uno affirmant ore, sonos literarum א & ע esse haud parum, haud obscure, dissimiles. Capitalem denique *Platonis* illum locum (*pag.* *448* edit. *H. Stephani*), quem *Sarpedonius* ambitiose jactaverat, velut sufficientem toti rei conficiendæ, asseverat Noster, illius spem multum fallere. Nam ex eo planissime confici, η ab Atticis non ut ε fuisse pronuntiatum, quod tamen *Erasmiani* factum contendunt. Qui enim, interrogat, si η & ε idem sonuit, ab ἱμέρα

 delabi

delabi potuerunt illi veteres, de quibus *Plato* disputat? Rectius igitur credi, Atticos, quos Philosophus ait, antiquissimo tempore *ἱμέρα*, medio *ἑμέρα*, novissimo atque suo ævo *ἡμέρα*, pronuntiasse, egisse aliud nihil, quam quod Romani non uno exemplo egisse deprehenduntur. Quid autem hoc? Omittebant Romani haud raro antiquum scribendi morem, & novo mutabant. Hujus ipsius quoque tandem subrepente tædio, revocabant veterem desitum quasi postliminio. Gravis alia est accusatio, qua *Reuchlinianis* invidiam conciunt adversarii. Intolerabile tinnit in *Erasmianorum* auribus jotacismus, ut negent, suavissimo sermoni (is enim perhibetur vetustus Græcus fuisse) potuisse tam fœdum, tam execrabile, vitium insedisse. Atqui, ipsum illum tantopere exosum & exagitatum jotacismum a vetusta lingua non fuisse alienum, constare ex *Cicerone*, qui, *Cottam*, in *Bruto* ait, *assiduo Græce loquendi usu a dilatandis literis Latinis se abstraxisse*. Ergo presso & parum hiante ore locuti sunt Græce veteres. Ergo frequentius litera *ἰῶτα*, quod exilius sonat, & presso profertur ore, quam E, quod rictum diducit, utebantur. Quamvis quoad sonum vacet *ι*, & abesse commode a Græco sermone possit, non tamen prorsus otiosum esse. Non eam linguarum esse rationem, ut omnes literæ ad solum sonum excogitentur, ut nulla adsit, quæ tolli nequeat. Quod liquido constet in litera K apud Latinos. Testimonium, quo *Cicero* Atticos ornat, *pressos* eos esse, perhibens, *& emunctos, nihil apud eos mutum, nihil superfluum, densa omnia, & nervis quibusdam intenta*, ad orationem, non ad pronuntiandi scribendive morem, petinere. Illos enim *ι* passim addidisse vacans, ejus rei argumento esse *ει*, quod olim nihilo plus, quam simplex *ε*, notavit, ut e *Plutarchi* libello de EI Delphis inscripto constat. *Dionysio Halicarnassensi* autore de tribus & viginti Græci Alphabeti literis, ejus ætate usitatis, decem non necessarias a quibusdam fuisse judicatas, ab aliis plures. Derivationem vocum opponunt *Erasmiani*, quo probent, *η* propius ad *ε*, quam ad *ι*, accedere. Opponit Noster *Platonis* aliam autoritatem, qua contrarium liquido conficitur. Illi *μῆλα*, *oves*, volunt a *μέλειν* dicta fuisse, quod hominum primorum prima & maxima cura in pastura gregum sita fuerit. Atqui *Plato* solem, *τὸν ἥλιον*, ab *εἱλεῖν*, *calefaciendo*, & *δήμητρα*, *Cererem*, a *διδοῦσα*, dictam vult, ut

ma-

matrem largam. Nugas nugis oppugnari, æquum erat. Tandem illud adversæ partis argumentum de validissimis unum agreditur, quo sententiæ robur illinc arcessunt, quod Latini consueverint η vocum Græcarum, quas civitate sua donabant, in *e* convertere, e. c. *πρόβλημα*, *problema*. Duo præcipua sunt, quibus vim argumenti frangit. Primum in exemplo Hetruscæ hodiernæ gentis & linguæ monstrat morem gentium omnium, voces, aliunde adscitas, ad palatum suum deformandi & detorquendi. A quo generis humani more Latinos quoque veteres non abfuisse, non tantum credi probabili ratione, sed etiam constare exemplis, quorum copiam affert; quæ docent, Latinos Græcorum, a se adscitorum, vocabulorum, e. c. υ modo per ι, modo per *o*, nunc per *v*, per *y* nunc reddidisse. Et ipsis modo *e* more Ionum, modo *i*, sonuisse. Deinde nimium confidenter ab adversariis edici, Latinos η ubique per *e* reddidisse. Quod secus habeat. Illos enim η modo *e* brevi, modo *ia* duabus syllabis, modo *i* brevi longove, modo *o* brevi, modo *a*, reddidisse. Voces illas, quas firmandæ opinioni suæ allegant adversarii, plaustris integris a P. *Giraudeau* convectas, pro maxima parte familiares ecclesiæ scriptoribus, &, everso a barbaris Latio, corruptas potius, quam natas, fuisse videri. Latinorum in pronuntiando η affectationem discrepantiæ a Græcis novissimo & illustri exemplo *Martini Crusii* disci, qui notissima in insula Chio gentium aliquot illustrium nomina Κορέσης, Σέψης, &c. tametsi ipse sæpius audiverit *Coressis*, *Sepsis*, &c. pronuntiari, nunquam tamen non in sua Turcogræcia reddiderit *Coresses*, *Sepses*. Idem contigisse nomini celeberrimi Cardinalis *Bessarionis*, quem omnis tamen Græcia *Wissarionem* appellet. Largiamur denique, ait Noster, *Erasmi* gregi, Latinos η per *e* extulisse. Ideone causa ceciderimus? Atqui, autore *Fabio*, veteres Latini ε ita pronuntiabant, ut, I audires, an E, non distingueres. *Gellius* perhibet, consuetum veteribus fuisse, E & I uti indifferenter. Largiamur & hoc, sic pergit *Velastus*, liberales in ampla re simus. Pronuntiaverint Latini E sic, ut nos hodie solemus. Atqui meminisse oportet, eos Æolum fuisse sobolem, quorum erat, illum exilem & angustum, quo *i* effertur, sonum in latiorem ε diducere, quem sic amabant πλατύστομοι ὄντες, ut illum oderant.

In his finitur *secunda Pars*. *Tertiæ* & *quartæ* quod argumentum sit, e superiorioribus teneri, confidimus. Non enim juvat, illas quoque eadem cura, & sermonis amplitudine, persequi, qua *secundam* recensuimus, in qua nervus controversiæ incidi, & arx ipsa partis adversæ everti, nobis videbatur. Minore studio si digna judicamus reliqua, non eo detractum de opellæ pretio quidquam imus, sed brevitati, quam sibi nostrum institutum deposcit, consulimus.

ACTA SOCIETATIS LATINÆ JENENSIS, EDITA AB ejus Directore, JO. ERNESTO IMMANUELE WALCHIO, Philos. Doct. & Profess. Publico.

Volumen II.

Jenæ, apud viduam Crœkerianam, 1753, 8 maj.
Plag. 22.

Quæ hujus operis sit conformatio, quæque opes literariæ ad communem velut fructum ab hominibus eruditissimis laudatissimisque afferantur, satis jam ex iis constare Lectoribus nostris arbitramur, quæ de *primo Actorum* inclitæ Societatis *Volumine* diximus. Gaudebunt vero, quotquot artibus honestis bene cupiunt, earumque favent incrementis, hoc in *altero Actorum*, quæ foras dantur a præstantissimæ Sodalitatis Directore Celeberrimo, *Volumine*, tantum abesse, ut deteriores sibi apponantur epulæ, ut delicatiores etiam exquisitioresque inveniantur. Ut dicto fidem conciliemus, ecquod sit hujus *Voluminis* argumentum, paucis enarrabimus. Quemadmodum in *priori*, ita in hoc etiam *Volumine*, *Societatis historia* reliquis Sodalium Dissertationibus præmittitur, ac de iis partim, quæ ibi omissa sunt, diligenter exponitur ab Ephoro ejus doctissimo, partim, quæ postea vel gesta sunt, vel immutata, prioribus adjiciuntur. *Duodeviginti* viros, munerum dignitate amplissimos, honoris ergo, Societati adscriptos; *quatuordecim* vero juvenes eruditos in ordinariorum Sodalium classem relatos esse, tempore hoc sane exiguo, quod inde a *prioris Voluminis* editione effluxit, haud vanum nobis crescentis liberalium disciplinarum inter nos amoris præbere augurium videtur. Inter *Commentationes*, quas vel argumenti varietas, præter eruditionem orationisque elegantiam, mirifice commendant, *primum*
Pag. 1-19. locum ea tenet, quam *Menckenius* noster, Societati & ipse adscriptus, sed inprimis in edendis his *Eruditorum Actis* occupatus, olim coram duobus Saxonicæ juventutis Principibus regiis recitatam, invidere his *Actis* noluit. Agit vero illa *de hodierna literarum, per præcipuas Europæ cultioris partes, facie & statu.* *Alterum* locum Cel. *Ges-*
20-24. *neri* ad *Disputationem de Nomenclatura Latina παραλειπόμενα* occupant, quibus de *Buffoni* historia naturæ, ac de pisce *Antacæo*, quem hodiernum *Husonem* esse, quidam existimant, eleganter exponit. Nempe crimini datum est *Thesauro Latinæ linguæ*, quod illud non doceat, non accepta illa vel confessione, vel causæ dictione, qua in Præfatione usus

erat

erat Vir Cel. Etsi vero non debebat Antecæum emtoribus *Thesauri*, quippe apud Latinos non obvium; tamen, cum θύραι Μουσῶν ejus vere sint ἄφθονοι, lubens liberalisque vel censori impertit, (vid. *Disquisitio de mari* Germanica Francof. & Lipf. 1750 *pag. 329*,) vel studiosis in universum, quæ per hanc occasionem de Antacæo e Græcis didicit. *Tertia Commentatio* est Rev. D. *Jo. Dieterici Winckleri, de genuina τῆς ἐγκρατείας significatione, ad 2 Petr. I, 6*, quam in eo Autor ponit, ut sit prudentia, qua in unaquaque re, sive bona illa sit, sive mala, modum quis ita servat, ne vel justo minus, vel nimis, faciat. *Quarto* loco *Jo. Sal. Semleri Spicilegium variarum lectionum ad Lib. I Epist. Plinii* affertur. Usus est Vir doctus duobus Codicibus, aut excerptis eorum varietatibus; alterò Salisburgensi præstantissimo, quo *Schwarzius* in emendando *Plinii* Panegyrico usus est, cujus variantes scripturas *Nagelius*, V. C. excerptas ex ipso Codice, servat; altero ex Bibliotheca *Schwarziana*, in papyro scribi cœpto, sed in *Lib. III Epist. I* desinente. Ut, quanti sint faciendæ lectiones illæ, judicare Lectores nostri possint, paucas quasdam hic subjiciemus. *Epist. X, 3, at* ego illas nunc miror, pro vulgato: *Aut* ego *nunc* illas *magis* miror, uterque Codex habet. Non inepte. Ibidem *scalptore* pro *sculptore* in Cod. Salisb. *Epist. XII, 6*, non *solum* pedibus, pro vulgato: non pedibus *solis, Salisb. n. 7; habebant*, pro *habebat*, Cod. papyr.; *n. 13, succurrerunt*, Salisb. pro *succurrunt; Epist. XIII, 6, neque enim est fere quisquam, quando nos amet, ut studia non simulet*, Cod. uterque; *Epist. XIV, 3, ita* reveretur, Cod pap.; *6, Serranam procul a me*, Cod. uterque; *Epist. XVI, 4, in concionibus idem, qui in orationibus, est*, Cod. pap.; *ibid. 8, languescis*, uterque. Sed sufficiat, hæc transscripsisse huc, gustus quidem earum magis dandi causa, quam sitis sedandæ. *Quintum* locum tenet *Jo. Christoph. Strodtmanni Centuria differentium apud Latinos vocum*, cui appendix quadraginta vocabulorum, diversas potestates habentium, subjungitur. Nota est in vulgus Viri Clarissimi diligentia in hoc genere; itaque, neminem fore, arbitramur, qui, quin *Popma* luculentas inde accessiones habere possit, dubitet. Sequitur M. *Imman. Frid. Gregorii de scribendi genere διὰ σημείων, præcipue apud veteres Romanos*, Dissertatio. Duo διὰ σημείων scribendi genera Romanis quodam tempore usu recepta fuisse, docet, alterum, quod vocabulorum in *compendiis* cerneretur; alterum, quod occultas haberet *notas*, quas intelligere nemo, nisi probe illarum guarus, posset. De singulis ea repetuntur ex optimis scriptoribus, quæ scitu videbantur apprime esse jucunda. *Septimum* locum habet *Jo. Ernesti Imm. Walchii Pocillator Phrygicus*. Retulit Vir Celeb. pervetustum aliquod sigillum æneum, Romæ in agro quodam repertum, post in urbem delatum, ex Italia domum, quo iter literarium, non ignobile, instituerat. Est illud imago pueri crassi & pinguis, qui sinistra manu, ut omnes rationes ostendunt, pateram tenet. Dextra ejus per injuriam temporis periit quidem; eam tamen, ut ex brachii situ colligitur, in altum videtur sustulisse, atque in ea vas quoddam majus habuisse, ex quo funderet vinum, aut aquam, in aliud minus, pateræ, modo

Pag. 25
34-50.
51-103.
104-122
123-184.

dictæ, forſitan imponendum. Pedibus, quorum alter aut ferrugine corroſus, aut alio caſu ruptus, nudus comparet, corpore vero tectus cernitur, tunica nimirum apte cingulo ſuccincta & complicata. Capitis tegumentum Romanis inuſitatum, eique propemodum ſimile, quod Monachi hodie, cucullis ſuis aſſutum, gerunt. Hunc igitur puerum, ſubductis probe rationibus omnibus, *pocillatorem* eſſe, judicat, de cujus muneribus, nominibusque, exponit ſimul doctiſſime, quidque eum interfuerit atque alios ſervos, ſimilibus fere miniſteriis adhibitos, docet, quemque locum in familia reliqua habuerit, quærit. Deinde rationes ſatis idoneas affert, cur, pocillatorem eum eſſe, exiſtimet. Tandem e pilei genere, Phrygem eum eſſe, probat, quod minus mirandum judicat, quia ſervi exteri Romæ pluris eſſent facti, quam inquilini. Quæ omnia quantis lectionis copiis, quantaque ingenii orationisque ſuavitate, diſputentur, animum facile
Pag. 185 - induceunt ii, qui elegantiam *Walchianam* norunt. *Octavo* loco ponitur M. *Jo.*
202. *Gottfr. Mulleri Sylloge variantium lectionum e Codice Jenenſi antiquo Terentii,* quem, per duo Secula miſere habitum, atque in primario urbis templo jacentem, in lucem Vir doctus, qua profecto dignus erat, revocavit. Eſt ille quadringentorum annorum, in charta, quamvis parum nitide, ſcriptus, *Heavtontimorumeno* & *Hecyra* deſtitutus. Lectiones tamen non malas habere videtur. Sic in *Andr. Act. I Sc. I, 2,* dictum *puto*, pro *puta*; 112, quid commerui? *haut* peccavi; *Sc. III, 10,* ad hæc mala hoc mihi *accidit*, pro *accedit*; *Eun. Act. I, 30, ni-*
203 - 224. *mio* pro *minimo*. *Nonum* occupat locum *Car. Frid. Walchii Jupiter ſerenus,* cujus in tribus apud *Gruterum* marmoribus fit mentio, quemque, quia claræ tempeſtatis præſes habebatur, proprie ita dictum eſſe, copioſe eruditeque diſpu-
225 - 240. tat. *Decimum* habet locum *Lud. Gull. Ballbornii de veterum Diis σωτῆρσι Commentatio,* qui ſunt *Jupiter, Apollo, Æſculapius, Caſtor* & *Pollux, Neptunus, Bacchus, Hercules, Minerva, Ceres, Proſerpina, Diana, Juno, Mercurius, Mars, Venus, Fortuna, Serapis, Priapus,* de quibus multa, non inerudite, monet Vir
241 - 282. elegantis ingenii. Agmen claudit *Jo. Frid. Schœpperlini* Diſſert. *de Romanæ linguæ cultoribus κακοζήλοις,* quorum in claſſe cenſentur, qui Scholaſticos, ut dicuntur, *Appulejum*, antiquata, *Melanchthonem, Lipſium,* formulas, a ſuperſtioſis commentitiorum Deorum cultoribus celebratas, dicendi χαρακτῆρα, ſuo cujusvis ingenio accommodatum, & idiotiſmos, poeticam dictionem, exprimunt, aut perverſe imitantur, adagiisque male utuntur. Subjecta ſunt tria elo-
285 - 310. gia, *Jo. Gottl. Heineccii,* Autore *Car. Frid. Walchio; Jac. Burckhardi,* Autore *J. C. Cramero; Matthiæ Belii,* Autore *C. A. Trœbſtio.* Nos quidem Societati optimæ perennem florem, ſodaleſque, his, quorum conſcripſit elogia, ſimillimos, ex animo precamur, ut porro de honeſtis literis præclare mereri, ingeniisque liberalibus facultatem, dotes ſuas, bono publico, explicandi, præbere ſemper poſſit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLIII.

JOANNIS JACOBI MASCOVII COMMENTARII de rebus Imperii Romano-Germanici ſub Lothario ſecundo & Conrado tertio, ab anno 1125 ad annum 1152.

Lipſiæ, apud Bernhard. Chriſtoph. Breitkopff, 1753, 4 maj. Alph. 2 plag. 3.

Cum, qua dudum inter exteros æque ac in Germania floret Illuſtris *Maſcovius*, major ſit fama, quam quæ noſtris præconiis amplificari poſſit; Lectorum noſtrorum patientia abuti nobis videremur, ſi longiore oratione animus eſſet exponere, quantus ille ſit, ad cujus inſigne opus non tam commendandum, nulla enim commendatione indiget opus per ſe illuſtre ac egregium, quam pro inſtituti noſtri ratione ſaltem deſcribendum, convertimur. Equidem cognitum ſatis omnibus putamus, ſi quemquam alium, *Maſcovium* certe ad locupletandas ornandasque hiſtoriæ nobis patriæ opes natum factumque eſſe, ſive ad egregium multiplicis lectionis apparatum, ſive ad incomparabilem jurium morumque omnis ævi notitiam, ſive ad dictionem ipſam, artemque ſcribendi, animum advertamus. Abunde hæc omnia comprobantur nova Commentariorum, quibus adhuc rempublicam noſtram ſibi devinxit, Parte, quæ memoriam complectitur *Lotharii*, exſtincta Franconicorum Imperatorum gente, ad ſupremum dignitatis faſti-

faſtigium evecti, & *Conradi III*, qui Stauffica familiæ ſummum illud decus acquiſivit. Illum, quem communi loquendi formula *Saxonem* appellare conſuevimus, non ſine cauſa *ſecundum* nominavit. *Lotharius* enim, *Ludovici* filius primogenitus, recte *primus* dicitur, quod non ſolum Imperatoris titulo ornatus fuit, ſed etiam Germaniæ partem rexit; *Lotharius* vero, *Hugonis* filius, itidem Imperatoris nomen conſecutus, ſed in noſtro regno nihil juris habuit. Hinc, ſi accurate loqui velimus, Saxo noſter ſecundus eſt *Lotharius*, qui Germaniæ, cum Imperio conjunctæ, præfuit. Utriusque hiſtoria, ab Illuſtri Autore deſcripta, *quinque Libris* abſolvitur. *Duo* priores *Lotharii*, *tres* poſteriores *Conradi*, res geſtas exponunt; ſinguli egregiis *Annotationibus*, in fine Operis adjectis, illuſtrantur. Ea omnia, quæ admiranda diligentia congeſſit, majori vero judicio diſcuſſit, Vir Celeberrimus, enarrare, cum nimis longum ſit; liceat nobis, ex multis pauca, eaque
Pag. 3. præſtantiora, ſeligere. Comitiis Moguntinis, quibus *Lotharius*, artibus maxime Moguntini Præſulis, nimio odio adverſus Salicam gentem ducti, creatus fuit Imperator, *Sugerium*, Abbatem S. *Dionyſii*, interfuiſſe, certum eſt; at falluntur, qui, cum tunc legatione *Ludovici*, Galliæ Regis, functum eſſe, ſibi perſuadent. Initia hujus imperii a *Friderico* Suevo turbata fuere,
7. quem ſpes potiundi regni fefellerat. Triſtior fuit eventus belli, quod *Lotharius*, precibus *Ottonis* Moravi allectus, Bohemiæ intulit; ampliſſimum tamen expeditionis tulit præmium, cum *Sobieslaus* victor, jurata fidelitate, ab Imperatore Duca-
10. tum ſuſciperet. Nec minus illuſtre dedit autoritatis ſpecimen vindicato Burgundiæ Comitatu, quem, inſcio noſtro, *Rainaldus* occupaverat, eoque *Conrado*, Zæringiæ Duci, conceſſo.
12. Memorabiles ſunt nuptiæ *Gertrudis*, filiæ *Lotharii*, quam *Henrico*, Bavariæ Duci, A. 1127 collocavit. His enim Guelfica domus in illuſtri dignitatis loco poſita fuit, & a Suevis fratribus ſe-
16. juncta. *Conradi* Suevi, qui Regis etiam nomen ſumſit, in Italiam iter eventu caruit. Nec *Fridericus* meliore fortuna uſus eſt, Spi-
21. renſi urbe, quam tenuit, in poteſtatem *Lotharii* redacta. A. 1130
24. Thuringiæ provincia *Hermanno* Landgravio ademta, & *Ludovi-*

co, qui cum *Richenza*, *Lotharii* conjuge, necessitudinis vinculo cohaesit, sed non gener fuit Imperatoris, concessa. Schisma, Pag. 27.
Romae ortum inter *Innocentium II*, & *Anacletum II*, qui de principatu sacro contendebant, occasionem dedit, ut *Rogerius II*, Normannorum Dux, regium nomen sibi arrogaret, autoritate *Anacleti* nixus. *Innocentio* favebant Gallus, Anglus, &
Imperator. Hic, tempori inserviendum esse, censebat, & repete- 33.
bat investiturae jura, sub *Henrico V* turpiter amissa; sed Germaniae Episcopi & *Bernardus* Claraevallensis effecerunt, ut saluberrima consilia abjiceret. Paravit quidem in Italiam iter; sed
alia negotia injecerunt impedimenta. In iis fuerunt turbae, in 38.
regno Daniae & Obotritarum excitatae, *Canuto* Rege a *Magno*
occiso, cujus mortem *Lotharius* ultus est. Italiam tandem 43.
ingressus est; sed fabulosa est nonnullorum narratio, accepisse eum Mediolani coronam Longobardicam. Haec enim urbs Regem adhuc colebat *Conradum* Suevum, qui in Germaniam
reversus erat. Romae discussa fuit in curia solenni controver- 45.
sia; *Anacletus* damnatus; *Lotharius* una cum uxore in aede
Lateranensi coronatus. Pactum initum de allodio *Mathildi-* 48.
no; imago vero, qua coronatio nostri descripta fuit, a *Friderico I* sublata. In Germaniam *Lotharius* reversus, *Conrado* 53.
mortuo, Saxoniam aquilonarem dedit *Alberto Urso*, quae sub
illo Brandenburgicae nomine inclaruit. *Magnus*, Daniae Rex, 54.
ad fidem jurejurando confirmandam armis coactus est. Ul- 58.
ma urbs, quam Suevi fratres munierunt, ab *Henrico Bavaro* capta & direpta fuit, de qua re *Haberlinus*, V. C. singu-
lari Commentatione exposuit. *Fridericus* tandem Bam- 63.
bergae Imperatori reconciliatus; controversiae Polonicae compositae; *Henricus*, *Lotharii* gener, Saxoniae Ducatu auctus; *Conradus* quoque cum Imperatore in gratiam rediit. In Italia novas turbas concitavit *Anacletus*, a *Rogerio* Siculo adjutus.
Innocentio favent, praeter alios, Pisani. His eo tempore qui 74.
credunt exemplar Pandectarum Florentinum a *Lothario* concessum, & Jus *Justinianeum* quasi e tenebris revocatum, egregie falluntur, licet, ipsum Codicem, uno quasi ore a peritis laudatum, maxima valere autoritate, pronuntiet Ill. Au-

Pag. 80. tor. *Lotharius* A. 1136 in Italiam movit, prosperrima fortuna
83. usus. In campis Roncaliis in tribunali sedens, celebre edidit
de Feudis edictum, *2 Feud. Tit. 58*; ipse vero, armorum stre-
pitu impeditus, juri dicundo præesse jussit uxorem *Richenzam*.
93. *Brunone*, Archiepiscopo Coloniensi, vita functo, Cancellarii
100. Italici munus *Henrico*, Præsuli Ratisbonensi, creditum. Con-
troversia diuturna, inter Imperatorem & Pontificem de Apu-
liæ Ducatu gesta, tandem ita composita fuit, ut *Rainulphus*, A-
105. vellani Comes, ab utroque conjunctim acciperet. Post breve
tempus in campum Romanum discessit, in urbem ingressus
nunquam legitur. Ubique res *Innocentii* contra *Anacletum*
confirmavit. Deinceps reditum in patriam præparans, in iti-
nere in ignobili vico, inter Oenum & Lycum posito, animam
109. efflavit *Lotharius*. Justa ei facta sunt in monasterio Luterensi,
quod ipse familiæ Benedictinæ cesserat. Ibi A. 1618 sepul-
crum ejus apertum, ac tabula cum inscriptione fuit inventa,
110. qua laudes ejus celebrantur. His omnibus enarratis, Il-
lustris Autor, nec literarum statum admodum tristem, qua-
rum laude *Petrus* maxime *Casinensis*, & *Guibaldus*, Stabulensis
Abbas, floruerunt, nec commerciorum usum prorsus inco-
gnitum, aut contemtum, fuisse, comprobavit, & brevi, at
eleganti, S. *Leopoldi*, Austriæ Marchionis, elogio, de *Lothario*
112. commentationem conclusit. Eo mortuo, variæ ortæ sunt in
imperio turbæ. *Conradus* pristinam recuperavit spem potiun-
di regni, Salicæ & Suevicæ gentis viribus suffultus; *Henri-
cus Superbus*, *Lotharii* gener, ob summam potentiam aliis me-
tuendus, controversiam habuit cum *Alberto Urso* de hæredita-
115. te *Magni*, ultimi Saxoniæ Ducis e Billungis. Cum *Mogun-
tinus* Præsul non esset, Trevirensis consilium & autoritas ef-
fecit, ut *Conradus* Rex eligeretur, & coronaretur Aquisgrani
d. 6 Mart. A. 1138 a legato *Innocentii II*, *Theodvino*, Cardi-
nale, Episcopo S. *Rufinæ*. Suffragantur ordinis utriusque prima-
121. tes; nec *Richenza* repugnat. Cedit tandem *Henricus*, spem-
que regni, quam conceperat, abjicit; sed, cum de possessioni-
bus nihil amittere decrevisset, proscribitur in curia Vircebur-
gensi. Saxoniæ Ducatus *Alberto Urso*, Bavariæ vero *Leopol-
do V*,

do V, Austriæ Marchioni, datus fuit. Illi grave negotium cum *Henrico* fuit, ejusque asseclis, atque in his Holsatiæ Comiti. Parum fortunatus fuit consiliorum eventus, quæ in Saxonia Pag. 127. *Richenzæ* amici, in Bavaria *Henrici* frater, *Guelfus*, irrita fecerunt. *Henricus* enim, vita functus, reliquit filium unicum, *Henricum*, decennem puerum, *Leonis* cognomine in posterioris ævi monumentis illustrem. Lotharingiæ Ducatus cessit Do- 129. mui Lovaniensi. In Italia *Anacleti* obitus controversiam finivit, & *Innocentius* urbem Romam in sua potestate tenuit. Celebravit Concilium Lateranense II, quo inter alia cognitio habita de dogmatibus *Arnoldi* Brixiensis, quæ, utpote infesta 133. seculari potentiæ Clericorum, damnabantur. *Rogerius* tanta felicitate contra Papam dimicavit, ut hic captus, Aquiliæ Du- 135. catum, una cum titulo Regis Siciliæ, tribuere ipsi cogeretur. Italiæ quo minus *Conradus* succurreret, impeditus fuit turbis Guelficis. Ventum est ad prælium, quod *Guelfus* amisit, una cum arce Winsberga, quæ in potestatem *Conradi* per- 140. venit. Tunc primus usus fuit nominum *Gibellinorum* & *Guelforum*, quorum illud Stauffic æ gentis, hoc Guelficæ, clientes significabat. Lis de Bavaria & Saxonia tandem finita: *Henricus Leo* Bavariam cessit *Henrico* Austriaco, cui mater nupserat; *Guelfus* autem, sibi eam vindicare studens, totam 141. provinciam vastavit. Imperator fœdus fecit cum *Manuele* Byzantino, illudque nuptiis ejusdem Imperatoris cum *Bertha*, 147. Sulzbacensi, *Gertrudis* Reginæ sorore, quam filiæ loco habuit, confirmavit. Romani interea, *Innocentio* offensi, novas res moliti sunt; instaurarunt Senatum; crearunt *Jordanem* Pa- 150. tricium. Neque *Innocentius*, qui brevi e vita discessit, neque *Lucius II*, turbas componere potuerunt. *Eugenius III* urbe cessit. Hanc intravit *Arnoldus* Brixiensis, populumque ad exequenda, quæ ceperat, consilia indies magis incitavit. Miserunt ea tempestate Romani legatos ad *Conradum*, eique non solum fidem & constans obsequium polliciti 155. sunt, sed etiam eum cohortati, ut Imperii majestatem, a Pontificibus satis labefactatam, in pristinum dignitatis locum

 resti-

restitueret. Juvabit hic legere apud Autorem, quibus utrinque rationibus ea causa fuerit agitata. Sed *Conradus*, Ecclesiasticorum maxime Principum valente sententia, privilegia Roma-
Pag. 158. næ Sedis confirmare, & vetera cum Pontificibus pacta confirmare, maluit. Ceterum jura Imperii in Italia pro virili servavit, & urbes, libertatis suæ alioqui nimium studiosas, in obse-
169. quio retinuit. Neque Burgundiæ & provinciæ Arelatensis res neglexit, quod ex Diplomate scimus, *Humberto*, Viennensi Ar-
170. chiepiscopo, concesso. Confirmant id alia negotia hujus re-
171. gni, a *Conrado* nostro confecta. In Ungaria controversia orta inter *Boritium*, *Colomanni* filium, & *Belam II*, *Almi*, quem *Colomannus* frater regno ejecerat, filium. Huic Ungari favebant; ille a *Conrado* nostro auxilia petiit, cum, *Bela* mortuo, ejus filius, *Geisa*, *Guelfi* amicitia fretus, regnum affectaret. Intravit quidem noster A. 1147, sed sine bello; nec *Boritii* spei satisfecit, qui A. 1155 vitam amisit. In Polonia novum exor-
176. tum bellum. *Vladislao*, regno pulso, noster Altenburgi sedem concessit. Plane eximius est *Liber quartus*, in quo expeditio cruciata *Conradi* Regis describitur, longe aliter, ac vulgo narrari solet; itemque alia maritima cruce signatorum ad litora Hispaniæ expeditio, & Saxonicorum Principum adversus Slavos paganos bellum. Nec facile alibi legas res, interea sub *Henrico* in Germania gestas, & *Eu-*
189. *genii* Papæ acta in Concilio Trevirensi & Remensi, tam
196. apte & diligenter exposita. In Germaniam redux *Conradus*, contra *Guelfum*, novas res molitum, arma movet. Occasione itineris, quod *Arnoldus I*, Archiepiscopus Co-
269. loniensis, Romam instituit, tota hæc causa diligenter ex-
276. cutitur. Interdictum illi officio fuerat ab *Eugenio* Papa, nec, ut mutaret ille sententiam, impetrare potuit. Rex etiam, pro *Vladislao* Polono sollicitus, omnem finiendæ controversiæ adhibuit operam; sed falluntur, qui, eum in Poloniam iter fecisse, scribunt. Id unum certum est, sub *Friderico I Vladislai* filios demum a *Boleslao* accepisse Silesiam. *Hen-*
281. *ricus Leo* Bavariæ recuperandæ consilia nunquam abjecit, reique peri-

pericula ſubinde fecit; ſed, quamdiu noſter vixit, nihil impetravit. *Henrici*, Romanorum Regis, obitus omnem patris & imperii exſpectationem intervertit. *Otto*, Comes Palatinus, ex Pag. 295.
Schirenſi, ſive Vittelsbacenſi, familia, ob injurias, Præſuli Ratisbonenſi illatas, armis ad pacem petendam coactus. Nulla 300.
jam res magis cordi erat *Conrado*, quam Romana expeditio, utque ſatisfaceret fœderi cum *Emanuele*, & bellum adverſus *Rogerium* urgeret. Lectu digniſſima ſunt, quæ hic profert Ill. Autor de ſtatu Italiæ, & Tuſciæ præſertim, ac urbis Romæ. In 304.
iis etiam ſunt literæ *Conradi* ad Romanos, quibus eos, ne quid ultra vires conarentur, monuit. In medio apparatu expeditionis Bambergæ finivit mortalitatem, ibique eſt ſepultus. Ad ſucceſſionem in regno *Fridericum* potius, fratris filium, quam *Fridericum*, filium, puerum ſeptennem, proceribus commendavit. Præter elogium *Conradi*, lectiſſima nonnulla de cancellaria, de aula regia, de ſtudiis literarum, de cura pacis publicæ, de clamore ad arma, de falſa eorum opinione, qui, judicium Rothvilenſe a noſtro inſtitutum eſſe, credunt, de *Gratiani* compilatione, de re nummaria, frugalitate ævi, & privilegiis mercatorum, addidit Ill. Autor. Ex his repetimus, 310.
Vibaldum, cujus literas, ante a paucis viſas, mirifice in ſuos uſus convertit Cel. *Maſcovius*, a *Lothario* quidem Cancellarium imperii renuntiatum fuiſſe, ſed ſub *Conrado* hoc mu- 314.
nere functum eſſe, non legi; *Ottonem*, Friſingenſem Epiſcopum, ſtudia Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* in ſcholis ſuſcitaſſe; duellum inter modos probationis fuiſſe; *proclamatoris* vocem ſignificaſſe accuſatorem; qui alias *ſolidi*, eos 318.
a Germanis antiquitus appellari *Schilling*, denarios *Penning*, &c. Accedimus ad *Annotationes*, ſupra commemo- 322.
ratas. Breviter liceat enarrare *Quæſtiones*, de quibus diſceptatur, additis, ubi opus eſt, quæ ad eas reſpondit Ill. Autor: 1) *Quo tempore Lotharius Ducatum Saxoniæ ge-* 325.
nero ſuo, Henrico, conceſſerit. Conjungenda videtur computatio *Helmoldi*, qui annum 1136, & Chronici *Urſpergenſis*, quod annum 1125 definivit, ita ut inveſtituram priorem

a po-

Pag. 327. a posteriori, novis accessionibus aucta, discernamus. 2) *de Bello Lotharii adversus Fridericum, Sueviæ Ducem;* 3) *de ficta coro-*
331. *natione Italica Lotharii;* 4) *de itinere, quod Lotharius, ex*
334. *prima expeditione Italica revertens, tenuit;* 5) *de legibus feudalibus Lotharii. Lex 1 F. 19 & seq.* vindicanda *Lothario II,* alia, *2 F. 52,* germana, est; tertia, *2 F. 52 c. ult.* si non falsa,
336. certe vitiosa. 6) *Diploma Lotharii, quo Taurinensibus confirmat*
337. *libertatem, qua ceteræ civitates Italiæ gauderent;* 7) *de loco, quo Lotharius diem obiit.* Exhibet hoc loco Ill. Autor Epistolam *Josephi de Sperges,* Nobilis Tyroliensis, qua conficitur, nihil
342. certi unquam posse definiri. 8) *de Alberonis, Archiepiscopi*
348. *Trevirensis, legatione Apostolica;* 9) *nomina Principum, qui Lo-*
349. *thario affuerunt in curia Aquini A. 1137;* 10) *censura Diplomatis, quod Conrado III adscribitur, tanquam datum in Roncaliis A. 1143.* Falsum esse, arguunt, ficta itineris in Italiam mentio; *Bucconis,* Episcopi Vormatiensis, & *Guelfi,* tanquam Ducis Spoleti, & Marchionis Tusciæ, nomen; denique subscri-
351. bendi formula, ab ævi hujus moribus aliena. 11) *de Conradi*
353. *III a sacra expeditione in Germaniam reditu;* 12) *privile-*
356. *gium Conradi, Ortliebo, Episcopo Basileensi, concessum;* 13) *Imperator Henricus II quando inter Sanctos relatus.* Referen-
358. dum id ad A. 1146. 14) *de Hermanni, Episcopi Constantiensis,*
360. *legatione Italica;* 15) *de Ricca, sive Richilde, Regina Hispaniæ.* Fuit *Vladislai II,* Poloniæ Ducis, & *Agnetis* Austriacæ, filia; neptis
361. ergo & *Conradi III* & *Friderici I.* 16) *de Hermanno Baden-*
364. *si, Marchione Veronæ;* 17) *Diploma Conradi III, quo confirmat immunitates monasterii in Kamenitz,* nunc primum ex tabu-
366. lario Regio-Electorali in lucem productum; 18) *Diploma Conradi III, quo componitur controversia inter Mainuardum, Episcopum Misnensem, & Conradum Marchionem,* itidem in-
368. editum; 19) *de curia Conradi Regis apud Cuinam. Cuina* idem est locus, qui *Koyna* appellatur in *Speculo Saxon. II,*
369. *61.* 20) *Hugonis Metelli, Canonici regularis in Abbatia S. Petri, diœceseos Tullensis, Epistola ad Embriconem, Episcopum Virceburgensem.* In publica ne peccemus commoda, votorum omnium bonorum summam addimus, ut Illu-
stris

ſtris Autor, nihil ſentiens incommodorum valetudinis, quæ alioqui a tali ætate abeſſe haud ſolent, ſed ſalvus ac ſoſpes, & omni felicitatis genere circumfuſus, egregium Opus ad finem perducat, quippe quo omnem Germaniam cultiorem ſibi adhuc devinctam tenet obſtrictamque, & ſui in patriam amoris, excellentis ingenii ſui, ac doctrinæ incomparabilis, illuſtre ad omnem poſteritatem exſtare monumentum juſſit.

Johann David Köhlers, P. P. im Jahre MDCCXLVII wöchentlich herausgegebener historischer Münz-Belustigung neunzehnter Theil, ꝛc.

id eſt,

DELICIARUM EX NUMIS HISTORICARUM, AD Annum MDCCXLVII publicatarum, & per hebdomadas ſingulas editarum, a Cel. Profeſſ. Publ. Gottingenſi, JOANNE DAVIDE KOELERO, Pars decima nona.

Noribergæ, impenſis hæredum B. Chriſtophori Weigelii, 1747, 4. Alph. 2 plag. 13.

Argenteis aureisque Numis LVIII lucem hic affundit in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimus Autor, quos, æri inciſos, exhibuit ac deſcripſit. Præfatio, huic *Tomo* præmiſſa, offert Lectori Continuationem decimam ſextam Joachimicorum imperialium, quos urbes imperiales, Tremonia ab A. 1508, Dunkelſpiela, Erfurtum ab A. 1548, & Francofurtum ad Mœnum, cudi juſſerunt. Erfurtum ideo inter urbes imperiales nemo referet. Perplacuit nobis numus Judæorum Francofurtenſium, *Carolo V* conſecratus, qui hic in limine exhibetur denuo, clarus illo *Caroli V* ſymbolo: *Plus ultra*, cujus inventio debetur Archiatro *Caroli*, *Ludovico Marliano*, Mediolanenſi. Cel. Autor id nobis occinit: *Gelaſcunt & plectrum & chordæ in manibus*, fueratque tunc, cum hæc ſcriberet, ei conſtitutum, *Parte XX* hanc Syllogen, ipſi perenniter inſigniterque glorioſam, finire, & arma hæc publica nummaria *Herculis* figere ad poſtem. Sed toto animo gaudemus, mutatum ei poſtea hoc conſilium, & adhuc inſigne ejus, rem numiſmaticam recentiorum temporum illuſtrandi, ſtudium fervere. Scenam numorum in

hac *Parte* aperit Thalerus, nomine castri imperialis Friedburg
cusus, comitatus Comitum Castellanorum ab A. 1577 serie, cui
adjecta est genealogia *Hansi Itali Diede de Fursten*, ejusque
conjugis, *Euphrosynæ Susannæ*, liberæ Dominæ *de Degenfeld.*
Pag. 9. Succedit numus mnemonicus Abbatissæ Gandersheimensis,
Sereniss. *Elisabethæ Ernestinæ Antoniæ*, ad A. 1713 referendus.
17. Ternarius, jussu Canonicorum Osnabrugensium A. 1740 per-
cussus, isque cupreus, litis materia, exhibitus est, cum informa-
25. tionis notitia. *Henrici*, Principis Fondensis, Comitis & Do-
mini Mansfeldici, Joachimicus recentissimus historiam Comi-
33. tatus Mansfeldensis sibi tenet adjunctam. Excipit eum nu-
mus, conditæ Lignitii equestris Academiæ ad A. 1735, 24 Jun.
index. Gratissima est numismatum cultoribus delineatio glorio-
sissimi Ducis Brunsuico Luneburgici *Augusti* ad primum ac se-
41. cundum Thalerum, qui campanam refert. Adjungitur Au-
toris præstantissima de Thaleris campanalibus novem expositio.
En alia. Numus mnemonicus exhibet memoriam aheneæ
statuæ, quam in ponte Pragensi *Matthias Gothofredus*
Baro *de Wischwiz* in honorem *Joannis Nepomuceni* erexit
49. A. 1683. Attentionem Lectoris pascit Joachimicus, *Carolum*
V in antica, & Electorem Saxonicum in postica, repræsentans,
nec non adjecta de numis heterogeneis, varie compositis,
commentatio. Excipit eum metallio Regis Suecorum
57. *Gustavi Adolphi*, A. 1630 in Germaniam transfretantis. Me-
65. tallio est eximiæ magnitudinis, qui A. 1446 percussus fuit,
in memoriam *Joannis de Tossignani*, Ordinis Jesuatorum, Epi-
scopi Ferrariensium. Ordinem illum sustulit *Clemens IX* A.
73. 1668. Singularis est *Ferdinandi Catholici*, Regis Aragoniæ,
81. ducatus anni incerti. *Francisci II*, Marchionis Mantuano-
97. rum, ducatus symbolicus non minoris est momenti. Memo-
rabilis est joachimicus *Albertinus* (*Albertus-Thaler*), jussu Se-
reniss. Ducis Brunsuico-Luneburgici A. 1747 percussus. Ra-
105. ritatem prodit joachimicus sepulcralis, defuncti Ducis Brun-
suico-Luneburgici Cellensis ad A. 1705 index. Rariores sunt
tres numi, in quibus illud Ducis Brunsu. Lun. Episcopique
Halberstadensis: *Gottes Freundt, der Pfaffen Feindt*, legitur.
123. Non minori raritate se commendat thalerus *Albigti*, Comi-

tis

tis Sulzensis, Landgravii Gleggaviensis. *Findanus* in antica visitur, Sanctis adscriptus, Hibernus ortu, Principis ibi filius, qui, circa A. 750 natus, militiæ vacavit ad tempus, tandem Deo consecratus, per mare incessisse creditus. Roma redux Pag. 123.
Comiti Kyburgensi *Wolfgango*, conditori Rheinaviesis monasterii, munia sacerdotis præstitit, & Monachos illius monasterii deinde rexit, obiitque A. 827, 15 Nov. Falluntur, qui, eum, opinantur, fuisse Episcopum, vel primum Cœnobii illius Abbatem. Vitam ejus Autor vetustus descripsit, cujus opusculum *Goldastus* in *rer. Alemannic. Script. aliquot vetustis Tom. I pag.* 204 evulgavit. Ex hoc fonte biberunt recentiores, qui tamen pas- 129.
sim aliquid intexuerunt ex suo ingenio. Metallioni maximæ formæ, qui Lauretanam domum Pragensem repræsentat, ad modulum Italicæ constructam, adjecit descriptionem, accurate elaboratam, ac notitiam de scriptoribus, qui fidem & fundamenta originis Lauretanæ collabefacere studuerunt. Exhibetur 137.
dein Lubecensis joachimicus, A. 1639, moderante urbem *Henrico Kœhlero*, Consule, cusus, vita Consulis, ex *Henrico Bangerto* desumta, comitatus. Excipit eum metallio *Joannis Ludovici de* 145.
Nogareto & Valetta, Ducis Espernonensis Galli. Rarissimus *Adolphi* Imperatoris, coronati A. 1292, numus missilis, Aquis- 153.
granum illustrat. Succedit ei rarior grossus aureus Monarchæ septentrionalis secundi Oldenburgicæ stirpis, *Joannis*, 161.
A. 1502 percussus. Metallio memorabilis ab oblivione vindicat *Joannem Tserclam*, Comitem *de Tylli*, Baronem *de Marbays*, Dominum *de Ballast & Montigni*, ducem belli, 169.
cum *Ferdinandi secundi* generalem. Juvat legisse ejusdem vitam, ab Autore Cel. cum cura adjunctam. In censum venit potio- 177.
rem Liburninus *Joannis Gastonis*, Magni Tuscorum Ducis Medicei, ad A. 1723. *Julius II* Papa portum Civitatis Centumcellensis (*Civita vecchia*) refecit ac permunivit, & A. 1508 numo, recens cuso, illustravit operam suam. Rarior gros- 185.
sus Ducis Brabantiæ & Luxemburgi, intra annos 1356 & 1583 percussus, luce larga perfunditur. *Clemens VIII* A. 1598 re- 193.
cepit urbem Ferrariam, & numo mnemonico rem gestam celebravit. Oculos oblectat Basileensium thalerus, gallinam in 201.
postica cum pullis exhibens. Metallio, *Caroli XII*, Suecorum 209.

Regis, potentiam armatam ostentans, leonem erectum respi-
cientem torvumque offert. Metallio unilateralis *Franciscum*
Pag. 217. *Rabelaisium*, Medicinæ Doctorem, scurram famosum, exhibet.
225. Et quis non suspiciat vetustum rarumque grossum urbis Patavii,
233. ad annum 1319, certe ante 1328, cusum? De eo certarunt eru-
241. diti. Metallio Consulis Argentinensis, *Jacobi Sturmii*, ad A.
249. 1526 factus, se raritate commendat. Victoriam reportarunt
fœderati aliquot Smalcaldici duce *Erico* juniori ad Draken-
burgum in Comitatu Hoiensi ex Cæsareis A. 1547. Numo
mnemonico triangulari, nunc rarissimo, victoria illa & dux
bellicus, *Wilhelmus a Thumshirn*, celebrantur. *Petrus I*, Rus-
sorum Monarcha, A. 1696 expugnatum *Azovii* munimentum
numo curavit exprimendum, *per flumina & fluctus victor.*
257. *Joannes Picus*, Mirandulæ dominus, Philosophus acutissimus,
265. defunctus A. 1494, 17 Nov. metallione illustratus est. Joachi-
micus *Caroli*, Principis *de Lichtenstein*, Ducis Troppariæ, ad
A. 1615, raritate est prædicabilis. *Augusti Ludovici*, Principis
Anhaltino-Cothenii, thalerus, A. 1747 cusus, pulchritudine
289. se commendat. Primum thalerum libera respublica Bre-
mensis A. 1744 feriri fecit. Thalerus Imperatoris *Caroli VII*,
A. 1743 percussus, raro se visentibus offert. Thalerus Vicarii
imperialis, *Friderici*, Comitis Palatini ad Rhenum, A. 1522 fa-
ctus, est æque rarus, nec non thalerus *Gabrielis*, Comitis
313. Ortenburgensis. Thalerus recentissimus vicarialis Palatinus ad
329. A. 1745 est referendus. *Joannes III*, Abbas Fuldensis, Co-
mes Hennebergicus, A. 1539 primum thalerum Fuldensem
337. percutiendum curavit. Quintuplicem apotheosin, a *Gregorio*
345. *XV* A. 1622 decretam, significat numus, raro obvius. Pacem,
353. A. 1651 initam, *Innocentius X* numismate mnemonico peren-
nare jussit. *Carolus M.* ante A. 814, præsidente Occidenti
Christiano *Leone III*, Romæ numum argenteum feriri jussit.
Josephi, Episcopi Augustani, Landgravii Hasso-Darmstadini,
ad A. 1744 numus est commemorabilis, isque joachimicus.
377. Danebrogicum Ordinem illustravit thalero *Christianus V* A.
385. 1683. Obitus *Friderici Augusti*, Regis Poloniarum, A. 1733
393. thalero mnemonico fuit collustratus. *Ludovici XIV* ad A.
1681 thalerus, jactantiæ plenus, est utique singularis,
ideo-

ideoque a nobis in *Tabula* ænea repetitus. *Julii*, Epiſco- TAB. VI.
pi Wirceburgici, metallio ad A. 1575 eſt commemora- Pag. 401.

TAB. VI ad Nov. Act



ſenlus edidiſſe. Laborandum itaque ſibi fuiſſe, ut perſpicua fieret ejus oratio, & citata veterum in ipſis non exiguo labore ſibi exquirenda & exſcribenda integra fuiſſe. Hæc fere ſunt, quæ Anglus de ſua editione in Præfatione monuit, & nos repetere poteramus. Jam reddenda nobis ſunt obſervationum ejus quædam ſpecimina. Ad *verſum* itaque *primum & trigeſimum Europæ*, obſervat, *Jacobum Palmerium* hæſitaſſe, quod,

 cre-

Regis, potentiam armatam oſtentans, leonem erectum reſpicientem torvumque offert. Metallio unilateralis *Franciſcum*

Chriſtiano *Leone III*, Romæ numum argenteum feriri juſſit.
Joſephi, Epiſcopi Auguſtani, Landgravii Haſſo-Darmſtadini,
ad A. 1744 numus eſt commemorabilis, isque joachimicus.
377. Danebrogicum Ordinem illuſtravit thalero *Chriſtianus V* A.
385. 1683. Obitus *Friderici Auguſti*, Regis Poloniarum, A. 1733
393. thalero mnemonico fuit colluſtratus. *Ludovici XIV* ad A.
1681 thalerus, jactantiæ plenus, eſt utique ſingularis,
ideo-

ideoque a nobis in *Tabula* ænea repetitus. *Julii*, Episcopi Wirceburgici, metallio ad A. 1575 est commemorabilis. *Ferdinandi*, Archiepiscopi Coloniensis, thalerus, ad A. 1610 referendus, est rarissimus, perinde ac thalerus *Caroli Edzardi*, Principis Frisiæ orientalis, ad A. 1734. Supplementi loco accessit huic *Parti* rarissimus ac triangularis numus, memoriam conservans ducis Saxonum bellici, *Thumshirni*, nobilitati victoria Zittartensi anni 1543.

TAB. VI. Pag. 401. 409. 417.

BIONIS SMYRNÆI, ET MOSCHI SYRACUSANI, quæ supersunt, cum Notis JO. HESKINI, ex æde Christi.

Oxonii, e theatro Clarendoniano, 1748, 8 maj.

Plag. 14.

Hæc veterum Bucolicorum, *Bionis* & *Moschi*, magistri & discipuli, *Theocrito* æqualium, editio non a chartæ tantum candore, nitidaque typorum forma, sed etiam a cura, quam Editor ad eam attulit, commendari meretur. Collegit *Heskinus* horum Poetarum fragmenta, quæ supersunt, & Autoribus suis multa vindicavit, quæ olim *Theocrito* tribuebantur; ut illud est bene longum, *Europa* inscriptum, & Epitaphium *Bionis*. In notis eum tenuit modum, ut recentes quoque Poetas Latinos pariter ac Italos Anglosque, si qui aut imitati *Bucolicos* illos, aut alias ab ingenio suo in easdem cum ipsis cogitationes delati fuissent, cum suis compararet, neque tamen pro notis adversaria & locos communes daret, quale quid non raro doctis viris in hoc quidem genere contingit. *Longapetræi* (*de Longuepierre*) notas suis pro maxima parte intexuit, a se Latinas factas; negat tamen, id se sine tædio fecisse. Gallum enim plerosque veterum locos imperfecte citasse, non indicatis fontibus, & præterea perobscure animi sui sensus edidisse. Laborandum itaque sibi fuisse, ut perspicua fieret ejus oratio, & citata veterum in ipsis non exiguo labore sibi exquirenda & exscribenda integra fuisse. Hæc fere sunt, quæ Anglus de sua editione in Præfatione monuit, & nos repetere poteramus. Jam reddenda nobis sunt observationum ejus quædam specimina. Ad *versum* itaque *primum & trigesimum Europæ*, observat, *Jacobum Palmerium* hæsitasse, quod,

 cre-

credens, ſcenam dramatis, circa *Europam* peracti, in Phœnicia collocandam eſſe, videret tamen, a Poeta fluvium Anaurum nominari, qui nullus ibi locorum fuerit, nullus certe a vetuſtis Autoribus memoretur. Scilicet deceperat, ut *Heskinus* obſervat, Virum eruditiſſimum id, quod vocis ἀνάυρω literam primam majuſculam videret, quæ debuerat minuſcula exarari: notat enim ea vox non tantum peculiares quosdam fluvios, ſed in univerſum omnes, & præcipue torrentes: idque exemplo *Anacreontis* confirmat Anglus, in cujus *Oda ſeptima* legitur διά τ' ὀξέων μ' ἀναύρων, *per rapidos me torrentes.* Jam dudum ante Anglum, quod tamen ipſum latebat, idem obſervavit, & luculenter demonſtravit, præclarus inter noſtrates Theologus, *Valent. Erneſt. Læſcherus*, in *Lectionibus Coluthcis.* Vid. *Stromateus* ejus *pag. 420 ſeq.* Occaſione *Anacreontis* emendat Anglus alium ejusdem locum, *Oda 19*, ubi legitur absque ullo commodo ſenſu, πίνει θάλασσα δ' αὔρας. Noſter autem corrigit, πίνει θάλασσ' ἀναύρους, *bibit mare torrentes.* *Verſum Epitaphii decimum ſextum*, οἷαν ὑμετέροις ποτι χείλεσι γῆρυν ἄειδεν, uncinis incluſit, ut ſpurium; ineptum enim, ait, ſenſum hæc Latina fundere, *quali voce Bion olim in veſtris labiis cecinit.* Ita nempe vulgo vertitur. Verum commode ſatis fluit oratio, ſi ſic concipiatur: *Vos, cycni, canite ore lamentabundo lugubrem cantum, qualem* (Bio) *veſtris labiis* (id eſt, ore cycneo, ore tam ſuaviter canente, quam cycni canunt,) *olim cecinit*, adeoque violentia iſta prorſus non opus eſt. *Verſum 89* ejusdem *Epitaphii* recte expoſuit, vocem ὕλας, quam interpretes per *ſylvas* reddunt, pro nomine proprio Bœotici oppidi accipiendo, & primam literam majore modulo exaratam exhibendo. *Pag. 97* incipit pulcherrimum carmen, ὀαριστὺς inſcriptum, tractare, quod ſi vel ipſæ Muſæ atque Gratiæ feciſſent, non potuiſſent venuſtius efficere. In ejus primo ſtatim diſticho offenderunt interpretes, (neque poterant aliter,) & ipſi Noſtro non optime ſucceſſit hic loci conatus ſuus. Verba ſic jacent:

Τὰν πινυτὰν Ἑλέναν Πάρις ἥρπασε βωκόλος ἄλλος.
Μᾶλλον ἐμ' ἡδ' Ἑλένα τὸν βωκόλον ἐστὶ φιλεῦσα.

Per-

Perſtrictis & improbatis aliorum interpretationibus & conjecturis de hoc loco, ſic vertit ipſe:

Prudentem Helenam Paris rapuit bubulcus alius.
Magis (prudens) *hæc eſt Helena, quæ me bubulcum oſculatur.*

Conjicit nempe, legi oportere Ἄλλη ἐμ' ἥδε &c. Non tollit hæc conjectura difficultates omnes hujus loci: & videtur *primo verſu* puellæ perſona, ſecundo paſtoris, loqui, & ἐσσὶ φιλεῦσα legendum eſſe, *magis me, quam Helena bubulcum* (Parin amabat), *es tu amans*, id eſt, *amas*. Ad *verſ.* 42 profitetur, ſe malle cum *Palmerio* legere, ὐκ ἄκρα τιμήεσσα —: & verſum per interrogationem efferre: *Nonne ſumme bonorata es, quippe cui pater Menalcas?* Sed coactum id eſt, & multo rectius legitur, ὐδ' ἄρ' ἀτιμήεσσα, *neque ſane inboneſta*, *Verſ.* 49 exſtat vox vitioſa διδάζω, quæ negotium creavit interpretibus. Increpat puella paſtorem, manum ſuam in ipſius ſinum petulanter immittentem. *Quid facis, Satyriſce? quorſum mammillas meas tangis?* Reſpondet *Daphnis*: μᾶλα τεὰ πρώτιςα τάδε χνοάοντα διδάζω, quod reddunt, *mala tua primum hæc pubeſcentia* (potius *lanugineſcentia*) *cognoſcam*. Animadvertunt tamen, neque διδάσκειν ſignificare poſſe *cognoſcere*, &, ſi vel maxime ſignificaret, languidum & inconcinnum id eſſe. Non multum abfuiſſe a vero videtur Anglus noſter, qui legit χνοάοντ' ἀποδράζω. Obſtant tamen nonnulla ejus conjecturæ. Primum, quod Poeta non ἀποδράζω, ſed potius ἐπιδράζω, dicturus fuiſſet. Deinde, quod in libris editis neque ſimplex δράττω, neque ejus compoſita in activo, ſed in medio, reperiantur. Non tamen hoc impedit, quo minus vulgo in uſu fuerit, quod in libris non eſt; ſæpe fit, ut, quod Atticæ dialecto adverſatur, Doricæ, aliive cuidam, frequentetur. Probabile ergo fit, eoque ſcripturæ veſtigia & ſenſus loci manu quaſi ducunt, Poetam reliquiſſe διδράζω pro διδάζω. Sæpe excidit in Codicibus Græcis manuſcriptis ρ poſt δ & φ. Apud *Heſychium* exſtat διδάσκων, φεύγων, ubi liquet διδράσκων reponendum eſſe. Noſtrum autem, quod hic habemus, διδράζω non a δίδρημι, διδράσκω, ſed a δράγω, δράττω, διδράττω, derivandum, notat-

tatque *prehendam, contrectabo.* Favet profecto analogia, ut a *δάω, scio, δάσω,* fit *δάσκω, διδάσκω, doceo,* ut a *δράω, δράσω, δράσκω, διδράσκω, fugio,* ita a *δράγω, δράττω, διδράττω, palpo, contrecto.* Fuit, qui pro *διδάζω* conjiceret *βλιμάζω.* Et sane, sensum loci si spectes, non poterat aptius verbum inveniri. Notum id est ex *Aristophane,* & *Hesychius* exponit *τηθολαβεῖν* apposite; usurpaturque e. c. de mulierculis, quæ, gallinas, anseresve, in foro empturæ, explorandæ pinguedinis causa in pectore & sub cauda obtrectant. At *διδράζω* tamen a scripturæ vestigiis minimum recedit; ideoque tutius illi inhæretur.

AANMERCKINGEN OVER DE THANS ZO VEEL geruchtmakende Wet van Sparsamheit.

vel

REMARQUES SUR LA LOI DE L'EPARGNE, PAR MARTIN MARTENS.

VERFOLG DER AANMERCKINGEN.

vel

SUITE DES REMARQUES, &c.

id est,

ANIMADVERSIONES IN NATURAM MOTUS parcam, & ulterior harum Animadversionum prosecutio, Autore MARTINO MARTENS.

Amstelodami, 1752 & 1753, 4.
Plag. $2c\frac{1}{2}$.

Quantas in orbe literario turbas concitaverit lex illa omnibus nota, quam promulgavit *Maupertuisius,* quod scilicet in omnibus naturæ operationibus minima semper impendatur actionis quantitas, inter omnes constat. Suspecta merito hæc lex videri poterat, cum non tam ex intima corporum, eorumque motus, natura, quam alia potius quadam causa cosmologica, derivata, &, si quo alio casu, maxime in explicatione legum

gum reflexionis radiorum ſatis alte repetita videatur, nec geometricam illam certitudinem, a Mathematicis alias tantopere jactitatam, ſed metaphyſicam tantummodo ratiocinationem, aſt quantæ incertitudini obnoxiam, præ ſe ferat. Quam vero alii legem in medio poſitam reliquerant, alii ut minus ſufficienter demonſtratam ſpreverant, alii labefactaverant, eam penitus evertere conatur Noſter, haud quidem negans, dari caſus, in quibus minimum illud, quod in omni motu corporum deprehendiſſe ſibi viſus eſt *Maupertuiſius*, re vera locum habeat, aſt illud contendens, quod non ex ſingulari quaſi & inviolabili naturæ lege, ſed ex immutabili potius corporum eſſentia, neceſſario fluat, conſequenter vero lex *Maupertuiſiana* neutiquam pro principio motus, ſed pro principiato tantum, haberi poſſit. Hunc in finem Autor naturam corporum, tam mollium, quam elaſticorum, (dura enim merito numero entium excludere videtur,) conſiderat, & ex illa leges conflictus horum corporum deducit, quæ cum ejusmodi minimum, quale lex *Maupertuiſiana* ſupponit, ſecum ferant, mirum nemini videri poteſt, *Maupertuiſium* ope legis ſuæ ad veritatem eſſe deductum, quamvis neutiquam exinde ſequatur, *minimum* illud, quod ex immutabili plane corporum eſſentia fluit, principio metaphyſico, vel coſmologico, tribuendum eſſe, quod ſcilicet natura motui quaſi parcere voluerit, cum non parcere in ejus poteſtate poſitum non fuerit. Lex igitur iſta, pro cauſa efficiente quaſi legum conflictus & quietis corporum a *Maupertuiſio* vendita, pro conſectario quidem harum legum, neutiquam vero pro principio illarum, haberi poterit, ut adeo Ill. *Maupertuiſio* humani quid acciderit eadem fere ratione, qua *Fermatium & Leibnitium* in *Coſmologia* ſua inſimulat conſectarium pro principio vendidiſſe, dum hic, ſive, ut *Maupertuiſius* vult, uterque, legem refractionis luminis ex lege viæ breviſſimæ derivare conati fuerunt. Quæ ſi ita ſe habeant, omnis fere ceſſat ex iſta lege ſperanda utilitas, ſi quidem ex data quadam hypotheſi vix certi quid deduci poteſt, priusquam aliunde conſtat, an & quatenus *minimum* quoddam locum habeat, nec ne. Et ſane, niſi leges conflictus corporum & refractionis aliunde jam conſtitiſſent, admodum dubitandum eſt,

an ope legis *Maupertuisianæ* detectæ fuissent. *Maupertuisius* enim, ex suo principio sic dicto v. g. legem conflictus corporum perfecte elasticorum, & legem refractionis, derivaturus, supponit, celeritatem relativam ante conflictum celeritati relativæ post conflictum æqualem esse debere, nec non celeritatem radii in medio rariore ad ejus celeritatem in densiore, qualiscunque sit angulus incidentiæ, semper in ratione constanti sese habere, quas tamen hypotheses, quamvis alioquin extra omnem dubitationis aleam positas, vix quisquam sine sufficienti demonstratione largiturus fuisset, nisi illud experimenta jam dudum docuissent, hoc vero ex lege *Snellii* demonstrari, & ex utroque ope Algebræ, nullo quamvis assumto *minimo*, lex conflictus & refractionis deduci posset. Ad corpora dura vero quod attinet, mirum certe cuilibet, sicuti Autori, videri debet, *Maupertuisium* ope principii sui eandem conflictus legem invenisse, quæ a corporibus mollibus servatur, manifesto indicio, sive corpora dura, proprie sic dicta, plane non dari, sive legem *Maupertuisianam* eorum conflictui applicari non posse, siquidem, corpora dura & mollia, natura quamvis sua plane diversa & opposita, eandem tamen conflictus legem servare, ne probabilitatis quidem præ se fert speciem. Ceterum Autor ex isto unico experimento, quo, duo corpora mollia æqualis massæ, æquali versus se invicem celeritate lata, post conflictum quiescere, constat, leges conflictus corporum mollium & elasticorum, sive perfecte, sive minus perfecte talium, deducit, ita, ut, positis massis *A* & *B*, celeritatibus *a* & *b* versus eandem plagam sese moventibus, celeritas post conflictum sit prioris $= \frac{Aa - Bb - rB(a+b)}{A+B}$, posterioris vero $= \frac{Aa - Bb + rA(a+b)}{A+B}$, in quibus formulis litera *r* celeritatem vis elasticæ, uti Autor eam appellat, exprimit, ita quidem, ut in corporibus perfecte elasticis fiat $r = 1$, in mollibus vero $= 0$, unde pro corporibus perfecte elasticis & mollibus, nec non diversis corporum directionibus, facili negotio deducuntur regulæ, aliunde jam

jam satis cognitæ. Præterea vero hac occasione principia quædam, quæ circa naturam & motum corporum durorum, & partim elasticorum, *Alazierius*, *Mac-Laurin*, *Desagulierius*, & postremo *Maupertuisius*, promulgaverant, ab Autore fusius refutantur, unde, hasce tractatiunculas, pretio suo non destitutas, legisse, neminem pœnitebit.

ACTA PHYSICO-MEDICA ACADEMIÆ CÆSAreæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum, exhibentia Ephemerides, sive Observationes, Historias, & Experimenta, a Celeberrimis Germaniæ & exterarum regionum Viris habita, & communicata, singulari studio collecta. Volumen IX. Accedunt Appendix, & Tabulæ æn. XIII.

Norimbergæ, impensis b. W. M. Endteri consortium, & viduæ B. Engelbrechti, typis Fleischmannianis, 1752, 4.
Alph. 3 plag. 22.

Equidem tardius, quam fieri ante consuevit, hoc *Volumen*, de quo novitatis causa jam dicturi sumus, ad superiora nonnulla, quæ nondum occuparunt industriam nostram, in *Supplementis* nos conversuri, in lucem emittitur; sed non sine sontica & multiplici causa. Præcipuæ autem hæ sunt, quod parce nimis lentoque successu Observationes a Sociis nonnullis exhibeantur; deinde, quod magnam Collegarum celebriorum jacturam, paucos intra annos, Societas fecerit, graviterque adhuc ereptos sibi, chori sui Patronum atque ducem, Illustriss. Comitem *de Kœnigsfeld*, S. R. I. Cancellarium Vicarium, & Protectorem, Reverendiss. *Fridericum Carolum*, S. R. I. Principem, & Episcopum Bambergensem atque Wirceburgensem, lugeat; oppressa, sine dubio, tam acerbis casibus, nisi erecta denuo fuisset indulgentia & benignitate Sereniss. *Maximiliani Josephi*, S. R. I. Electoris, & utriusque Bavar. & Palatinat. Superior. Ducis, Protectoris munus liberalissime suscipientis. Quam tanti Principis propensissimam voluntatem, ut ipsis melioribus literis, sic Societati, tanta gloriæ accessione antiquum splendorem recuperanti augentique, merito gratulamur. Compensabit autem Societas, sibimet ipsi adeo invisam, tarditatem, proxime edendo *Volumen X*, primamque

Voluminum Decuriam, exactè instaurationis suæ Seculo, feliciter complendo & finiendo; eumque in finem, ut hujus festivitatis memoriam pie secum colant, opeque promissa, & sufficienti observationum apparatu, liberaliter se juvent, Collegas graviter vehementerque hortatur. Sed ad ipsas Observationes, CXII numero, prioribus nulla in re concedentes, nos convertimus, quæ potiora videri possint, pro more breviter indicaturi. *Jo. Sebast. Albrecht* gravissima symptomata, ex contusione hypochondrii dextri & regionis lumbaris orta, recenset, simulque de eo conqueritur, quod ejusmodi casus, ex litibus & jurgiis orti, & in praxi medico-forensi observati, causarum patronis uberrimam toties præbeant, in foro dimicandi, copiam. Addit *Idem* observatam a se Ilei intestini, a subita & violenta corporis distensione, intestinis flatibus repletis, in homine hernioso, rupturam, altero die post subita morte fatalem. *Car. Frid. Kaltschmied* Ileum intestinum refert, in hernia incarcerata gangræna affectum, ægra tamen, sex & sexaginta annorum, superstite, in cujus intestini, denudati, sed, sine sectione, rupti, cura hoc singulare est, quod, vulnere in abdomine clauso, ilei apertura intacta fuerit relicta, assumta nonnunquam immutata fundens, ægræ tamen, ut negotiis domesticis interesit, permittens. *Idem* sistit Ileum intestinum, a scrupulis pirorum mespilaceorum erosum & perforatum; quorum quantitas unciam fere excessit; simulque observat 1) in posteriori hepatis parte lobum præter naturam apparentem, linguæ humanæ figuram & longitudinem exacte repræsentantem; 2) vesiculam felleam, duplo majorem; 3) intestinum duodenum, amplitudine sua colon fere æquans, pyloro adhærens, duplo majori, seu ampliori, quod voracitatis causa fuerit homini, fame præternaturali sæpius vexati. *Jo. Herm. Furstenau* foramen in fundo ventriculi refert, a materia acri & caustica factum, subitam mortem inducens; *in cujus cadaveris abdomine, omentum parvum & lacerum, intestina inflammata, & cæco cum appendice vermiformi, & valvula* Bauhini, *plane destituta, transitu ex tenuibus in crassa sollicite, sed frustra, quæsito, apparuerunt; in pectore pulmones sugillati, & lobis suis, mediante diaphragmate,*

mate,

mate; quod perforarunt, hepati adnati, cor vero ſitu plane perverſo, & quaſi horizontali, deprehendebatur. *Idem* deinde phthiſin, absque notabilioribus ſymptomatibus lethalem, puerperamque, memorat, cum ſingularibus & extraordinariis ſymptomatibus, cum purpura ſcilicet alba, in pectore ſaltem & collo conſpicua, & delirio, per intervalla exacerbato, riſuque, defunctam; quod fatum, trimeſtri hinc elapſo, defunctæ ſoror eodem modo experta eſt. Huic aliam jungit obſervationem, Hæmorrhagiæ uteri, gravidæ & fœtui noxiæ; aliusque fœminæ, non aliud ſibi certius graviditatis propriæ criterium, quam menſium fluxum ſæpius & extra ordinem redeuntem, eſſe, affirmantis. *Jo. Jac. Treyling*, Molam carnoſo-ſcirrhoſo-ſcrophuloſam, ſtupendæ magnitudinis & ponderis, 82 librarum, deſcribit, eamque, cum ipſius gravidi abdominis tumore, *Fig. 1* & *2 Tab. I* repræſentat, adjuncto ipſi *Fig. 3* Hydrocephalo, poſt primum ætatis annum lethifero. *Andr. Jac. Kirſtenius* puellam, cum manibus monſtroſis & ſine ano natam, fecesque per genitalia reddentem, inteſtino recto infra meatum urinarium exeunte, refert, cui aliam, non abſimilem, hiſtoriam, ex *Kaltſchmiedii* Diſſert. *de Virginitate* depromtam, Ill. *Büchnerus* addit. *Valentin. Ern. Eugen. Cohauſen* Coſmeticum & Odontalgicum, ſtercoreo-urinoſum, curioſe excogitatum probatumque, & inter arcana habitum, deſcribit. Vapore enim ex ſtercore humano, ſellæ perforatæ cooperculo adhæreſcente, & ſollicite collecto, tanquam eſſentiali aqua mumiæ fœtidæ microcoſmicæ, ſine igne deſtillata, matrona faciem manusque quotidie fricuit & inunxit, harumque partium albedinem & teneritudinem, ut admirationi, imo ſtupori, eſſet, conſervavit; urina vero recentiſſima, adhuc calente, caballi usque ad doloris mitigationem in ore detenta, atrociſſimos dentium dolores, intra horæ quadrantem, miraculi inſtar, ceſſantes pariter matrona illa experta eſt. Idem candide Lumbricorum latorum & cucurbitinorum ſpecificum antidotum ſuppeditat, pulveres ſcilicet, ex Granor. Tilli IV gran. c. Sacch. Canar. drachma dimidia paratos, & in quadruplo diſpenſatos, alternis diebus mane cum lacte tepido exhibendos,

 ſingu-

ſingulis horæ quadrantibus lac tepidum largiter ſorbillando; quo remedio omne denique ſeminium verminoſum, cum omnium ſtupore, feliciter expulſum eſt. Laudat etiam *Jo. Phil. Wolffius* Aſæ fœtidæ virtutem anthelminticam, ipſique hanc laudem binis obſervationibus confirmat, Aſa hac fœtida pulveri Jalappino ad gr. IV juncta. *Idem* aſthma flatulentum, ſubito obortum, moxque iterum, venæſectione celebrata, propinatoque cathartico, & clyſtere injecto, ſublatum, ut & febrem maraſmodem ſenilem, feliciter curatam, ſubjungit. *Jo. Frid. Furſtenau* ſingularia, circa Purpuram rubram obſervata, recenſet, febremque acutam, veſiculoſo-eryſipelaceam, feliciter curatam, deſcribit. *Bonifac. Henr. Ehrenbergerus* nova Problemata, in campi planitie inſtituenda, proponit, fundamento, quo ea nitantur, maxime e triangulorum ſimilitudine, & inde pendente laterum proportione, petito; quibus illuſtrandis *Tabulæ II, III, IV, & V*, ſerviunt. Quæ ſequuntur Obſervationes, non minus dignæ ſunt, quarum titulus, nonnunquam plenior, hoc loco exhibeatur. *Jo. Adami Raymanni* Petechiarum mendacium hiſtoria, earumque a ſinceris differentia; in qua b. *C. J. Langius* notatur, experientia non omnino ſuffragante, maculis ſcilicet ſcorbuticis, facta cum petechialibus comparatione, toties minoribus. *Ejusdem* Obſervatio de Anginæ, in pulmonum inflammationem, metaptoſi funeſta; quam docto commentario, ſubinde a celebriorum Medicorum placitis diſcedens, illuſtrat. *Franç. Ern. Brückmanni* deſcriptio Petrefacti ſingularis & curioſi, dentem, ſeu palatum, piſcis Oſtracionis referentis, & *Tab. V Fig. 4* depicti; cui ipſius hujus piſcis deſcriptio & delineatio *Tab. VI Fig. 1, 2, 3, & 4*, adjecta eſt. Hanc proxime excipit *Georg. Frid. Mohr* Specimen hiſtoriæ naturalis ſubterraneæ agri Giengenſis, ejusque viciniæ, deſignationem illorum petrefactorum, quæ in unico monticulo felino inveniuntur, exhibens. Sequitur *Jo. Balth. Ehrharti* Obſervatio de mixturis oleoſis polychreſtis, qui ex oleo inprimis Amygdalarum dulcium ſelectiſſimo & plane regio parare docet mixturam oleoſam antiſpaſmodicam, pharyngicam, becchicam, antinephriticam *Brunneri*, mixturam oleo-

ſam,

ſam, emulſivam, occultatam, aliamque cum Balſamo de *Tolu*, in quibusdam Phthiſeos ſpeciebus maxime ſalutarem, in *Pharmacopœia extemporanea Fulleri* ſatis clare jam deſcriptam. *Bonif. Henr. Ehrbergeri* Obſ. de Tabulis ſtriatis, in planis interciſis ac ſcalaribus exhibitis, quas teſſellatas imagines *Wolffius* appellat; quo *Figuræ Tab. V* & *VI* pertinent. *Jo. Ern. Furſtenau* Obſ. de Hernia ſcrotali, cum febre lenta tabifica, lethali; *ejusdem*que Obſ. de Tremore univerſali a vermibus, affectu raro, nec a quoquam deſcripto, in puero, annum & quadrantem nato, a ſe notato, & Mercurio vivo demum, cum ſaccharo ſubacto, excreto per alvum ingenti lumbrico, feliciter percurato. *Ejusdem* Obſ. de Ictero cum diarrhœa, nauſea, & vomitu aſſumtorum perpetuo, accedente ſingultu lethali, inter alia, variis diætæ erroribus, & comeſſationibus mutuis, in ſeram noctem honoris cauſa protractis, contracto. *Wolffg. Thom. Rau* Obſervationes VII de Cardialgia, cum enormi ventriculi ſenſibilitate, indeque nata hectica ſtomachica, a frigide aſſumtis mirifice delinita; de diverſis ſpeciebus motuum epileptico-convulſivorum, inprimis cum reſpiratione ad ſuffocationem intercepta, in qua venæſectio extremum remedium; de vetulis menſtruatis; de lochiorum defectu plenario in quinque puerperiis, tandem in maniacum furorem deſinente; de noxio ſucci Sempervivi in puerpera uſu, lochia plenarie ſiſtente, horrorem, calorem, ſitim intenſam, præcordiorum anxietates, cephalalgiam, alvi ſiccitatem, & abdominis inflationem, producente; de contractura ſiniſtri pedis in puerpera ex ſuppreſſis lochiis, uſu balnei acidularum Uberkingenſium, junctis nonnullis remediis internis & externis, maximam partem ſublata; de lethali iſchuria cum veſicæ urinariæ inflammatione, hæmorrhoidibus cœcis ſubito iterum diſparentibus, atque in veſicam translatis; de improvida & noxia arſenici applicatione in favo capitis, pharmacopœo, loco ſeminis ſtaphidis agriæ, *Laus-Pulver* vulgo dicti, pulverem arſenici albi, *Maus-Pulver* ruſticis vocati, ex errore, porrigente. *Jo. Phil. Wolffii* Obſervationes de Anaſarca cum febre quartana duplici, in gravida feliciter curata; de ſingultu hyſterico,

co,

co, ab insomnio terrifico excitato, usu camphoræ, cujus virtus in affectibus, ex terrore subortis, toties comprobata, denuo feliciter curato; de statu summe morboso gravidæ, citra noxam gemellorum, in utero gestatorum, feliciter tandem devicto, filiola tertio die post filium exclusa, & sequente statim, utrique fœtui communi, placenta uterina. *Christian. Frid. Jærdens* Observationes de fractura tibiæ lethali, cum vulnere, prope articulationem supra malleolum, cum epicrisi; de cancroso ulcere penis & glandulæ inguinalis, amputatione penis satis feliciter curato; de sternutatione insolita nimia, a scabie retropulsa, liquore minerali anodino, cum oleo Cajeputi mixto, curata, efflorescente demum in toto corpore purpura rubra; cum scholiis. *Jo. Seb. Albrecht* Obs. de Salicum rosis fictis, neque bonorum, neque malorum, nuntiis; *Jo. Frid. Furstenau* Observationes de Pleuritide, in summo vigore jam constituta, & pessimis symptomatibus stipata, in phthisico feliciter sanata, accedente salutari diarrhœa pituitosa & purulenta; de dentitione difficili, cum oppletione & infarctu pectoris conjuncta, pulvere, ex Sulphur. aurat. antimon. mercur. dulc. milleped. præparat. & corall. rubr. præparatis, composito, sæpius cum euphoria propinato, inprimis expugnata; de Avtochiria, juguli dissectione tentata, licet venis jugularibus externis incisis, vulnere tamen optime conglutinato; de febre acuta, crisi anticipata, quinto die feliciter soluta, narium scilicet hæmorrhagia quarto die iteratis vicibus recurrente, largoque succedente sudore; de quibusdam exemplis spinæ ventosæ, valde spinosæ; quorum duo tamen perfecte sanata sunt. *Henr. Heisenii* Obs. de exemplis quibusdam rarioribus perpetui mensium defectus, tribus scilicet sororibus, quarum altera virgo obiit, altera, viro collocata, mature decessit, sine prole, tertia demum, satis recte valens, sed itidem in matrimonio infœcundo, plethoram venæsectione, singulis sex septimanis iterata, imminuere, & graviores morbos avertere, necessum habuit. *Ejusdem* Rheumatismus femoris, interno antimonii usu, brevi feliciter sublatus, virtute antimonii iisdem in casibus eundem semper effectum præstante. *Ejusdem* vulnus,

nuchæ

nuchæ inflictum, cum insigni pectoris tumore complicatum, qui tumor, remota capillorum farragine, quæ cum glande plumbea vulnus intraverat, statim evanuit. *Ejusdem* Observatio de aeris afflatu inclementiore, *Zugwind*, cum iracundia, post superatam jam febrem intermittentem, demum funesto. *Ejusdem* Apoplexiæ historia, consueta venæsectione & scarificatione intermissa, homini septem & septuaginta annorum, veneris abusu exhausto, fatalis. *Jo. Frid. Crellii* Observatio de Canali osseo peculiari, in cranio, arteriam carotidem, pone sellam turcicam, strictius includente, *cujus fabricam*, (ore ejus loquimur) *purgatis ossibus, curatius indagando, apophyses clinoideas anteriores ossis sphenoidei statim pone foramen opticum, insuetum hoc foramen, diametro magnitudini arteriæ carotidis respondens, dimissa prope extremum marginem ex parte inferiori columna ossea, lateribus sellæ equinæ affixa, efformare deprehensum est. Solus accuratissimus* Winslovius *ejus meminisse videtur* Anat. P. I §. 234, *cum qua ejus descriptione exacte convenit horum processuum concursus in capite, quod præparatum Cel.* Heisterus *in apparatu suo anatomico servat. In nostri vero cadaveris capite processus illi quatuor in totum a se distant, & dictum foramen, utrinque perfectum, a solis anterioribus, non longe procedentibus, effictum est. Ejusdem* Observatio de Ossiculo, in processu sagittali duræ matris reperto, duro, aspero, dimidium pollicem longo, posteriore parte latiore atque crassiore, versus anteriora extenuato, & in præacutam cuspidem desinente, adeo ut ungulam avis cujuspiam minoris figura satis exacte referret, multisque fibris arcte cum duræ matris tunicis cohærente. *Ejusdem* Observatio de processu vermiformi peculiari, intestino cœco annexo, scilicet majore non solum atque capaciore, quam alias in adultis esse solet, verum etiam corpore compacto intus repleto, fecibus nimirum, globulorum minorum figura formatis, per ampliatum præter morem processus orificium, ut minimi digiti apicem satis commode recipere posset, ab intestini coli spastica contractione intrusis. *Ejusdem* Varia singularia, circa partes genitales, ac speciatim uterum & ovaria, observata;

ovarium utrumque, pluribus veſiculis lividis, ſero ſanguinolento turgidis, repletum; in dextro, ejusque parte anteriore, exigua excreſcentia globoſa, piſi minoris magnitudine, a tenui parvoque petiolo ſuſpenſa, ſine dubio ad tumores cyſticos referenda; orificium uteri internum, tumidum atque ſcirrhoſum, fundus lividus mollisque, tunica interna exeſa, ſubſtantia ulcere fœtente corrupta, foramen e fundo uteri ad tubas adeo amplum, ut ſtilum ſatis craſſum commode intrudere liceret. *Ejusdem* puellæ gibboſæ ſectio, & cauſæ hujus mali in eadem detectæ; plura ſcilicet vertebrarum corpora, carie fœdata, a deſtillante continuo ſanioſo ichore tumoris, juxta ipſum tuber ad maturationem deducti, exeſa; icon thoracis oſſei, a B. *Platnero* in ſcriptione de iis, qui ex tuberculis gibberoſi fiunt, propoſita, non multum ab hoc diverſa. *Ejusdem* Obſervatio de peculiari & paulo rariore membranæ hymenis, in eadem puella gibboſa, conſtitutione: *diſtractis pudendi labiis, in parte inferiori, membrana hymenis, forma lunæ cornutæ, more ſueto, explicata, ultra mediam oſtii vaginæ altitudinem aſſurgens; pone hanc columna quædam carnea, a parte inferiore urethræ papilloſa originem ducens, per medium hiatus relicti deſcendens, atque poſteriori hymenis parti applicata; inferius in vagina firmata, quæ ſepti inſtar in duas veluti cameras ſummam vaginæ partem dividebat, ſicque aditum, ab hymene anguſtatum, penitus fere occludebat.* *Ejusdem* notatu maxime digna; valdeque ſingularia, in cadavere mulieris, a pueritia claudicantis, & epilepticæ, obſervata. Fœmina annorum fere 55; abdomine ſecto, venæ omnes in inteſtinis & ventriculo, ad ſubtiliſſimos usque ramulos, ſanguine ita infarctæ, quaſi cera purpurea repletæ; inteſtini coli inflexiones præter naturam magnæ, glandulæ meſenterii & ovaria in tumores duros transmutata; in latere dextro capitis tumor durus, ſub quo a parte interiori os bregmatis & frontis carie valde arroſum; exteriore parte in tumorem elevata; ibidem & in dura matre corpus fungoſum, ex meris tenuiſſimis vaſculis conſtans, corticali cerebri ſubſtantiæ fere ſimile; ventriculus cerebri dexter inde multum verſus latus ſiniſtrum repreſſus,

cum

cum reliquis cavitatibus cranii, sero valde repletus; unde probabilis epilepsiæ causa; notatu maxime digna articulatio utriusque ossis femoris, quæ non in acetabulis, planis magis porrectisque, sed extra ea, fuit, capitulis ossium horum, ossibus iliacis, ope ligamentorum capsularium & musculorum junctis & continuis; ossa ilei in medio tenuissima, & omnino pellucida; in iisdem, supra incisuras magnas, fovea levis, pollicis fere latitudine, circa quem locum capita femoris musculis & ligamentis illis vaginalibus laxe juncta; sub hac fovea processus duo breves & plani, fere quadrati; acetabulum non in lateribus ossium innominatorum, sed potius in anteriore parte, & loco figuræ rotundæ, figuram trianguli æquilateralis monstrans; loco glandulæ *Haveriana* magnæ tunica solum adiposa; ligamentum teres, & sulcus acetabuli pro vasis sanguiferis, deficiens; ossa femorum mirabilis fabricæ, in capitibus fovea nulla, nec cartilago, sed substantia ossis cellulosa nuda; colla horum ossium admodum brevia, horizontaliter protensa, trochanteres majores æque alti, ac capita ossis, hisque longe majores & crassiores; loco lineæ scabræ longus & aliquo modo elevatus processus, fovea post trochanterem majorem admodum ampla; trochanter minor extrorsum, unci instar, inflexus; in corpore femoris dextri posterius prominentia magna & crassa, sive exostosis, in cujus parte suprema tria parva aderant foraminula, procul dubio ab ossibus fractis, non rite coalitis; ligamenta capsularia singularis fabricæ; tunica interna ab ambitu acetabuli, cum externa, in forma vaginæ, inter musculos ad caput femoris pergens, eademque ratione reflexa, ut tunica interior præputii ad coronam penis, &c. Mira hujus articulationis conformatio orta videtur ex utero matris, adeoque connata. Tubera tandem ossis ischii multo longius, quam vulgo observatur, disjuncta, arcusque ossium pubis quam amplissimus, apparebant. *Jo. Gottschalk Walleri* Observatio de Variolis, cum Hydrocele & retentione urinæ, suppurationis tempore accedentibus, feliciter curatis. Anni 1744 & 1745 pessimi generis variolas tulerunt, omnibus evadentibus, paucissimis exceptis, quibus inter alia pulveres camphorati non fuerunt debite exhibiti; pue-

 rulo

rulo fexenni variolofo, duodecimo morbi die, puftulis in facie exficcari cœptis; accedebat hydrocele, ut fcrotum, aqua tumidum, caput puerali æquaret; laxante, & clismate emolliente, fine fucceffu injecto, poft trihorium clismatis injectio repetita fuit, fcroto linteum calidum, myrrhæ fumo imprægnatum, applicatum, hoc eventu, ut alvus femel moveretur, urina vero copiofe flueret, perque triduum continuaret, pilulis *Becherianis* adhibitis, decem fubfecutis dejectionibus, pulvereque myrrhato & crocato, cum Calomela, ægro omnino convalefcente; præterea in eodem, commutatis poft variolas exficcatas indufiis, tanta copia vermium albidiorum capitis nigri, pollicis plus minus longitudine, reperta, ut in patina collecti, manipulatim defumi poffent, in aliis hi vermes non obfervati. *Ejusdem* Obfervatio de Cedriæ præparatione, aqua Cedriæ, aliisque exinde obtinendis productis: quæ Cedria antiquiorum, Suethice *Tiara*, noftra lingua *Theer*, Latinis *Pix*, ex pini, vel abietis, refina coquitur. Notatur obiter *Axtius*, modum coquendi, penes Suecos & Norwegos hodie ufitatum, non ex affe tangens, nec naturam Cedriæ plene exponens; itemque *Neumannus*, picis navalis examen inftituens, Cedriæ examine omiffo. *Ejusdem* Obfervatio de Stella reguli Antimonii, five, ut vocat, arborefcentia Antimonii, regulo per axin bipartito, *Fig. 3 Tab. IX* expreffa. *Jo. Bernhardi de Fischer* Obfervatio de Scorbuto, omnem hujus morbi nofcendi, curandi, & præfervandi, hiftoriam copiofe docteque exponens. Accedunt pro colophone hiftoriæ quædam breves, de Scorbuto, Saxones in caftello, ad oftia Dunæ fito, A. 1701 infeftante; de Scorbuto, A. 1735, ad oftia fluvii Lenæ, in mare Euro-boreale fe ingurgitantis, obfervato; de Scorbuto quatuor Rufficarum navium claffìcarum, A. 1741 ex portu Revalienfi Archangelogrodum verfus vela facientium. Agmen claudit hiftoria Scorbuti, A. 1699 Parifiis graffati, & ex *Lucretio* probat Autor, peftem quandam Athenienfem nil aliud fuiffe, quam dirum Scorbutum, Parifienfi fimilem. *Jo. Herm. Furftenau* Obfervatio de Vulnere umbilici feliciter fanato, additis quibusdam, ad vaforum umbilicalium hæmorrhagias spectantibus;

tibus; quæ *Schulzii* hypothesin, de non facile metuenda lethali vasorum umbilicalium hæmorrhagia, non parum dubiam reddere, Autori videntur. *Ejusdem* Observatio de Polypis cordis insignibus, mortis non adeo subitæ causis; exemplo trium polyporum, durorum, tenacium, globosorum, unciarum duarum longitudinem excedentium, in ventriculo dextro & arteria pulmonali, in auricula dextra & vena cava, in arteriæ aortæ principio, rustici septuagenarii, diu asthmatici, inventorum, confirmata. *Ejusdem* Observatio de Passione iliaca, sive Vomitu lethali. *Ejusdem* Observationes de Spasmo vesicæ lethali; de affectu suffocativo-apoplectico, cum variis symptomatibus tandem lethali; de Hydrope ascite, a casu ab alto, paracentesi facta soluto, citoque factum cito iterum, ope externa accedente, feliciter evanescere, comprobante. *Jo. Christoph. Pohlii* Observatio de Tumore lienis saccato a causa hydropica; supra omnia abdominis viscera fere extensus lien; in parte ejus concava novem distincti sacculi formati, pugni magnitudinem non excedentes, communicationem inter se non alentes; magna in ipsis seri quantitas; vasa omnis generis nimium extensa, & brevia vasa, duplo majora, inveniebantur; exsectum viscus libras 20, uncias 4, ponderavit; longitudine duas ulnas cum semissi, in circumferentia totidem ulnas cum septem pollicibus, æquans; extravasati seri ultra duodecim libræ. *Rudiger. Frid. Ovelgün* Observatio de indurationis, inflammationis, ac suppurationis mammarum, post ablactationem, præoccupatione, quam, emplastro de Spermate Ceti & Diachylo simplici, mammis, alioque, ex empl. de Sperm. ranar. & alb. coct. parato, dorso, applicatis, per quinque praxeos lustra se obtinuisse, testatur. *Ejusdem* Observatio de doloribus externarum partium, remediorum, tum externorum, tum internorum, ordinariorum, efficaciæ non cedentibus, sed, facta incisione, & pure, ibidem collecto, evacuato, sanatis. *Jo. Adam. Raymanni* Observatio de Uteri ascite in gravidis minus, quam extra imprægnationem, noxio: quod casu singulari confirmatur, adjecto commentario, nonnulla, huc pertinentia, illustrante. *Jo. de Gorter* Observatio de Susten-

taculorum vario usu. Auxilia, nimiam distensionem cohibentia, vel factam adducentia, sustentacula appellantur. Adjuvant effectus, qui ex fibrarum contractilitate automatica, motu vitali, animali, & particulari, proveniunt; nimiam distensionem a causa interna cohibent; partes autem, distendente elastica potentia donatæ, ut nervi, cartilagines, umbilicalis funiculus, pulmo, a sustentantibus in actione sua impediuntur, sufficienti inhibita dilatatione. Quæ theoria, cum cautelis necessariis, ad varias partes generales, particulares, ad infantes, gravidas, parturientes, placentam remanentem, puerperas, menstruantes fœminas, eleganter applicatur, plurimamque commendationem a luculento, quem præstat, effectu nanciscitur. *Jo Frid. Furstenau* Observatio de Empyemate, naturæ ductu, congruis præsidiis chirurgicis, persanato; tumore ingenti, duos pugnos magnitudine superante, sinistram occupante mammillam, remediis resolventibus & emollientibus tentato, in parte inferiori paululum albicante ac emollito, tandemque incisione transversa & lata aperto, pus magna copia evocatum; sinubus dissectis, facta injectione spiritus vini rectificatissimi, cum pauxillo Essent. Myrrhæ remixti, bono cum successu, præter laxantia grata nihil quidquam interne propinatum est, &, semestri spatio præterlapso, spes sanationis mox futuræ affulsit; tinea autem redeunte, quæ repressa originem malo dederat, Medicoque, naturæ ductum & in hoc passu sequente, trimestri spatio ulcus tandem firmam atque perfectam admisit consolidationem, quique a nativitate anhelosus fuerat puer, jam liberrime spirat, & athletice valet. *Jo. Bern. de Fischer* Observatio de Krakatiza; quæ est insectum zoophyton cartilaginoso-coriaceum, planum, in octo extenuationes & extremitates resolutum, quarum extremitatum apicibus se ad virgulta marina, vel alia obvia solida, in littoribus Ponti Euxini continere dicitur, quando pontus a procellis æstuantibus valide jactatur, non aliter, quam caput Medusæ, maris Atlantici, (non Caspii, uti asserit Clariss. *Brückmannus.*) ad cujus genus certe Krakatizam, non vero ad illud quadrupedis caput lutrinum, vel glirinum, pertinere judicat.

Deli-

Delineatio *Tab. VIII Fig. 1* facta est ante ejus explicationem; altera *Tab. IX Fig. 1* post explicationem, ut caudarum numerus & figura appareat. Ubi simul *a* & *b* duo acetabula paulo majora, in brachiis hærentia, & exiguas quasi cucurbitulas repræsentantia, quibus sorbere solet hoc animal, denotant, alterum integrum, alterum per medietatem dissectum, quæ prævia maceratione brachiorum facillime separari & extrahi possunt. Addit autem Ill. *Büchnerus*, exactam illam, ad naturam diligentissime factam, delineationem, quam *Fig. 1 Tab. IX* sistit, abunde satis monstrare, Krakatizam nil aliud esse, quam primam & secundam speciem Polyporum *Rondeletii*, quorum partem pronam, seu inferiorem, in icone exhibet *Gesnerus Hist. Anim. Lib. IV pag. 739* edit. Francof. 1604. Mentionem præterea facit *Fischerus* alius edulii jejunalis, (Krakatiza enim eundem in usum cedit,) *Potarga* dicti, quod thecam ovarii piscis marini, *Thymalli* secundum *Elsholtzium* in Diætetico, habet; quatuor pollices longum est & unum crassum, utque ovula Sturionis, *Caviar*, tempore jejunali cibis aliis apponitur. Simul quoque, quæ sit in Russia differentia, quodque officium, Medici, primariam curam salutis Principis habentis, *Leib-Medici*, & Archiatri, primariam curam rerum medicarum totius imperii gerentis, exponit; interdum tamen uni eidemque Medico hæc officia sub duplici titulo concredita esse, docet. *Christian. Fidejust. Silberschlagii* Observatio de Fractura ossis femoris, in extremitate superiori, sine violentia externa, absque membri motu, & nullo diuturno prægresso dolore, facta, cum fragore, ab adstantibus percepto, quasi radix quædam crassa, vel baculus, per medium diffringeretur (*als wen man eine Rübe zerbræche*). Vidua 50 annorum, per anni quadrantem cancro mammarum, non sine gravibus in pectore doloribus, decumbens, derepente insigni quodam, maximeque acuto, in femore sinistro, versus inguina excurrente, corripitur dolore, alta voce simul clamitans: *Ach! es will mir jemand mein Bein zerbrechen.* Chirurgus fracturam, circa caput ossis transversim factam, observat, decenterque deligat; ægra autem post aliquot hebdomades moritur. Dolendum est, sectionem cadaveris non esse institutam;

tam; etsi minime dissimulamus, nonnulla in ipsa historia non satis distincte referri, quodque consequens est, ad propositas quaestiones sic accurate responderi non posse. *Jo. Mart. Brehm* Observatio de Ossis femoris fractura obliqua lethali, foeminae annorum 70, cachexia laborantis, potuique vini sublimati ad extremum vitae halitum assuetae; in cujus, post quatuor menses febre hectica defunctae, sectione nullum coalescentiae, mediante callo, initium factum deprehendebatur, ob plenarium partium gelatinosarum defectum. Os fractum *Fig.* 4 *Tab. IX* delineatum est. *Ejusdem* Observatio de Foetu octimestri, cum secundinis, pinguedine obductis, subnigrisque glandulis scirrhosis repletis, in lucem edito, ob atrophiam mortuo, & sine ullis doloribus excluso, adeoque macilento, ut ossa sola fere cute tecta apparerent. *Jo. Conr. Trumphii* Observatio de Delirio, ex apoplexia orto, paulatim remittente, aegra nono die prorsus restituta. *Eberh. Frid. Blanchot* Observatio de Monstro singulari, sine collo & spina dorsi a meretrice prognato; quod *Tab. IX Fig.* 2 & 3 cum sceleto a parte posteriore delineatum est. Mentum cum pectore unitum, caput recurvum, osse frontis locum bregmatis, & fontanella locum suturae lambdoideae, occupante. Occiput introflexum in vertebrarum colli loco quaerendum; os in pinnarum narium loco; loco frontis nasus depressus; radix nasi in suprema faciei parte, cujus ex utroque latere oculi valde prominentes, auriculae axillis incumbentes, meningibus remotis ne mica quidem substantiae cerebri; sed, dissectis cartilaginibus, & remoto sterno, cerebrum in conspectum prodiens; medius venter mediastino divisus; in dextra cavitate cor, pericardio involutum, diaphragmati incumbens, inclinante apice versus mediastinum, ventriculo dextro costas, sinistro partem pulmonum, attingente; pulmo sub maxilla inferiori statim incipiens; larinx immediate cum ipsa substantia pulmonum conjuncta; unus tantum lobus pulmonum, cavitatem dextram replens, minore lobulo quodam in sinistram cavitatem transgresso; in hac intestina tenuia, quorum pars exigua in dextram cavitatem per mediastinum irrepserat; praeterea

in

ſiniſtra cavitate ſupra diaphragma ventriculus; magis deorſum ex ſiniſtro latere lien; hepar, in dextro latere diaphragma obtegens; apertura ſingularis diaphragmatis, ubi coſtis ſpuriis affigitur, pro communicatione harum partium ex cavitate ſiniſtra pectoris cum abdomine; aperto abdomine, ſtupenda moles hepatis (vid. *Fig. 4 Tab. IX*,) præter illam partem, ſeu lobulum, qui in cavitate pectoris erat, ex hypochondrio ſiniſtro ad dextrum, & in regionem hypogaſtricam, ſe diffundens; ſub hac mole veſicula fellea, vacua, & inteſtina craſſa, rectum, meconio infarctum; longitudo inteſtinorum præternaturalis; os ſacrum ſpinæ dorſi loco, cum quo occiput, ſine motu, unitum; ex quo, naturalem magnitudinem admodum ſuperante, duodecim coſtæ prodeuntes; oſſa innominata, interventu cartilaginis latæ, inter ſe invicem recepta, oſſe coccygis non excedentis magnitudinis. *Georg. Chriſtiani Materni de Cilano* Obſervatio de Polypo cordis membranoſo, & corde ſemicartilagineo. Cordis lamella externa carnea, coloris pallide carnei. Altera lamella lutei coloris, vere cartilaginea; tertia carnea; quarta lamella cartilaginea, dura, & lutei coloris; quinta tenuis, carnea. In ventriculo cordis dextro polypus pyriformis, ſacculum mentiens, cujus pedunculus cum vena cava concretus; reliqua pars polypi nullibi cordi affixa. Polypus, totus quantus, ex tunicis membranaceis formatus, cavo deſtitutus. Figura ejus *Tab. IX Fig. 2* ad vivum delineata. *Ejusdem* Obſervatio de reſolutione integri brachii embryonis, in utero matris facta; matre, ſeptem menſes gravida, militem, ſine dextro brachio, conſpiciente, ejus miſeria commota, puerum, ceteroquin bene valentem, dextro brachio, inſtar illius militis, mutilum, juſto tempore enixa: quo caſu probari putat Autor, in embryone etiam partes organicas, jam ſtructas & formatas, per energiam avtocraticam, deſtrui iterum poſſe atque reſolvi. *Ejusdem* Obſervatio de Epilepſia ſomnifera, a magna portione Calomeli puero data, cui epilepſiæ, decima die, ſomnus coactus, ſtertoroſus, acceſſit, tredecies die decimo tertio reverſus, oleo tandem animali, & pulveribus e verrucis equinis, profligatus. *Ejusdem* de Scarificatione aurium, ſurditatem tempora-

riam inducente, contra guttam rosaceam, malo consilio, adhibita. *Ejusdem* Observatio de Clavis pedum, anniversaria suppuratione sponte decidentibus; quod sedecies factum est, clavis omne levamen externum respuentibus, singulum recisionis ausum cephalalgia vehementiore excipiente. *Ejusdem* Observatio de Muliere, extra graviditatis statum, nunquam menstruata, sana ceteroquin, & affectibus hystericis nunquam obnoxia; jam septem liberorum matre, totiesque mensium fluxum, maxime primis mensibus, experta, saltem quarto quintoque hæmoptysi correpta. *Ejusdem* Observatio de Cephalalgia decennali, per setaceum tandem curata, a mensium suppressione orta, nec ab arteriotomia, in temporibus facta, expugnata. *Jo. Herm. Furstenau* Observatio de Aurium cum variis partibus consensu, auditu difficili, ad surditatem accedente, cephalalgiam, surditatem, atrocissimas convulsiones, producente, ex fœdo manuum tumore, & exanthematibus, remediis externis repressis, capitis etiam, colli, manuumque, refrigeratione, orto. *Ejusdem* Observatio de Nodulis in partibus musculosis, ad nucis avellanæ magnitudinem accedentibus, in brachiis, femoribus, abdomine, obviis, nullo dolore, aut alio incommodo, stipatis. *Ejusdem* Observatio de Miasmate venereo, per obstetricem longe lateque disseminato, idem contagium ab infecto puerulo, quem labiis, ori applicatis, frequenti suctu exercere consueverat, sibi contrahentem. *Ejusdem* Observatio de Purpura, cum variis symptomatibus complicata, modo accedente, modo retrocedente, spasmis varii generis, gulæ, ventriculi, vesicæ, horripilatione, æstu, siti, sudore immodico, stipata, cum nausea etiam, sapore oris amaro, putrido, alvique obstructione, conjuncta. *Ejusdem* Observatio de Fluore albo in vetula septuagenaria, a neglecta venæsectione & scarificatione, hactenus consueta, producto; quo retardato, ægra mox insolitis dorsi doloribus, nausea, ciborum fastidio, affligitur. *Ejusdem* Observatio de Passione iliaca, cum vermium copiosa per vomitum rejectione, feliciter curata. Fœmina, passionibus hysterico-colicis frequenter obnoxia, vomitu assumtorum perpetuo, quibus lumbrici variæ magni-

magnitudinis, maxima & incredibili copia, permixti fuere, cum alvi pertinaci adſtrictione, laborans per 14 fere dies, a venæſectione demum, qua alvus largiter ſoluta eſt, irritis pleriſque omnibus, opem experta, perfecte ſanata eſt. *Ejusdem* Obſervatio de Doloribus capitis & artuum rheumaticis, cum vermibus complicatis, poſt uſum Pilularum Mercurialium, quibus aſſumtis, fœmina lipothymia correpta eſt, ingentique pituitæ tenacis & viſcidæ ſaburra, cum notabili copia vermiculorum, ἄνω καὶ κάτω, rejecta, omnino ceſſantibus. *Ejusdem* Obſ. de Venæſectionis, in febribus intermittentibus, utilitate & neceſſitate; laudata olim a *F. Schradero*, & in febribus catarrhalibus benignis, A. 1749 epidemice graſſantibus, cumque variis ſymptomatibus ad delirium non raro exacerbatis, etiam in ſubjectis non adeo plethoricis, multiplici experientia denuo confirmata. *Ejusdem* Obſervatio de Abſceſſus muſculorum abdominis utriusque fortunæ exemplo, in binis fœminis; altera abortum paſſa, formatoque & aperto in abdomine abſceſſu, quo ingens vis materiæ purulentæ profuſa eſt, elapſo nondum trimeſtri ſpatio, febre lenta & hectica exſtincta; altera, poſt editum partum, abſceſſu in abdomine, a lapſu, quem gravida in terram fecerat, contracto, artis lege tractato, feliciter ſanata. *Ejusdem* Obſervatio de ejusdem morbi diverſis & ſingularibus plane ſymptomatibus, in binis fratribus, purpura rubra correptis, altero natu majore, in qualibet morbi invaſione, ulcere in genu laborante, altero, durante morbo quocunque, nullum alvi beneficium ſentiente, utrumque optato cum eventu. *Jo. Jac. Huberi* Animadverſiones quædam de veſicula fellea, de vena umbilicali, atque de ligamento ſuſpenſorio hepatis. In infante aliquot dierum duæ veſiculæ felleæ in communi ſulco lobi hepatis dextri. Nulli ductus, neque cyſthepatici, neque hepatico-cyſtici, detecti. Vena umbilicalis, ſecundum lineam albam adſcendens, in junioribus vix dextrorſum vergens, nec muſculis arcte applicata. Peritonæi productio, hanc venam comitans, deinceps lineæ albæ, diaphragmati, & convexæ hepatis parti, ejusque fiſſuræ, accreſcit, ligamenti hepatis ſuſpenſorii nomine, triangulum fere acutum

 for-

formans. Frequenti obſervatione conſtat, veſiculam felleam toties prominere ultra marginem hepatis, quam intra illum deſinere. Diverſus veſiculæ ſitus in diverſa ætate eſt, qui a mole hepatis, in junioribus majore, dependet. In puero trium annorum veſicula fellea valde magna, bilis loco, limpida & pellucida aqua repleta, ad tres circiter uncias, ſine omni amaritie. Exilis in puero, unius anni, tota alba, craſſa, veſicula, paucæ bilis viſcidæ guttulæ intus. Ductus non penitus clauſus, ne quis putet, in ipſa veſicula ſecretam fuiſſe bilem illam. *Henr. Frid. Delii* Obſervatio de Muſculis gaſtrocnemiis, ſoleo, & plantari, albis, in ſiniſtro pede, non aliter, ac tendines eſſe ſolent; muſculis peronæo & tibiæo conſueto rubore gaudentibus. In dextro pede nullum hujus inſolitæ albedinis veſtigium. Vaſorum conditio ubique naturalis. *Ejusdem* Obſervatio de Fiſtula ani completa, in febre quartana, ſine ſectione feliciter curata, hominis, fluxum hæmorrhoidalem antea experti; injectione inprimis in fiſtulam decocti Nicotianæ ſaturati, cum oleo ovorum & myrrhæ per deliquium mixti, cui deinceps Agrimoniæ & Veronicæ decoctum adjunctum, nec non pro ulteriori conſolidatione myrrhæ & ſuccini eſſentia & balſamus de Copaiva. *Ejusdem* Obſervatio de Tumore ſingulari malæ ſiniſtræ ante obitum, nucis moſchatæ magnitudine, ſine notabili occaſionali cauſa, in viro febre lenta exſtincto. In alio phthiſico ſimilis tumor in mala dextra; nec non in juvene phthiſico, fabæ magnitudinem ab initio referens. Hoc artificioſe ſecto, inter muſculum ſubcutaneum, buccinatorem, & membranam, oris interim cavitatem inveſtientem, pus obſervatum, ſubque eo caries oſſis maxillaris tantum, ut ad antrum Highmori penetraret; duo molarium dentium nigredine conſumti, ipſique alveoli carioſi. Notabile eſt, hos tumores exortos in ſubjectis hecticis. Ergo ad ſigna prognoſtica ex facie tumor hicce forte referendus? Sed majori antea experientia & nexu pathologico confirmandus. *Ejusdem* Obſervatio de ventriculo admodum tenui & pellucido. In virgine 52 annorum ventriculi dolor quotidianus, vomitus frequens, appetitus plurimum conſtans; poſt mortem

facta

facta fectione, caufa mortis in liene & hepate, in veficula fellea 52 calculi, ad numerum annorum defunctæ, quorum unus ductui choledocho impactus, & propria membrana cinctus; in ipfa veficula nulla bilis, muci tenacis parum; ventriculus vacuus, permagnus, omnibus rugis villofis expers, facile lacerabilis, fere ut Medicus quondam prædixerat: *Sie müsse ohnfehlbar einen Magen von Post-Papier haben.* Caufa probabiliter in binas lagenas aquarum Seidfchützenfium, vulgo *Bitter-Waffer*, intra aliquot horas hauftas, conjecta. *Ejusdem* Obfervatio de Phosphorefcentia lapidum & gemmarum, diurno fole illuftratarum, noctu lucentium, deque aliis lapidibus, pyromachis, fmaragdo, hyacintho, amethyfto, topafio, carneolo, fortiori attritu lucem odoremque edentibus. *Ejusdem* Obfervatio de Infufo Theæ, fubito nigrefcente, procul dubio ex fruftulo vitrioli, cafu ipfi admifto, & nigredinem conciliante. *Jo. Seb. Albrechti* Obf. de Ducatus Coburgenfis agris, cum vicinis, corporum petrefactorum, ex utroque regno, copia & varietate nullis aliis in Germania fecundis: quæ Obfervatio notanda, & inprimis addenda eft *Ludovici Bourgueti Historiæ Petrefactorum*, five *Memoires pour fervir à l'hiftoire naturelle des petrifications, dans les quatre parties du monde, à la Haye*, 1742, 4. *Jo. Conr. Trumphii* Obfervatio de Hernia incarcerata, cum imminente jam paffione iliaca, remediis internis & externis fine fectione, liberata, quod inprimis, nono clysmate emolliente & refolvente, feces multas fumme fœtidas educente, præftitum eft. *Ejusdem* Obfervatio de contumaci alvi obftructione, ex nephriticis doloribus orta, jufculo gallinæ non deplumatæ feliciter referata, poft plurium clysmatum, fuppofitoriorum, aliorumque remediorum, ufum nihil proficientem; cum quo jufculo tamen fimul clyfteres applicati, aliaque remedia interne exhibita, fuerunt, ut effectus laudato fpecifico non omnino tribuendus videatur. *Ejusdem* Obfervatio de Carbunculis minoribus, a gutta rofacea retrocedente, per metaftafin in fcroto prorumpentibus; denuo efflorefcente fucceffive gutta rofacea priftinis in locis, ubi circa decimum & quartum diem prædictæ carbunculofæ cruftæ, lege artis tractatæ, fecefferunt.

In Appendice hujus *Voluminis* continentur Dissertationes VIII, pleraeque, ut argumentorum dignitate commendabiles & lectu dignae, ita docte eleganterque conscriptae. Hos autem illae prae se ferunt titulos: 1) *Jo. Godofr. de Hahn* Historia Podagrae Emin. Cardin. *a Sinzendorff*, Episcopi Wratislaviensis, ab A. 1742, cum primum valetudinem tuendam in se susciperet, usque ad eventum acerbissimum, mense Septembri A. 1747 consecutum, accurate notatae, & quasi in tabula propositae. 2) *Salentini Ernesti Eugenii Cohausen* Meditationes de noxa timiditatis in curatione Haemoptyseos, venaesectione prudenter instituta, & vitatis omnibus adstringentibus, viresque reficientibus, remediis, rectius huic morbo, lentam & hecticam febrem alias post se relinquenti, opponenda. 3) *Philippi Adolphi Boehmeri* Observatio rarior de Sarcomate uteri, notabilis molis, cum laudata forcipis *Chamberlayniana* praestantia; addita epicrisi, quid de recentissimis *Levreti* ferramentis, & forcipe *Bingiana*, sentiendum sit. 4) *Christian. Andr. Cothenii* Triga Observationum de lue bovina, in circulo Prignicensi A. 1746 notata, addito simul judicio & consilio oeconomico, ad praeservationem aeque ac curationem hujus morbi pertinente. 5) *Henr. Frid. Delii* Diatribe physica, rudera, terrae mutationum particularium testes possibiles, pro diluvii universalis testibus non habenda, occasione inversionis Limae & Collao in America meridionali, complexa. 6) *J. H. C. H.* Mercurii sophici delarvati, ex Philalethae Introitu aperto ad occlusum regis palatium, in conspectum Chymiatrorum prodeuntis, *Liber II.*; 7) *Jo. Phil. Breynii* Descriptio fructus Cerei Americani majoris articulati, flore maximo noctu se aperiente, & suavissimum odorem spirante. *Volckam. Hesperid. I pag. 233 T. 234.* Depictum fructum cum seminibus sistunt *Tab.* X *Fig. 1-8.* 8) *Christoph. Jac. Trew* brevis historia & fusior descriptio Cerei, serpentis vulgo sic dicti; addita Cerei triangularis brevi historia, utriusque partibus aeri incisis, & vivis coloribus elegantissime depictis, in *Tab. X, XI, XII,* & *XIII,* ex qua obiter notamus, cognitionem fructus Cerei serpentis plenissimam Ill. *Breynio*,

nio, hunc honorem ad ipsum candide deferente *Trewio*, deberi, qui cum Autore Observationes, ejus figuras, vivis coloribus pictas, & *Ehretianæ* figuræ exacte respondentes, communicavit; Cerei triangularis imaginem autem, itidem ad vivum depictam, a *Jo. Jac. Jantkio*, in Academia Altorfina Profess. Cel. qui ante paucos annos in horto Academico bona fortuna hunc florem ad perfectionem perduxit, Autori missam esse, atque hoc loco propterea repræsentari, quia icon ejus floris a nullo hucusque in publicum producta sit. Tandem colophonem *Volumini* imponit memoria *Guil. Bernardi Nebelii*, *Georg. Dethardingii*, *Ern. Gotthold Struvii*, *Georg. Frid. Richteri*, & *Jo. Adami Kulmi*, Virorum, ut de orbe literato atque medico, ita non minus de Societate, præclare promeritorum, quos Musa recte vetat mori.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREmentum Scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis VIII Pars II, III, & IV.

Lipsiæ, apud B. Lanckisii hæredes, 1751 & 1752, 8.
Singulæ Partes constant plag. 12.

Ibimus eodem conatu & itinere per *tres* simul *Partes*: *Secunda* complectitur Jo. Christoph. Harenbergii *Commentationem in Psalmum XXII*; Gottlobi Friderici Gudii *Commentationem historico-literariam de pretio, quod humanioribus literis statuerunt Patres*; Christ. Guil. Francisci Walchii *C. Julium Cæsarem, virtute Germanorum, Romanorum dominum*; Sam. Kœnigii *Disquisitionem de indole dominii, quod marito in dotem competit*; Joannis Christiani Leuschneri *Dissertationem de genuina verbi ἐκβάλλειν notione, ejusdemque usu multiplici ac vero*; *Partem III Conjecturarum* Jo. Jac. Reiske *ad Herodotum*; Anonymi *Animadversiones ad Joannis Friderici Reitzii Orationem inauguralem, qua demonstrare voluit, Criticum, artium scientia carentem, esse hominem Platonicum*; denique Casparis Barthii *ad* Christianum Daumium *Epistolas, nunc primum cura* Frid. Ottonis Menckenii

edi-

editas. Hæc eſt ſumma tractationum, quibus *Pars* conſtat
Pag. 192. *ſecunda.* *Harenbergius* inſtrumentum muſicum, *aſcoron*, in
vocabulo השחר deprehendit. Monet idem, quatuor perſo-
nas induci in *Pſ. XXII* cantantes, *Davidem*, Eccleſiam, Meſſiam,
& *verſ. 9* irriſorem Judæum. Verba, *Deus mi, Deus mi, quare*
me dereliquiſti, cum Duumviris Berolinenſibus, *M. V. la Croze*
& *Iſaaco de Beauſobre*, ad *Davidem* ſpectare, arbitratur, fuiſſe
autem a Jeſu indicata eo fine, ut Judæi perluſtrarent vaticinia
ſua, *Pſalmo XXII* comprehenſa, & calamitates Jeſu in crucem
ſuffigendi & ſuffixi luculente exhibentia. Addit ipſe expoſitio-
nem allegati *Pſ. II, 7, tu es filius meus, hodie genui te*, in *Act.*
208. *XIII, 33*, & *Ebr. I, 5, V, 5.* Nomen *kaari verſ. 17* eſſe genuinum,
nec a Judæis corruptum, oſtendit. Animalia *reémim*, ipſo ju-
dice, ſunt *oryges.* Subjicit hiſce momentis *Pſalmi* interpreta-
222. tionem Latinam, & nonnihil annotationum. Confert tandem
interpretationem Græcam Alexandrinam cum fontibus He-
bræis, & illius dictiones ac vocabula ad dictionem Novi Teſt.
illuſtrandam transfert. *Gudius* illuſtrat Cel. *C. A. Heumanni*
ſententiam, in *Conſpectu Reipublicæ literariæ Cap. 4 §. 15* Pa-
224. tres eccleſiæ primæ Chriſtianæ aſſertoribus ſolidioris eruditio-
226. nis merito annumerantis. *Origenes contra Celſum pag. 315* ed.
Mosbem. & *Hieronymus* in Præfatione ad *Catalogum Scripto-*
rum eccleſiaſticorum, eandem jam propugnarunt ſententiam ad-
verſus degeneres empæctas. Nonnihil nævorum immiſcuiſſe
229. Patres ſuis ſcriptis, Noſter haud negat. Fuiſſe inter Patres,
qui mediocri, vel minus curato, ſtilo ſcripſere, ne quidem *Hie-*
ronymus negavit. Felicius ipſos profligaſſe dogmata aliena,
quam Chriſtiana confirmaſſe, nemo inficiatur. Patres complu-
res jam antea, in gentibus, earumque religione, verſati, Philo-
232. ſophiæ ac eloquentiæ præſidia acquiſiverant. Huc refer *Ari-*
ſtidem, Juſtinum, Tatianum, Pantænum, Minutium, alios. Pa-
tribus in deliciis fuerunt ſcholæ & adoleſcentum inſtitutiones,
elogia humaniorum literarum, Bibliothecæ, conatusque ſcri-
bendi præcepta artis grammaticæ, poemata, opera. Inde au-
tem a ſexto Seculo orbem Chriſtianum barbaries involvit.
244. *Walchius* docet, *Cæſarem* Romanarum rerum ſummam vir-
tute Germanorum obtinuiſſe, quos habuerit adjutores in bellis,
Galli-

Gallico, Civili, Hispanico, Pompejano, Africano. Testimoniis
locupletissimis pronuntiata sua communit, atque argumentis, do-
cte propositis, lucem & rerum & orationis jungit. *Samuel Kœni-* Pag. 269.
gius, Professor Philos. Franequeræ, laudat Perill. *Christiani de*
Wolf in notionum distinctarum formandarum artem merita,
& quæstionem, multis JCtorum dissidiis vexatam, de
dominio mariti in dotem, ad notiones distinctas revocare, ac
plenius evolvere, laborat. Eviscerat notionem *dominii*, &, hoc
esse *facultatem de re pro lubitu disponendi, quatenus id, salvis*
obligationibus, fieri potest, ostendit. Dantur vero variæ dominii 264.
species, prouti obligationes sunt vel naturales, vel sociales &
civiles. Maritus ad sustinenda matrimonii onera accepit dotem,
& ea utitur tanquam sua. Mulieris in potestatem sors redit, si
ipsa a marito repudietur, si ipsa marito superstitet. Inde nasci-
tur obligatio, maritum constringens, ne fundum alienet inæsti-
matum. *Leuschnerus* notionem verbi ἐκβάλλειν, satis late pa- 268.
tentem, ita edisserit, ut vim verbi βάλλειν haud negligat; ut
moneat, illud *Act. XXVII, 14*, μετ' ἐ πολὺ δὲ ἔβαλε κατ' αὐ-
τῆς ἄνεμος τυφωνικὸς, esse interpretandum ita, *at non multo post* 275.
emisit se juxta illam, Cretam, *ventus typhonicus*; ut doceat,
verbo βάλλειν sæpius inesse *ponendi* notionem, ac βέβλημαι
verbum esse indicio, situm *jacentis* denotari *Matth. VIII, 6, 14,*
IX, 2, Luc. XVI, 20; ut tribuat verbo ἐκβάλλειν notiones *eji-*
ciendi, emittendi, explodendi, & rejiciendi, in vulgus dissemi-
nandi, exponendi, e. g. infantem, exercitum, *depromendi* (*Luc.*
X, 35). *Reiskius* noster suas ad *Herodoti Libros V & VI* emen-
dationes indicat, præfatione eis præmissa, qua de *Stephani*
Bergleri in *Herodotum* meritis, de restituendis nonnullis *Hero-*
doti ex *Plutarcho* locis, de *Henrici Stephani, Jungermanni, Ga-*
lei, ac *Gronovii*, qui *Herodotum* ediderunt, opera, & operæ æsti-
matione, de suis ad priora *Herodoti* conjecturarum retractatio-
nibus, accessionibus, commentatur. *Philostratum, Apollonii* præ- 301.
conem, ni a *Dami* impostore in avia ductus, impostorem suo
se indicio prodidit, in itinere Indico quippe in rationes geogra-
phicas gravissime peccans. Rex *Erythras*, seu *Erythræus*, a quo
mare rubrum vocatur *erythræum*, fuit Rex Arabum *Hamir*, con-
ditor gentis & dynastiæ *Homeiridarum*. Sic Noster. Exstin-

 gui-

guitur ſic *Edom*, ſeu *Eſau*, ex originatione maris rubri pervulgata. Ex criticis in *Herodotum* emendationibus nil decerpimus,
Pag. 315. ſiquidem eæ cum editione *Gronoviana* ſunt conferendæ diligenter, nec compendiariam enarrationem patiuntur. *Anonymi* Animadverſiones in *J. Fr. Reizii Orationem inauguralem* ſalibus & facetiis affluunt, Latinitatis caſtæ vindices. Progredien-
345. dum nobis eſt ad XXIV *Barthii* Epiſtolas, nondum antea publicatas, ab Illuſtri *Ludovico Bernhardo* L. B. *de Zech*, quo non ullus alius Muſis eſt faventior, nunc publicis traditas uſibus. Id inprimis videtur memorabile, *Barthium* fere ſexagenarium adoleſcentulam duxiſſe uxorem, ac ex hac filiolam, paulo poſt defunctam, procreaſſe, atque ex ejus conjugii tempore perpetuis
365. languoribus ac queſtibus fuiſſe refertum. Uſum lintei apud veteres attigit *Barthius*. Variis de ſcriptis paſſim perbrevem injecit mentionem.

Vocamur ad *Partem III*, nihil a prioribus degenerem.
377. Habes hic J. C. Harenbergii *Enodationem difficultatis chronologicæ, quæ videtur ineſſe loco Actor. XIII, 20, 21.* Arridet tibi Pauli Erneſti Jablonskii *Spicilegium obſervationum de miraculo legionis fulminatricis.* Offert ſe deinceps tibi Chriſtoph. Auguſti Heumanni *Obſervationum ad Minutium Felicem Ferculum quintum, idque ultimum;* quod excipiunt Jo. Jac. Reiskii *Conjecturarum ad Herodotum Pars IV;* Jo. Chriſtoph. Strodtmanni *Sylloge ſecunda differentiarum Græcarum;* & Frid. Ott. Menckenii *Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas ſexta, ejusque prior Particula.* Ad locum *Act. XIII, 20, 21, Harenbergius* interpretationem attulit, eamque rationibus munivit, monens, numerum 450 turbandum, imminuendumve, non eſſe. Primordium eorum capit ab initio Judicum, divinitus Ebræis datorum. Finem collocat in exitu muneris publici, quod *Samuel*, qua Judex, geſſit. Chronologiam Judicum per ſucceſſiones Judicum ſingulorum, ſiquidem eis non ſemper Ebræi omnes ſubfuerunt, fieri, Autor vetat. Affert deinde calculum, a *Moſe*, Ægyptium, Ebræo gravem, interimente, deductum usque ad *Samuelis* fere obitum, ſiquidem hic dicitur per totum vitæ tempus egiſſe judicem *1 Sam. VII, 15.* Examinat

minat calculos *Jacobi Kochii*, *C. D. Koohii*, *Hieronymi van
Alphen*, *Francifci Fabricii*, *Jacobi Perizonii*, Anonymi G l i,
Campegii Vitringæ, *Guſtavi Auguſti Hoſmanni*. *P. E. Ja-* Pag. 417.
blonikius, geſta, quæ miraculum legionis fulminatricis conti-
nent, prorſus confiсta eſſe, negat, dans facile, ſucceſſu tem-
poris eis aliquid acceſſiſſe narrationis recentioris. *Aurelius* 420.
Antoninus in bello adverſus Quados, ab hoſtibus in anguſtis
montium faucibus circumventus, ſummopere deſideravit
aquam, & eam ex optato obtinuit, teſtibus monumentis hiſto-
ricis, columna *Antoniniana* Romæ, & *Antonini* numis. In
exercitu *Aurelii* milites fuerunt multi Chriſtiani. Pluviam
illam divinitus ipſi impetrare haud dubitarunt precum inter-
ventu. His eam tribuerunt. At falſum eſt, 1) legionem
unam e ſolis illis Chriſtianis militibus conſtitiſſe, ac tunc de-
mum *fulminatricem* fuiſſe dictam; 2) Imperatorem in literis, 427.
ad Senatum datis, pluviam obtentam Chriſtianis militibus tri-
buiſſe, qui ſibi potius precibusque ſuis omnia tribuebat, te-
ſtibus *Julio Capitolino* ac *Themiſtio Orat. XV*; 3) Imperatorem
ob pluviam illam Chriſtianis fuiſſe conciliatum. At quomo-
do ſic bona primorum Chriſtianorum fides ſtat ſarta tecta?
Scire juvat, *Marcum* Imperatorem illum aliquando cultores
Jeſu ſingulari favore fuiſſe proſecutum, quinquennio tamen
ante pluviam illam obtentam. Poſtea Chriſtianis per Philo-
ſophos redditus eſt alienior, teſte ejus libro, quem, durante
bello Quadico, ſcripſit. Acciverat enim Magiæ Ægyptiacæ 436.
*Platonicæ*ve myſticæ antiſtites, bello Marcomannico urgente,
in aulam. His dederat aures animumque. *Apollinaris*, in
extrema Phrygia, & *Tertullianus*, in Africa, ſcribens, hiſto-
riam illam pluviæ, a Chriſtianorum precibus profectæ, literis
prodidit memoriæ. *Euſebius* haud laudavit plures, nec in 453.
eorum teſtimonio acquievit. Ven. *Heumanni*, in emendan-
dum *Minutium* proni & felicis, tot exſtant hoc loco ſpeci-
mina artis criticæ limatioris, ut difficile ſit, ea redigere in com-
pendium. Monet tandem, illud, quod vulgo legitur in *Vir-* 479.
gilii Æn. VI verſ. 229:

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,

mutandum eſſe in *circumluit*. Meminit ſimul, jam *Servio*

 fuiſſe

fuiſſe vitioſum *Virgilii* exemplar. Succedunt ferculis hiſce *Heumannianis* fercula *Reiskiana*, in *Herodoti Lib. VII* & *VIII*
Pag. 480. emendandis ſita. Subinde exponuntur loca difficiliora. Προδέκτωρ, ex προδείκνυμι, eſt *pag. 395 lin. 39 præmonſtrator* & quaſi vates futurorum. Veſtes ἀπὸ ξύλων ſunt *pag. 404, 28*, non *ligneæ*, ſed xylinæ, cottoneæ. Nonnunquam Autor indicat locos, medica manu egentes, ac ſagacioribus curam ſanationis tradit. Fidem haud eximiam *Herodoto* tribuendam eſſe,
502. monet. *J. C. Strodtmannus* docet, quid differentiæ ſit inter ἄγαλμα, γραφὴν, & εἰκόνα, inter ἀδολεσχίαν, λαλίαν, & λογοποιΐαν, inter αἶνον & μῦθον, inter αἰπόλον & ποιμένα, in-
512. ter retium nomina, inter ἐγκώμιον & ἔπαινον, inter κινύραν
534. & νάβλαν, &c. *Menckenius* ad libros rariſſimos, haud ita diu ab inventa arte typographica editos, redit porro recenſendos. In horum numero apparent *Rota Veneris*, liber per *Boncompagnum* editus plag. $4\frac{1}{2}$ fol. ſine anni locique indicio, & *Andreæ Tractatus amoris, & de amoris remedio*, plag. $38\frac{1}{2}$ fol. *Andreas* fuit *Capellanus*, non *Innocentii IV*, ut in titulo legitur, ſed aulæ regiæ, fortaſſis Gallicæ.

565. Progredimur ad *Partem IV*. Scenam aperit *Joannis Rudolphi Kieslingii Obſervatio de ſummo gentis Judaicæ excidio, ſub ſolis occaſu ſignificato, ad Jer. XV, 9.* Symbolum ex vetuſtiſſima hominum opinione de cœli oſtentis deſumtum. Defectus ſiderum, ac ſolis deliquium, olim turbarunt mortales. Interpreta-
570. tio effati *Jeremiæ* hæc data: *Adducam ſuper matrem, electum vaſtatorem in meridie, Nebucadnezarem*, Hieroſolyma occupantem anno Regis *Jehojakimi* quarto. *Sol ejus* (Hieroſolymæ) *occidit, dum adhuc dies.* Ejusdem accedit *Obſervatio de*
575. *formatione hominis inſtar caſei coagulati, ad Job. X, 10.* Dictionis origo ex priſco mortalium victu, & opinione ad ſimilitudinem inflexa. Addit Cel. Autor quatuor potiſſimum momenta, quibus Dei providentia in hominis formatione, ac intra uterum conſervatione, eniteſcit. Excipit bigam priorem *Biga Epiſtolarum mutilarum, a Viris Clariſſimis*, Bern. Pezio & Philib. Huebero, *olim editarum, ad hiſtoriam Bennonis, famoſiſſimi illius eccleſiæ Miſnenſis Sec. XI atque ſeq. antiſtitis, pariter ac univerſæ Marchiæ ipſius cognominis, nec non Ducatus Bohe-*

Bohemiæ, ex eodem tempore supplendam ac emendandam, insigniter conducentium, quarum modo priorem pro virili dilucidatum ivit Jo. Gottlob Horn. Habent & mutilæ Epistolæ, & Diplomata passim exesa, usus suos historicos. Docet Autor, haud aliunde constare, *Bennonem*, Episcopum Misnensem, *Clementi III* adhæsisse, quem *Henricus IV Gregorio VII* opposuerat; ab illo sedi suæ fuisse restitutum, ipsique *Felicem* quendam aliquandiu fuisse surrogatum; *Vratislaum*, Bohemiæ Ducem, partes *Henrici IV* secutum, aliquoties invasisse armis Saxoniam; *Hartwicum* Hersfeldensem ab *Henrico* præfectum fuisse cœtui Magdeburgensi loco *Hartwici* Franci, ab Imperatore in fugam dati. Memoriæ prodiderunt hæc *Hartwici* utriusque fata Autor *Apologiæ Henrici Regis pag. 209, & Paulus Lentzius* in *Historia Archiepiscoporum Magdeb. §. 24 pag. 54 seq. Clementis III* Epistola, ad *Wratislaum*, Bohemiæ Ducem, data, omnino vetustior est anno 1106, siquidem Dux jam A. 1092 obiit. Rectius ponitur epistola in annum 1085, siquidem A. 1086 *Wratislaus* fuit Rex ab *Henrico IV* renuntiatus. *Clementis III vitam* elaboravit Clariss. *Hornius* æque ac *Annales terrarum Saxonicarum diplomatico-historicos*, vario conatu adhuc sufflaminatos. *Clementis III* potiora fata hoc loco videmus in præsens exposita. *Wratislai*, Ducis Bohemorum, in *Henricum IV* merita solide enarravit Autor, extricavitque ejus ætatis, historiam Misnensem, ab aliis intricatiorem redditam. De denario S. *Petri*, ex Bohemis cogendo, solicitum fuisse *Clementem III*, ex ejus epistola intelligitur. In origines hujus pensionis discurrit Autor. Videtur *Wratislaus* Papæ denegasse istum denarium, Bohemis per *Gregorium VII* a sacrorum sermone vernaculo exclusis. Quæritur vero, quibusnam sigilli modis usus fuerit *Clemens III* ante inaugurationem Romanam. Non uno is certe antea usus fuit. Dolendum est, *Schannatum* in *Archivo Fuldensi vindicato* substitisse ante *Clementis III* ætatem. *J. C. Harenbergius* enodationem *quæstionis* adjecit, *cur Principes Comitesque Schwarzburgici appellati sint unus illorum quatuor imperii Comitum, unus ex imperii Comitibus quatuor, Comitum Imperii quatuor.* Indicari putat, Comites Schwarzburgicos, eorumque singulos,

Pag. 600. 604. 610. 619. 63 658. 662.

referendos ad *Guntherum*, Imperatorem electum, inferi eo elogio quatuor Comitum familiis, e quibus Imperatores fuerunt electi, Comitum Selandiæ, Habspurgi, & Luxemburgi. Cur *Adolphi* Naſſovici ab Auſtriacis haud habita fuerit ratio,
Pag. 664. cauſam aperit. *Jo. Jac. Reiske Conjecturarum ad Herodotum Partem ultimam* in *Librum IX* expromit, multa ſolide & erudite monens ad *Gronovii* editionem, & ad Græci
674. ſermonis peritiam amplificandam. Addidit idem hiſce ſeorſim *ad Plutarchi Opuſculum de Malignitate Herodoti conje-*
692. *cturas*. Multa hiſce inſunt elimata. *Frid. Otto Menckenius* libros quosdam rariores, in *Annalibus Maittairianis typographicis* omiſſos, indicare & recenſere pergit. Differit de *Oratione metrica Priami Capotii, Lilybitæ*, in Academia Lipſienſi habita, edita ſine loci annique mentione plag. 2, forma 4. Autoris, qui
697. *Fridericeidos Librum* A. 1488 Lipſiæ evulgavit, & A. 1510 Panormi regius fuit fiſci patronus, quo ad 26 Jul. multis ibi vulneribus confoſſus, in publico interiit. Excipit eam *Vocabularius juris utriusque*, Baſileæ A. 1483 publicatus, in *Bibliotheca Juris Struvio-Buderiana* omiſſus. Vixiſſe videtur Autor Seculo
700. XIII. *Leges Longobardorum*, additis aliis, Venetiis A. 1537, 8, publicatæ, ſunt admodum raræ. Adduntur multa in expoſi-
716. tione, quibus alii ſuperſederunt notandis. Novem ſuccedunt illis *Epiſtolæ Caſp. Barthii ad Chriſtianum Daumium*, multum bonæ frugis habentes. *Jo. Laur. de Mosheim* docet, *Phridianum*, cujus *Volaterranus* meminit, fuiſſe Scotum, Lucccenſium Seculo VI antiſtitem, Luccæ patronum, a *Gregorio Ma-*
731. *gno* memoratum. Subjicit hiſce omnibus *Jo. Chriſtoph. Harenbergius* quatuor *Diplomata Abbatiſſarum S. Mariæ Gandersheimenſium*, quibus nonnihil Juris Germanici veteris illuſtratur. *Lutgardis Capellana* ad A. 1229 fuit Canonica majoris ibi & ſecularis monaſterii.

NOVA LITERARIA.

De *Bibliotheca Carmelitana, Notis criticis & Diſſertationibus illuſtrata*, cujus, ut nos privatim compertum habemus, Autor

Autor est Rev. P. *Cosmas a Sancto Stephano, in seculo nuncupatus Cosmas de Villiers*, Carmelita Conventus Aurelianensis, & quam hoc ipso tempore Aurelianis *Franc. Rouzeau*, & *Martinus Couret de Villeneuve*, sub prelo habent, pauca docebimus Lectores ex Programmate publico, a bibliopolis, modo nominatis, eam in rem publicato, hujus quidem exempli:

Carmelitarum Ordo, variis in Syria ac Palæstina solitudinibus natus & commoratus, rem literariam diu latuit; quippe qui continua deliciis contemplationis, & assidua sensuum cupiditatumque coercitioni, potissimum deditus, unam eremiticam gerebat vitam. E Syria autem a Saracenis pulsus, & in Europam vix translatus, fuit, cum ad munera sacra, & ecclesiastica onera sustinenda, a summis Pontificibus, aliisque Præsulibus, vocatus est. Quæ quidem munia ad rite fungenda pietas utilis, sed non sola necessaria, sane nisi & comes doctrina, quam in Academiis facilius acquirendam sibi proposuerunt Carmelitanæ Religionis professores. Inde illorum plurimi a superioribus ad diversas Europæ Universitates, studii causa, electe missi, qui & gradus Academicos possent adipisci. Academica vero iis solum concedebantur insignia Candidatis, qui continuis plurium annorum exercitationibus idonei ad docendum reperti fuissent. Iisdem Carmelitæ legibus adstricti, Academias frequentarunt, studio solerter incumbentes, solita subeuntes probamina, stadium percurrentes statutum; ut, postquam Libros Sententiarum sua pro industria palam legissent, sacrorumque Bibliorum sensum & interpretationem enuntiassent, Magisterii jure donarentur. Doctrinali laurea ita decorati Carmelitæ, alios alumnos, suis & in Cœnobiis ad studia deputatis, sodales edocuerunt, qui, Academicis plerumque gradibus minime cohonestati, posteros suis scriptis ditarunt, sed raro promulgarunt. Nam, *ut scribebat ad Reverendiss. Dom.* Stephanum Poncherium, *Senonensem Archiepiscopum*, Fr. Joannes Rochus, *Doctor Parisiensis, Carmelita*, Patrum nostrorum primarium videtur institutum, bene agere, bene dicere, beneque scribere, sua tamen perpetuum premere, & nequaquam ostentare; ut pater ille cœlestis, qui in abscondito

dito videt, reponat, quam paraverit, mercedem. *Quod & prælibaverat* Trithemius *de* Joanne Dusseldorpio, *Carmelita Doctore, in Biblioth. Eccles. Cap. 960 dicens:* Dicitur multa scribere, sed celare. *Multos & multa Doctores & doctos Carmelitas scripsisse indicant, non quæ a Barbaris & Saracenis combusta in Syria, Ægypto, Palæstina, & Asia, non quæ ab Hæreticis in Gallia, Belgio, Germania, Anglia, Suecia, & Dania, flammis tradita sunt, non quæ in forulis & angulis cum mucore, aut blattis & tineis, decertant, scripta illorum monumenta; sed hæ saltem, quas juri publico jam committere aggredimur, elucubrationes, omni scientiarum genere oppletæ, atque ex omnium Carmelitica nationum Societate collectæ. Collectio equidem hæc appellatur* Bibliotheca Carmelitana, *quia Carmelitarum tum calceatorum, tum excalceatorum, sacrarumque monialium, Opera, sive manuscripta, sive typis edita, quorum notitia ad nos pervenit, ex benigna eruditorum Virorum non solum domesticorum & religiosorum ope, sed etiam erogata ab exterorum & literatorum inquisitione, complectitur.* Notæ criticæ *versantur circa diversas Operum editiones, circa diversas Autorum ætatem, fortunam, & opiniones.* Dissertationes *vero agunt fusius de rebus majoris momenti, ad eos spectantibus.* Præfatio, *studium scientiarum in Semneis, Asceteriis, Monasteriis, & Eremis, perpetuum & continuum expendit. Præfationem sequitur, & Bibliothecam, quam Index enucleabit multiplex, antecedit, prævia* Dissertatio de origine, regula, vestimento, & reformatione, Ordinis Carmelitici. *Bibliothecæ* prospectum *exhibent inferioribus paginis articuli, quos ideo inter ceteros selegimus, quia nec breviores, nec fusiores, exstant. Alii enim articuli, si paucis lineis continentur, alii plurimas paginas replent, ad quingentos & amplius Autores supra duo millia omnes simul numerandi. Opus integrum, in* duos *majoris formæ* Tomos *divisum, mille ducentas & amplius paginas, duabus columnis exaratas, continebit. Chartæ ad venustatem nihil deerit; characteribus autem utemur ad normam (ut loquuntur)* Cicero *formatis. Totius pretii summa quatuor & viginti Librarum Parisiensium erit pro quolibet exemplari emendo.*

✡ ✡ ✡

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri theologici, & ad Historiam ecclesiasticam pertinentes:*

II. *Libri Juridici.*

III. *Libri Medici & Physici.*

Com-

IV. *Libri Mathematici.*

V. *Libri Historici, Chronologici, Genealogici, &c.*

 Masco-

VI. *Libri Philosophici & Miscellanei.*

Cor-

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

Baby-

B.

Chri-

Fabrotti

De

Ho-

Pau-

Jo.

T.

Ter-

Operarum errores hi sunt emendandi:

Pag. 13 lin. 21 pro *exaratarum* leg. *exaratorum;* pag. 671 lin. 1 pro *antecæum* leg. *antacæum;* pag. 711 lin. 1 pro *trectationum* leg. *tractationum;* pag. 266 lin. ult. pro *hac* leg. *hæc.*